
ANTIQUARIUM MONASTICUM IN QUO EX SANCTISS. PP. CONCILIIS ET...

Nebridius : a Mundelheim



Digitized by Google





Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

62.5.11.

Digitized by Google

ANTIQUARIUM MONASTICUM

IN QUO
EX
SANCTIS PP. CONCILIIS
ET
PROBATISSIMIS SCRIPTORIBUS
traduntur enucleatè pleraquè ad initium progressum & obseruationes
STATUS RELIGIOSI
pertinentia.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO
Ex quo etiam
Concionatores facilè cuiusuis generis materiam et exempla haurire possunt.

STUDIO AC LABORE
R.D. NEBRIDII A MÜNDELHEIM
Canonici Regularis S. AUGUSTINI
Cl. N. apud S MARIAM
LEOPOLDINAM
in Austria.

Omnis qui reliquerit domum &c propter nomen meum centuplum accipiet et uitam æternam possidebit. Math. 19.

TOLLE CRUCEM TUAM ET SEQUERE ME.

Si uis perfectus esse, uade uende quæ habes et da pauperibus. Math. 19


S. IOAN: BAPTISTA
PRODROMUS VITÆ MONASTICÆ

SANCTA MARIA
PROTECTRIX RELIGIOSORUM



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Cum Gratia et Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis per decennium. Anno Domini M.DC.L. Viennæ Austriæ.



Digitized by Google

MARIÆ

Regni DEI magnæ Imperatrici:

CHRISTI

Fundatoris Religiosæ vitæ meritissimæ

MATRI:

Asceticæ perfectionis in cælesti antiquario exactissimæ

IDEÆ:

Religiosorum Ordinum in æterna curia potentissimæ

PROTECTRICI:

In sacro Gyneceio Divini palatij primogenitæ

VIRGINI:

Hietzingensis Austriæ Sacelli efficaci

PATRONÆ:

Salutis suæ post DEUM unicæ

DIRECTRICI

Offert se & hunc Laborem

SUÆ CÆLICÆ MAIESTATIS



Sacellanus infirmus in dicto Oratorio,

P. NEBRIDIUS à MÜNDELHEIM.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

Digitized by Google

AD LECTORES RELIGIOSOS.

Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris.

Jerem. 6. num. 16.

Digitized by Google

MEDVLLA PRIVILEGII.

NOs Ferdinandus Tertius Romanorum Imperator semper Augustus, &c. pro Cæsarea nostra auctoritate vigore hujus Augustalis nostri Privilegij decernimus, statuimus, inhibemus, ac vetamus, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum quorumcumq; librariam negotiationem exercentium, Librum *Antiquitatum Monasticarum* dictum, à F. Nebridio à Mündelheim Canonico Regulari conscriptum, in aliam linguam vertere, vel charactere aut formâ sive integrum, sive aliquam ejus partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, intra Decennium abhinc computandum absque dicti F. Nebridij consensu ausit. Si quis verò edictum hoc nostrum transgredi, aut violare ausus fuerit, is ejusmodi libris omnibus dicto F. Nebridio, auxilio Magistratûs, ubicumque reperti fuerint, vindicandis se noverit ipso facto privatum iri, ac præterea pœnam triginta Marcarum auri puri Fisco nostro fraudis vindici, toties quoties factum fuerit, persolvendum incursurum. Quæ omnia cum pluribus habentur in Diplomate Cæsareo dato Viennæ 17. Februarij, A. D. 1650.

Ferdinandus.


Jo. Matthias Pricklmayr.

Ad Mandatum Sac. Cæsareæ Majestatis proprium.

Jo. Khager.

Digitized by Google

APPROBATIO
FACVLTATIS THEOLOGICÆ
Vniversitatis Viennensis.



Librum, cui Titulus ANTIQVARIUM MONASTICUM, à R. D. Nebridio à Mündelheim, Canonico Regulari S. Augustini Claustroneoburgensi, studiosè elaboratum, & à deputatis à Facultate Theologica Dominis Doctoribus revisum, judico sanam, & potissimùm Athletis utilem doctrinam continere, posseque fructuosè in lucem edi. Ex domo Professa Societatis IESU Viennæ 25. Septembr. 1649.

ZACHARIAS TRINCKELIVS,
p. t. Facultatis Theologicæ Decanus.

Imprimatur.

IOANNES CAROLVS AB AICHPÜHL,
p. t. Vniversitatis Viennensis Rector.

Digitized by Google



VISUM FUIT TOTAM

operis hujus molem disponere in modum monasterij, cujus compendiosa facies en hæc est.

VESTIBVLVM.

NOVITIATVS.

VESTIARIVM.

TONSTRINA.

ORATORIVM.

confes-

Digitized by Google

OFFICINA.

REFECTORIVM.

DORMITORIVM.

INFIRMARIVM.

113. An

COEMETERIVM.

HEGVMENARCHIVM.

EREMITORIVM.

PRESBYTERIVM.

GYNECEIVM.

ANTI-

Digitized by Google



ANTIQVARII MONASTICI VESTIBVLVM.

EPISTOLA I.

Formam vitæ religiosæ fuiſſe ante Chriſtum.



CEdo tandem, Ioſippe, tuis diuturnis precibus, & oſtendo tibi noſtrum monaſterium. Sed ordine progrediendum eſt; nec ſtatim ad interiora properandum. Intremus initio veſtibulum: nam & hîc digna viſu occurrunt. Potes quærere, num ante Chriſtum vita fuerit monaſtica? Vt nunc eſt, non fuit; ejus tamen multum fuit. S. Antonius ad ſuos Arſenoitas Abrahamum appellat *Progenitorem monachorum.* Illius namque exemplo eximus de terra, & cognatione noſtra, ac ſequimur vocantem Deum. Principium hoc vitæ religioſæ eſt. Danielem quoque in S. Auguſtino lego geſſiſſe figuram *Continentium ſanctorum.* Caſſianus ait, *Eliam & Eliſæum in veteri teſtamento fundaſſe primordia profeſſionis monaſticæ.* Sozomenus præterea dum magnis encomijs monachiſmum celebrat, *Initium,* inquit, *huius optimæ philoſophiæ quorumdam opinione ab Elia Propheta, & Ioanne Baptiſta fuit.* cui conſentit Clemens Alexandrinus. Vin' & audire Chryſoſtomum? *Sicut ſacerdotum principes,* ait, *ſunt ſacerdotes Apoſtoli, ſic monachorum princeps Ioannes Baptiſta eſt.* Et alibi: *Conſiderate monachi dignitatem veſtram. Ioannes veſtri*

S. Anton. epiſt. 1.

Geneſ. 12. S. Aug. tr. 1. c. 1. de vrbis excidio. Et l. 2. qq. Evãg. q. 44. Caſſiã. l. 1. inſtit. c. 2. Sozõ. l. 1. hiſt. c. 12.

Clé. Alex. l. 2. Pædag. c. 10. S. Chryſoſt. hõ. 1. in Marcũ. Hom. de S. Ioan. Bapt.

Digitized by Google

princeps est dogmatis: ipse monachus statim ut natus in eremo vivit, in eremo nutritur.

S. Hieron. epist. 4. At Ioannem longè præcessit Elias, & Elisæus cum filijs prophetarum. De his S. Hieronymus ait: *Filios prophetarum monachos veteris testamenti fuisse legi.* Et ad Paulinum: Epist. 13. *Nos habeamus propositi nostri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, & ut ad scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij prophetarum, qui* 4. Reg. 6. *habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt, & illi filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis.* Addi possunt & illi, de quibus ait Apostolus, Hebr. 11. *quòd circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & cavernis terræ:* ad horum enim exemplum nostri monachi commoti *quietem solitudinis appetentes,* ut ait auctor vitæ Pachomij, Prol. vitæ S. Pachom. *gaudia propria salutis ac fidei divino munere sunt consecuti, ceterisq; mox exempla sublimioris vitæ, sacratiorisq; præbuerunt.* Ex quibus præcipuè fuit beatus Antonius, *qui* vt idem scriptor ait, Vita S. Pach. c. 1. *magni Eliæ atq; Elisæi, nec non & S. Ioannis Baptistæ æmulator existens, secreta interioris eremi studio sectatus est singulari, vitamq; cælestium in terris gessit amore virtutis.*

Sed, mi Josippe, priscorum quasi monachatus non in sola stetit anachoresi, melotis, & abstinentia vini ac siceræ. Vlterius ascenderunt, & nobis formam aliquam exhibuerunt obedientiæ, paupertatis, asperitatis in victu & vestitu, deniq; etiam in labore manuali. 4. Reg. 2. & 6. Inspice scripturam, & videbis filios prophetarum sub magisterio fuisse Eliæ, atque Elisæi, tamquam abbatum. Iidem nisi paupertatem coluissent, Cassianus Giezi Cassian. l. 7. instit. c. 14. discipulum Elisæi inter proprietarios cum Juda, Anania, & Saphira non locaret. 4. Reg. 4. Et vide, obsecro, sancti Prophetæ monasticam tenuitatem. *Cœnaculum parvum, lectulum, mensam, sellam cum candelabro.* Quid congruentius evangelicæ paupertati? Ibid. Victus asperitatem habes ex herbis agrestibus, ex quibus sua pulmenta coquebant. Denique ne ociosi essent, cædebant ligna, 4. Reg. 6. sibiq; construebant tabernacula. Quam omnem ascesin cum melotis, pellibus caprinis, ac cilicijs de pilis camelorum, teste S. Chrysost. hom. 69. in Matth. S. Chrysostomo, nostri monachi ab ijs, tamquam à prototypo acceperunt. In uno castitatis voto superamus eos: nam præter

Bapti-


Digitized by Google

Baptiſtam, Hieremiam, Eliam cum Daniele, nullus Virginitatem coluiſſe legitur. De vero ergo monachatu, etſi in veteri teſtamento non omne fuerit; tantum tamen fuit, ut eam nobis formam Prophetæ præbuerint, ex qua à SS. PP. monachi, & monachorum duces ac principes dicerentur. Caſſian. l. 6. inſtit. c. 4.

Et quid multum ſit, apud antiquos Fideles fuiſſe typum vitæ noſtræ monaſticæ? Nec apud Ethnicos defuit. Certè S. Hieronymus ex Cheræmone Stoico demonſtrat, quo pacto *Sacerdotes Ægyptij poſtpoſitis omnibus mundi negocijs, curisq; ſoli cultui divino vacaverint: cognatos, ac liberos numquam viſerint; à ſuſcepto officio mulieribus nullo tempore ſe miſcuerint; carnibus ac vino ſemper abſtinuerint; panem raró comederint; oleum tantùm in oleribus noverint, & ipſum etiam rarum: volatilia, ova cum lacte vitaverint: cubile de foliis palmarum, quas Baias vocabant, habuerint: ſcabellum acclive atque ex una parte obliquum in terra pro pulvillo capiti ſuppoſuerint: humores corporis ex ocio prognatos victus caſtigatione ſiccaverint.* Narrat præterea apud alios quoque populos fuiſſe, qui *uxoribus, vino, carnibus, volucribus, piſcibus, pomis, coctisq; cibis abſtinuerint; & præter farinam, & olera in cibum nihil acceperint.* Quæ omnia, ſi apud nos vel Carthuſiani peragerent, quid non in altera vita ſperare poſſent. Verè dico tibi, Gentilitas in judicio inſurget contra nos, & condemnabit noſtram ignaviam. S. Hieron. l. 2. contr. Iovin.

EPISTOLA II.

Apoſtoli fundant duplicem ſtatum religioſum.



EX Euſebio incipio. *Apoſtoli*, inquit, *ad magiſtri ſui mentem auribus multorum doctrinam ſuam accommodarunt; & illis quidem quos videbant animo paratiores, & ſublimiores ſublimiora tradiderunt; aliis contrà, quorum affectus adhuc paſſionibus erant obnoxij, præceperunt humiliora partim per litteras, partim oretenus, ut jam tum Eccleſia duplici via, vitaq; diſtincta fuerit, quarum una excelſa, ſublimiorq; communi vitæ ratione, non nuptias, non ſobolem, non poſſeſſiones, non opes requirens, aut curans, totam ſe ſupra humana, vulgariaq; extendit, cultui admirabili, cæleſti amore, ſtimulante Deo conſecrata. Cujus ſectatores tamquam mortali vita perfuncti, corpore hærente* Euſeb. l. 1. de demonſtr. Evang. c. 8.

Digitized by Google

quidem in terra, sed anima per cogitationes translata in cælum, quasi quidam Dij reliquorum vitam ab alto contemplantur, consecrati scilicet omnium Domino pro omnibus hominibus, non per boum mactationes, non per cruorum libationes, aut nidorem ullum; non fumo, aut ignis consumptione, vel corruptionibus corporis, sed veris dogmatibus genuinæ pietatis, purgatâq; mentis affectione, denique verbis & factis à virtute procedentibus. His ergo placantes Deum, sacrum suum mysterium tam pro se, quàm pro aliis absolvunt, & offerunt.

Altera autem remissior & humanior est, concedens sobrias nuptias, & liberorum procreationem, curamq; familiæ, ac docens quæ agenda sunt justè militantibus, admittitq; possessiones agrorum, mercaturam & alia quæ cum pietate pro vitæ usu conjuncta sunt. His sua tempora pro exercenda pietate statuta sunt: his dies assignati ad doctrinam, & perceptionem verbi divini. Atque hic alter religionis nostræ status aptam præbet omnibus vtilitatem, quâ nullus non particeps fieri possit redemptionis humanæ, evangelicæq; doctrinæ sive sit Barbarus, sive Græcus.

S. Basil. de abdicat. rerum. Agit de utroque hoc statu S. Basilius, dicitque breviter, hunc alterum consistere in educatione prolis; illum priorem in continentia ac Virginitate: ille nihil ad nos, ut cum religiosus non sit. Hunc ijdem Apostoli geminum effecerunt, quemadmodum in Concilio Romano A. D. 1122. Liguriæ quidam Episcopus optimè pronuntiavit. *A principio,* inquit, *surgentis Ecclesiæ duos Ordines cœpisse notissimum est, Vnum qui laboraret verbo & doctrina; alterum qui vacaret orationi: Vnum qui activæ; alterum qui contemplativæ vitæ deserviret. Ille est Ordo clericorum; hic monachorum.* Illum ad exemplum Christi amplexati sunt Apostoli, alijque Christi discipuli, ut luculenter exponit Basilius; hunc alia hominum millia multa, qui omnes quietis amantes maluerunt suæ potius propriæ, quàm aliorum invigilare saluti, ut testatur S. Augustinus.

In constit. ascet. c. 18.

S. Aug. exposit. Psal. 144.

Euseb. l. 3. demonstr. c. 7. Quod si te delectat audire vitam religiosam beatorum Apostolorum, revertamur tantisper ad Eusebium: *Age,* inquit, *recurramus ad veritatem sacrorum voluminum, moresq; inspiciamus Discipulorum IESV: inde enim quilibet prudens judicabit dignos esse qui recipiantur: viros scilicet absq; controversia ignobiles, verbo idiotas; pij, philosophiciq; magisterij ardore succensos, amplexatos vitam duram, & molestam jejuniis, & abstinentia vini & carnium, plurimisq; alijs corporis humiliationibus, votis, & orationibus*

nibus

Digitized by Google

nibus divinis; præcipuè verò temperantia, & castitate corporis pariter atq; animæ. Quis etenim non demiretur in ipsis, quòd intuitu summæ philosophiæ, conjugibus lege concessis renuntiarint, naturales voluptates calcarint, ad filios ac nepotes non respexerint? Scilicet immortales non mortales filios desiderârunt. Quis non obstupescat mentem ipsorum à pecuniarum amore alienissimam? Huius sane mentis indicium est, quod Magistrum inducentem abrenuntiationem auri & argenti, decernentemq; substantiam ultra unam tunicam nullo modo augendam non solùm non fugitarint, verùm etiam exosculati sint. Deniq; quod alius nec ad aures quidem admitteret, hi facto executi sunt, teste claudo illo, cui Petrus nec aurum, nec argentum dare potuit, quia non habebat. Et hi sunt, Josippe, principes, hæc principia vitæ religiosæ clericalis, quæ hodie magna ex parte expiravit propter multitudinem clericorum sæcularium.

Quòd autem ijdem Christi Apostoli etiam monachismum, alterum religiosæ conversationis genus, introduxerint, testatur Cassianus dicens: *Petrum & Paulum auctores vitæ monasticæ esse novimus.* Item Episcopi Concilij Meldensis, dum Carolum caluum vrgent ad restituenda monasteria à laicis possessa. *Horum institutio,* inquiunt, *à Deo inspirata, ab Apostolis fundata, & à SS. PP. exculta dicitur.* Accedit & S. Bernardus: *Cur adhuc vivo,* ait, *videre ad id devenisse Ordinem nostrum* (monasticum.) *Ordinem scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, immò à quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cælis est Hierusalem mater nostra, sive ob decorem castitatis, sive propter charitatis ardorem: cujus Apostoli institutores, cuius hi, quos Paulus tam sæpe Sanctos appellat, inchoatores extiterunt?* Denique, qui suprà, Cassianus, dum tria genera monachorum enumerat, claris verbis exponit, *Cœnobitas descendisse ab Apostolis,* quorum districtam vitam, ac regulam à S. Marco traditam his verbis enarrat inquiens: *Cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, monachorum nomine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ Evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ urbi pontifex præfuit, normam suscepêre vivendi, non solùm illa magnifica retinebant, quæ primitùs Ecclesiam, vel credentium turbas in actibus Apostolorum legimus celebrasse, Multitudinis scilicet credentium,* &c. *Verùm his multo sublimiora cumulaverant. Etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore*

Cassian. l. 12. instit. c. 4.
A. D. 845.
S. Bern. apo: ad Wilhel.
Cassian. colat. 18. c. 4. & 5.
Idem l. 2. instit. c. 5.

Digitized by Google

districtam, ut etiam his, qui erant religionis externæ, stupori esset tam ardua conversationis eorum professio. Eo enim fervore scripturarum divinarum lectionibus, orationiq; & operi manuum diebus ac noctibus incubabant, ut nec escarum quidem appetitus, vel memoria, nisi altero, tertióve die corporis interpellaret inediam, cibumq; ac potum non tam desideratum, quàm necessarium sumerent; & ne tunc quidem ante solis occasum, ut tempus lucis cum spiritalium meditationum studiis, curam verò corporis cum nocte sociarent, aliaq; his multo sublimiora perficerent. de quibus etiam is, qui minus indigenarum relatione cognovit, ecclesiasticâ historiâ poterit edoceri.

Peruasit hoc sanctum studium non Ægyptum dumtaxat, sed orbem omnem quà fides procedebat, id quod ex S. Dionysio, & Augustini verbis suprà allatis intelligere potes, ut rectè dicat Eusebius, *Philosophos nostros* (quo nomine monachos accipit) *à principio ecclesiæ apud omnes Græcos & Barbaros illuxisse, in solitudinibus etiam & eremis.* Cecidit semen Apostolicum in terram bonam, & attulit fructum centesimum. Tam clericorum, quàm monachorum status tunc aureus erat.

S. Dion. Areop. de ecclesi. hierarch. Euseb. l. 4. hist. c. 7. Idem l. 4. de Præpar. evan. c. 1.

EPISTOLA III.

Quantis encomiis à sanctis patribus celebrata sit vita religiosa.



QVam Christus, Josippe, docuit, & Apostoli instituerunt religiosam vitam, hanc sancti Patres ob sui eminentiam laudare satis numquam potuerunt. *Quàm dulcis vox in aure ecclesiæ*, inquit magnus ejus cultor & excultor Augustinus, *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et cum exponeret psalmum, qui vitam cœnobiticam prænuntiat, Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum, *Hic dulcis sonus;* ait, *hæc suavis melodia monasteria peperit.* Nam verè mel in ore, melos in aure, jubilus in corde vita verè religiosa est, quâ, juxta S. Bernardum, *nulla in terra similior angelicis ordinibus, nulla vicinior ei quæ in cælis est.* Quare non immeritò eam S. Barlaam *cælestem*, B. Ephraim *angelicam vitæ rationem, institutum & ordinem appellat.* Quibus encomijs alibi congruenter pronuntiat,

S. Aug. enarrat. psal. 43. Matth. 19. Psal. 132. Idê in ps. 132. Bern. apol. ad VVilh. S. Damascen. in vita S. Barl. c. 12. S. Ephr. serm. de virtut. & vitijs. Et advers. vit. vix.

Digitized by Google

nuntiat, *Vitam monachorum Angelis esse similem, eorumq; institutum plenum divino mysterio.* Qua de causa B. Isidorus Pelusiota hanc altam conversationem, *Divinam philosophiam*, & Palladius, *cælestem politiam & institutum* nuncupat.

De Perfectione

S. Isidor. l. 2. epp. 159.

Pallad. in prol. Laus

Quid magnum ergo, si B. Fulgentius monachum sanctè viventem Imperatori terreno præfert, nempe S. Antonium Constantino, Joannem Thebæum Theodosio? Vita namque religiosa juxta magnum Basilium δυσαμάρτητος, hoc est impeccabilis; sæcularis autem πολυαμάρτητος, nempe multum peccabilis est, quam S. Ephraim *pelago?* illam verò *portui* comparat. Quid ni? Nam teste aureo Oratore, *ij qui in monasteriis versantur, quamvis tempestates sæviant, soli in portu, tranquillitate & securitate multa sedentes, tamquam de cælo aliorum naufragia despectant. Quippe qui conversatione cælesti electa nihil ab angelis differunt: nam sicut inter hos nulla est inæqualitas, (neq; enim aliis bene, aliis male est, sed omnes in eadem pace, gaudio, gloriaq; degunt) sic & inter illos. Nemo siquidem paupertati exprobrat: nemo de divitiis gloriatur. Meum illud & Tuum, quod cuncta invertit, & perturbat, eliminatum est. Omnia ibi communia, & mensa, & habitatio, & vestes. Et hoc quid mirum, cum & illis anima una eademq; sit! Omnes eadem nobilitate nobiles, eadem servitute servi, eadem deniq; libertate sunt liberi. Una ibi divitiæ, & veræ divitiæ; una gloria est, sed vera gloria; (bona enim ipsorum non in puris nominibus, sed in rebus ipsis sita sunt.) una illis voluptas, una cupiditas, spes una est. Nempe cuncta ipsorum tamquam una eademq; libra, mensuraq; æstimantur, ut nulla inter eos diversitas, aut inæqualitas locum habeat; verùm omnia eodem ordine convenientia, concordia, jugiq; tranquillitate constituta sint. Idcirco quidquid faciunt aut patiuntur, id ab illis ideo fit, ut & jucundentur, & gaudeant. Unde solùm ibi, nusquam alibi perfectè contingit, ut & non solum præsentia despiciantur, omnis discordiæ, dissensionisq; materia sit recisa, deniq; futurarum rerum splendida spes & expectatio habeatur; verùm etiam commune esse existimetur, quod cuiq; tam triste, quàm jucundum acciderit. Mœror quippe faciliùs fertur atq; evanescit, dum cuncti laborant ac dolent: lætitiaq; major occasio reperitur, cùm non tam de propriis quisq; bonis, quàm de alienis exultat.*

S. Fulgent. l. 2. de prædest. verit.

S. Basil. de abdicat.

S. Ephr. adhort. 4.

S. Chrysost. l. 3. adu. vituper. vitæ monast. c. 10.

O quam difficulter ad exteriora retracti sunt, qui dulcedinem cælestis hujus conversationis ex vero gustaverunt! quàm animitùs doluerunt subtractam voluptatem! Anselmus Lucensis ex

Digitized by Google

sis ex Cluniacensi monacho mirandæ sanctitatis episcopus, dum vitam suam monasticam ad memoriam reduxit, crebro ingemuit, quod tantum thesaurum amiserit: attamen consolationem percepit ex magistro suo Gregorio VII. quod eidem usq; ad hoc obediens extiterit. Non me immergo hîc in pontum historiarum. Vnum adhuc produco Sophronium sanctissimum urbis sanctæ patriarcham. Qui dum in litteris ad episcopos sexti Concilij Oecumenici acerbissimè suam pristinam deplorat monasticen, eam simul infinitis laudibus extollit. *Quàm cordi,* inquit, *mihi nunc est amissa quies, & longè amabilior, quàm tunc erat, postquam scilicet ex tranquillo ocio in turbas detrusus sum negociorum terrenis fluctibus committendus! Heu viri venerabiles, quàm suavis mihi nunc est illa vita mediocris! Longè dulcior videtur quàm antè, ex quo de stercore & terra, de multa & ineffabili humilitate ad solium pontificale evectus sum. Sed ita est Patres: Deperdita sanitas à nullo melius agnoscitur, aut ferventius expetitur, quàm ab infirmis. Quid sit tranquillitas post tempestatem sentitur. Divitias nemo sic amat, quàm qui post opes redactus ad incitas ad easdem regreditur. Atq; ita in omnibus adversitas facit, ut secunda desiderabiliora sint ac gratiora. Meritò proin & ego cum miserabili Job memoriâ pristinorum bonorum meorum excitatus proclamo. Tranquilla & quieta hæc vita erat, & navigatio sine metu fluctuum. Quis constituet me secundum mensem dierum antiquorum, quibus me Deus servabat inafflictum; quando splendebat lucerna eius super caput meum, vivebamq; vitam quietam & influctuosam; quando luminis eius beneficio gradiebar per tenebras; cum vindemiabam racemos silentij; cum virebam surculis serenitatis; cum imperturbationis delectabar palmitibus; cum interioris libertatis jucundabar floribus; cùm securitatis coronabar calycibus; cùm ocij fruebar gratia; cùm terrena satiabar paupertate; cum impericulosi stercoris arabam sulcos; cùm serenæ paupertatis navigabam mare; cùm humilis casæ delectabar pulchritudine; cùm mellifluum manna sponte nascentis escæ alter Israëlita manducabam, pastus pastu pacifico, cælestiq;, absque murmuratione & ingratitudine?*

In vita ejus apud Iacob. Gretser.

Ex action. 11. Concil. Constantinop.

Quid potest amarius deplorari? quid pulchrius dici de statu monastico? Hunc justissimo titulo S. Gregorius Nyssenus *Ornatum ecclesiæ* asseverat; & S. Hieronymus: *Flos quidam,* inquit, *& pretiosissimus lapis inter ecclesiastica ornamenta Monachorum*

S. Greg. Nyssen. hom. 7. in Cant.

S. Hierô. ep. 17

rum

rum & Virginum chorus est. B. Isaac tam sanctus quàm sapiens abbas, Conversationem religiosam decernit esse *gloriam Ecclesiæ Iesu Christi.* Cujus gratiam Laurentius Justinianus dixit consultò Deum abscondisse; aliàs omnes ad eam volaturos.

S.Isaac de cōtempt.mundi.
Lib.7.vitt.PP. Ovid.Ejus vita.c.14.

Quid censes jam? an incautè locutus est S. Ephraim, dum edixit, *Admirandum spectaculum esse in cælis monachum perfectum, super terram angelicam vitam agentem?* Quem etsi S. Macarius Ægyptius ob incultum corporis habitum comparet *rancido marsupio;* ait tamen plenum esse margaritis, quas alibi dicit eum quærere, dum instar urinatoris nudus se mari committit. Optatus Milevitanus monachos vocat *Lumen mundi, & sal terræ:* S. Augustinus, *Judices orbis terræ.* Omnibus, inquit, dictum est, *Sedebitis super sedes judicantes,* qui implent, *Si vis perfectus esse, Vade & vende omnia, & veni sequere me.* Novissimè, in terris nihil est, à quo magis abhorreat satan, quàm à vero Religioso. In vita S. Juliani monachi scriptum memini, Dæmonem hac sola de causa nocere juveni non potuisse, quòd fuerit in monachum consecratus. Vitæq; Patrum memorant satanam à lascivienti monacho non minus exegisse abjurationem monachismi, quàm Dei & Baptismatis. Tanta scilicet res est, esse, professione religiosum.

S. Ephr. pa rænes. 1.
S.Macar.hom. 15. & 42.
Hom. 15.
S. Optat. l. 7. fin.
S.Aug. Enarr. psal.49.Et exposit.1. p psal. 90. Et hom. 50. c.4.
S.Ephr. in vitâ S. Iuliani.
Pelag. libell. 5. n. 38.

EPISTOLA IV.

Professionem religiosam æquivalere Baptismo.



Mirari te dicis status religiosi eminentiam, & præ ceteris tibi placuit, quòd satan Professionem monasticam perinde atque ipsum Baptismum oderit. Sed audi quid Theodorus Studita (quantus cultor vitæ religiosæ!) in extremo agone clamarit, *Confiteor monasticum statum sublimem esse, & excelsum, & angelicum, qui & peccata omnia expurget absoluta vitæ perfectione.* Minus dixit: neque enim sola perfectio religiosa delet peccata, verùm etiam ejus prima professio, haud secus ac fidei professio cum baptismo: nam idem utrobique propositum, eadem abrenuntiatio mundi, carnis, & satanæ, & consequenter par hujus in utrumque odium est. Dœmones in Novitiatu abiguntur, in Professione spem amittunt, ut historiâ luculentâ demonstrat Baronius. Non est

Apud Baron. A. D. 826.

Digitized by Google

Tom. XII. A. D. 1004. ex codice Cassin. Ioan. Subdiac. libell. 1. n. 9. fabula, quod Subdiaconus narrat. Fuit magnus inter Præviden-tes, seu Seniores: hic affirmabat, *Quia virtutem, quam vidi stare super baptisma, vidi etiam super vestimentum monachi, quando accipit habitum spiritualem,* qui olim plerumque in sola professione conferebatur. D. Hieronymus *flammâ apostolicâ succensus* docet imperterritè, Baptismum à Professione religiosa in hoc uno differre, quòd is præcedat tempore. *Nunc* (inquit ad S. Demetriadem Virginem) *quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serva fœdus quod pepegisti.* Et ad S. Paulam de obitu filiæ monialis Blæsillæ. *Reverà*, inquit, *si sæculare desiderium, & (quod Deus à suis avertat) delicias huius vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat: nunc verò cum propitio Christo ante quattuor ferè menses, secundo quodammodo se proposito baptismi laverit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitaverit, non vereris ne tibi Salvator dicat: Irasceris Paula, quia filia tua facta est filia mea?* Verè enim deletis pristinis peccatis ac pœnis æquè in Professione, ac baptismo in filios DEI adoptamur.

Revel. S. Birg. l. 6. c. 60.

S. Hieró. ep. 8.

Epist. 25.

In vita eius c. 37.

De S. Antonio memorat Athanasius: *Horâ circiter nonâ cum ante cibum orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab angelis in sublime deferri. Probibentibus transitum aëris dæmonibus cœperunt angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi nullis existentibus in Antonio criminibus: Illis verò ab exordio nativitatis replicare peccata nitentibus calumniosa angeli ora clauserunt dicentes, Non debere eos à nativitate eius delicta narrare, quæ jam Christi essent bonitate sopita: siqua autem scirent ex eo tempore, quo factus esset monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri.* Simillimum S. Anselmus de Osberno monacho refert, quo pacto eum in extremis angelus defenderit contra dæmonem, qui ei objiciebat peccata ante ingressum religionis commissa. Omnia, inquiebat angelus, in professione fuerunt abolita.

S. Anselm. l. de simillt. c. 191.

Nostros Theologos in hanc rem tibi non produco. Obvius tibi S. Thomas est, obvius Rosweydus in vitam S. Antonij. antiquior mihi Theologus occurrit, magister S. Hieronymi Gregorius Nazianzenus. Qui cum baptismum definiat aliud esse nihil, quàm pactum & professionem vitæ secundæ, & purioris conversationis: professio autem religiosa omnino ejusmodi pa-

S. Thom. 22 q. 189. art. 3 Herib. Rosw. in notis.

S. Greg. Naz. orat. 41.

di pactum sit, quid aliud erit, quàm iteratum baptisma? Id quod S. Bernardus exponit clariùs: *Audire*, inquit, *& hoc vultis à me, Vnde præter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi renuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritalis, qua præeminens universis humanæ vitæ generibus hujusmodi conversatio professores & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit: immò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, & quasi denique secundò baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur charitatis æternæ, ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æque, non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus redaptantes nobis illud Apostoli, nox præcessit, dies autem appropinquavit.*

S. Bern. l. de præcept. & dispensat.

Rom. 13.

Quanta mi Josippe, hæc gratia est, posse per statum religiosum ad purum repurgari ab omnibus in sæculo commissis peccatis, contractisque pœnis? Verùm id quoque ponderandum est, quòd quanto majus hoc beneficium est, tanto flagitiosius sit in religione reverti ad vomitum pristinorum scelerum, & negligentiâ vitæ mentem Deo ingratam exhibere: Etenim rectissimè Sanctorum quidam dixit, *Sicut nihil obest hominibus sæculo deditis si se tradiderint monachorum institutis: ita nihil utilitatis affert monachis professio venerabilis, si negligentes existunt.* Si religiosorum iterata professio in transitu ad alterum Ordinem eamdem cum prima haberet gratiam, quàm multis hic transitus foret necessarius.

EPISTOLA V.

Vitam religiosam esse martyrium, Martyrumque in cœlo reportare coronam.



Quis nescit, Josippe, martyrum, martyriique gloriam? magna est & ineffabilis, etiam in ecclesia militante, ut de triumphante sileam. Ad eamdem martyr & Religiosus pari passu currunt. In

Digitized by Google

domo patris nostri eadem utrique mansio, eadem aureola, idem triumphus, idem chorus est. *Cum nocte quadam*, inquit Bellouacensis, *fratres post vigilias sederent in capitulo, & legerent; B. Christianus orabat in claustro. Et ecce, vox de cœlo: Illi boni homines, quos vides in capitulo, sunt martyres Dei.* Sed antiquiora audiamus. S. Ephraim infusæ scientiæ Doctor vexationes religiosorum comparavit tormentis martyrum, decernens utrosq; habituros easdem coronas. Immò alibi ait, Se cum suis monachis sine tormentis martyrem esse posse, cum vita monastica in semetipsa martyrium sit.

Vincent. Belloua.l.29.c.11.

S.Ephr. in Attende tibi c.9.

Serm. de patientia.

Serm. de pœnit.& patient.

Consummationem, ait S. Clemens Alexandrinus, *martyrium appellamus, non ex eo, quod morte consummetur homo, sed quod consummatum opus habeat charitatis. Itaq; si fidei confessio martyrium est, profectò omnis anima purè vitam instituens cum agnitione Dei, mandatisq; divinis obtemperans martyr est, & verba & vita, quomodocumq; demum de vita decedat. Deniq; & Christus in Evangelio dicens, si quis reliquerit patrem aut matrem, aut fratres*, &c. *is beatus est, ostendit non simpliciter dictum martyrium, sed Gnosticum, hoc est religiosorum, cum hi vitam agant vivam ex regula Evangelica propter amorem Dei. Significatur autem per Patrem in Evangelio genus mundanum, substantia & possessiones; per Matrem patria, sicut fecerunt Apostoli.*

S. Clem. l.4. Strom. fol. 480.

Cernis opinor, à quàm antiquo tempore vita religiosa martyrium existimatum sit. Id S. Gregorius Nyssenus ex verbis Christi deducit. Nam cum ad primam beatitudinem (quæ concernit voluntarios pauperes, adeoq; religiosos) æque ac ad octavam, quæ Martyres tangit, dicatur, *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*, subinfert ipse, *Quorum præmium idem est, horum etiam certamina paria sunt.* Certè enim de mundo triumphasse, carnémque afflixisse de sententia magni Augustini pars martyrij est. Et S. Cyprianus jam ante B. Augustinum Religiosos abnegantes mundum inter martyres collocavit. *Si passio*, ait, *Fidelibus desit; fides tamen integra atq; invicta perstiterit, & contemptis ac relictis suis omnibus Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoq; à Christo inter martyras honoratur, pollicente ipso ac dicente, Nemo est, qui reliquerit domum &c.* Ac talis martyr erat S. Antonius, qui cum tempore persecutionis martyrium impetrare non posset, ad pristinum monasterium regressus, quotidianum, ait S. Athanasius, fidei ac conscientiæ martyrium merebatur

S. Greg. hom. 1.& 8.de Beatitud.

S. Aug. serm. 46.de Sanctis.

S. Cyprian. l. de exhort. mart. c. 12.

In vita S. Anton. c. 23.

rebatur acrioribus ſe jeiunijs, vigilijſque conficiens. *Vt enim multæ perſecutiones,* ait S. Ambroſius, *ita multa ſunt martyria. Quotidie teſtis es Chriſti. Tentatus es ſpiritu fornicationis, ſed veritus Chriſti futurum judicium temerandam mentis & corporis caſtimoniam non putaſti, martyr es Chriſti.* Id ubi perfectius reperitur, quàm in eo, qui etiam voto ſe obſtrinxit quamlibet frendente carne corporis pudorem haud violare? Rectè ergo S. Macarius exclamavit, *Venite, videte martyrium horum juvenum.* Quippe duo Religioſi erant, non longè ab inito monachiſmo ſanctiſſimè defuncti. Quare vera ſententia etiam S. Columbani in regula eſt, *Vitam monaſticam eſſe felicitatem martyrij.* S. Ambr. ſerm. 20. in Pſ. 118. Ioan. Subdiac. l. 3. n. 2. S. Columb. in regula.

Cum Devs B. Gregorio Nyſſeno ſororis ſuæ S. Macrinæ monialis obitum in ſomno ſignificaret, viſus eſt ſibi ſanctus Epiſcopus portare reliquias martyrum. Nempe cadaver erat Virginis Deo conſecratæ, cui fidei perſecutores nec pilum læſerant. Vita monaſtica martyrem eam fecerat, unde & exequiæ ipſius inſtar martyris celebratæ ſunt. Id quod & alibi fiebat. Referente enim S. Auguſtino etiam Africa ſuas ſanctimoniales inter ſanctos martyres ad altaris ſacramenta recitavit. Nec mirum: cum namque *verus monachus,* teſte Caſſiano, *vivus martyr* ſit, pari gloria cum martyribus ubique dignus erit. Delectat me vox Theodori ſtuditæ ad ſuos: *Vos,* inquit, *martyrum chorus excipiet.* Et S. Stephanus Grandimontenſium inſtitutor à morte ſuis in habitu roſeo apparuit; quia martyr Chriſti extiterat, dum in hoc ſæculo vixerat, ait Vincentius Bellouacenſis. S. Greg. Nyſſ. de Macrina. S. Auguſt. l. de Virg. c. 45. Caſſian. collat. 18. c. 7. Apud Baron. A. D. 826. Vincent. l. 25. hiſt.

Quod ſi cupis audire cauſam, cur SS. PP. monaſticen æquipararint martyrio, eam tibi S. Damaſcenus declarat. *Poſteaquam,* inquit, *crudeles ac belluini tyranni miſere, ut merebantur, perierunt, perſecutioq; finem accepit, ac pij Imperatores totius orbis imperio potiti ſunt, ſuccedentes alij à ſanctis martyribus, ac zelum illum, divinámq; cupiditatem ſibi imitandam proponentes, eodémq; timore ſauciam animam habentes, illud optimè ſecum conſiderabant, atq; ſpectabant, ut ab omni ſpurcitie animam puram ac corpus Deo exhiberent: ſic nimirum ſe comparantes, ut omnes vitioſarum affectionum actiones amputarent, ſeipſóſq; ab omni carnis & ſpiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non alia ratione, quàm per mandatorum Chriſti obſervationem à ſe præſtari poſſe intelligebant: mandatorum porrò obſervationem ac virtutum cultum in mediis mundi tumultibus ægrè conſequi ſe poſſe perſpiciebant,* S. Damaſcen. in vita Barl. & Ioſaph. c. 12.

Digitized by Google

bant, novum quoddam, atq; ab aliis diversum vitæ genus sibiipsis instituerunt, ac juxta divinam vocem relictis omnibus rebus, hoc est, parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, deliciis, cunctisq; mundi commodis contemptis, in solitudines, tamquam exules quidam sese contulerunt, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ, ac seipsos ab omnibus terrenis jucunditatibus, & voluptatibus procul removentes, atq; adeo panis etiam & vestimentorum gravi penuria laborantes.

Quod ut facerent, duplex eos causa impellebat; altera, ut vitiosarum affectionum materias minimè cernentes, earum cupiditates radicitùs ex animis suis evellerent, earúmq; memoriam oblitterarent, ac divinarum cælestiumq; rerum amorem, & desiderium in seipsis efficerent, animoq; ac voluntate martyres effecti, eâ gloriâ, quam iy, qui martyrio perfuncti sunt obtinent, minimè carerent: Verùm cum ipsi quoque quantum in se esset, Christi passionem expressissent, ipsius quoque regni participes essent. Atque aliy quidem sub dio durantes, solis æstu, atque asperrimis frigoribus ac pluuiis, ac ventorum turbinibus affictabantur: aliy constructis tuguriis, aut in speluncis, & antris sese occultantes vitam agebant. Sicq; virtutem colentes omnem carnalem consolationem & quietem ad extremum usque repudiarunt crudis oleribus & herbis, aut pomis, aut etiam sicco ac durissimo pane vitam tolerantes.

Itaque juxta Damascenum in defectum martyrum Monachi subingressi sunt, qui seipsos voluntarijs passionibus ad extremum usque mortificaverunt, *omnibusq; terrenis exuti negociis,* ut ait auctor vitæ S. Pachomij, *adbuc morantes in corpore angelorum æmulati sunt sanctitatem, per quam fastigia scandentes celsa virtutum ultra admirationem enituère mortalium, ita ut in nullo prorsus antiquissimis patribus inferiores existerent: æquiparantes etiam illorum merita, qui pro nomine Christi JESU Domini nostri certaverunt usque ad sanguinem, invisibilium hostium molimina destruentes, de quibus ait Apostolus, Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates, contra mundi rectores tenebrarum barum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.*

In Prologo.

Ephes. 6.

Nunc conscientiam tuam Josippe, convenio, & quæro, si mecum Religiosus esses, utrùm non spe coronæ martyrum libenter omnia ardua tolerares; vel utrùm velles potius inter

molles,

Digitized by Google

molles, delicatos, turbulentos, turbatores, ac murmuratores inveniri, quibus parum est carnem suam spontaneis mortificationibus non affligere, nisi etiam justis correptionibus resistant, ac levissimis oneribus colla subducant, quos *carris* S. Augustinus *similes* dicit, *qui fœnum portant & murmurant*, Martyres non Dei, sed diaboli. S. August. in Psal. 132.

EPISTOLA VI.

Quàm antiquum sit nomen Monachi.



Es antiquior hoc nomine est, maximè in Occidente, & Africa. In Oriente citius innotuit. Romæ usque ad S. Athanasij tempora nulla nobilium feminarum noverat propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere, ait S. Hieronymus noster. Quod ipsum de sua Africa testatur S. Augustinus in illud, *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Iste dulcis sonus,* inquit, *monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum. Ex voce huius psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet catholicis. Vox enim insultantium erat: Quid sibi vult nomen Monachorum? Ostendite* (dicebant Donatistæ) *ubi scriptum est nomen Monachorum? Inde hæretici isti suos pseudomonachos*, nempe Circumcelliones, *appellabant Agonisticos*, Quos S. Pater redarguens ex illo psalmo rei vocisq; demonstrat originem, In unum, inquit, dicitur, quod Græcis μόνος est, unde Monachi nomen derivatum est, non simpliciter ab uno, quod Græcis ἓν est; sed ab uno solo, quod propriè μόνος est. *Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant; ut sit illis vere, sicut scriptum est, una anima, & unum cor; multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur μόνος, id est unus solus.* Subjungit denique de Donatistis: *Meritò insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præciderunt: meritò illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, sequentes Donatum.*

S. Hieron. ep. 16.

S. Aug. in psal. 132.

Actor. 4.

Cassianus restrictius de hoc nomine loquens, ait monachos seu μονάζοντας *à singulari & solitaria vita* nominatos fuisse. Cassian. col. at. 18. c. 5.

Quid-

Quidquid sit, quod nomine Monachi significatur; in Ecclesia Latina usque ad Athanasij tempora non invenitur. Nec mirum: quia vix in Græca habetur. Eusebius Pamphili in ecclesiastica sua historia eâ voce non utitur usque ad A. D. 308. In Dionysio tamen Areopagita reperitur, & semel in Origene, qui sunt antiquissimi. S. Clemens Alexandrinus monachum appellat *Monadicum*, quam vocem S. Greg. Naz. opponit *Migadibus*, in cœnobijs unà viventibus. S. Macarius in suis homilijs utitur vocabulo μοναζόντων, sicut & B. Athanasius. S. Nazianzenus monachum dicit *Monasten*. Quæ omnia verba eamdem originem ducunt ἀπὸ τοῦ μόνου, sicut μονότης, & μόνωσις ex eodem fonte significant monachismum apud eumdem Theologum & Epiphanium. S. Clemens μονήρη βίον dicit vitam monasticam, seu si potius placet monachicam: nam monastica vita etiam extra monachismum reperitur apud clericos regulares, qui vivunt in monasterijs, à quibus vita monastica nominatur.

Euseb. l. 7. hist. c. ult.
S. Dion. de eccles. hierarchia. c. 6.
Orig. l. 1. in Iob.
Clem. l. 4. Strom. f. 535. & 537.
S. Greg. Naz. de S. Athanas. Hom. 15. & 26.
S. Athan. ep. ad Amon.
Naz. in sua vita.
Idem ep. 68.
S. Epiphan. de exposit. fid. cath.
S. Clem. Alex. l. 7. Strom. f. 454.

EPISTOLA VII.

Quibus nominibus primò sint appellati, quos Monachos dicimus.



PLenus monachis orbis erat; nec tamen uno certo nomine appellabantur, quoad tertio demum sæculo monachi nomen ubique invaluit. Primi omnium Essæi dicebantur, de quibus propediem tibi narrabo. Dicebantur etiam θεραπευταὶ seu θεραπευτὲς, ut Philo loquitur, monachæ θεραπευτρίδες, cujus vocis rationem Eusebius tradit, *quod tamquam periti medici affectus pravos curare, Deoq; purum servitium offerre velint ac studeant.* Sic S. Areopagita dicit hoc genus hominum ab alijs *Therapeutas*, ab alijs *monachos* esse nuncupatos *ex puro Dei ministerio, ac famulatu, & non partita, sed singulari vita tamquam vivificante eos inseparabilium sacris complicationibus in deiformem unitatem & amicam DEO consummationem.*

Epist. 13. & 14.
Philo l. quod omnis probus sit liber.
Euseb. l. 2. hist. c. 16.
S. Dion. l. de eccles. hier. c. 6.

Attamen haud eo inficias, hoc nomen, etsi monachis per excellentiam assignatum fuerit, ipsorum proprium non fuisse: nam sicut B. Dionysius in quattuor epistolis Caium monachum Therapeutam nominat; sic Eusebius nunc Constantinum Imp.

Euseb. l. 10. hist. c. 8. 9.

Imp. nunc Episcopos, & universos Christi fideles sic appellat.
Loquens enim de persecutione Licinij: *Iterum*, inquit, *fugæ religiosorum hominum; iterúmq; agri, solitudines, valles ac montes Therapeutas Christi suscipiebant.* Quia sicut antiquitus nomen Religiosi conferebatur cunctis pietati singulariter studētibus, sic θεραπευταὶ Θεοῦ πάντες οἱ ἐνάρετοι, ait S. Clemens Alex. *Therapeutæ Dei omnes, qui pollent virtutibus:* nam *Therapeia DEI*, inquit, *est continua cura animæ Gnostici, & indefessum studium rerum divinarum secundum æternam charitatem.* Pergit de duplici Therapeia, quarum unâ propriæ, alterâ proximi saluti consulitur.

A. Gell. l. 4. noct. c. 9.
S. Clem. l. 5. Strom. fol. 594.
Lib. 7. fol. 706.

Iidem monachi dicti sunt & *Gnostici*, ut primùm ex Clemente percepimus, cui idem sunt *Philosophus Christianus & Gnosticus.* Et licet olim hæretici quidam vitæ monasticæ osores ex eo se Gnosticos appellarint, quod se præ alijs sapere autumarint; eos tamen ad veros Philosophos, seu monachos pertinere negat Clemens, eò quòd DEI notitia cum inordinatis affectibus consistere nequeat. *Nam corpori blandiri*, inquit, *& scientiam habere divinam simul esse non possunt. Et profectò ex ipsis vitæ actionibus cognoscitur Gnosticos Deum ignorare: neq; enim voluptas & bonum sibi junguntur: ex conversatione enim vitæ manifestè dignoscimus cognitores mandatorum DEI;* ἐπεὶ οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ βίος, *qualis sermo, talis vita. A fructibus*, inquit, *cognoscetis eos. Scientia proinde ex fructu & actibus, non ex verbo & flore est. Quamobrem nullus hæreticus, etsi plerique hoc nomen assumpserint, verè Gnosticus est, cùm omnes verâ Dei notitiâ careant, vitáque à verbis discrepet, sic* ut nomen *Gnostici* illis solis remaneat, qui renuntiatis sæculi vanitatibus inhærent DEI mandatis ac cognitioni divinæ, quales vel maximè sunt Christiani philosophi.

Idē l. 4. f. 516.
S. Epiphan. hær. 26.
S. Clem. l. 3. sup. à fol. 418. & 444.
Matth. 7.
S. Epiph. hær. 31.

Vocabulum autem Gnostici ex S. Paulo desumptum est. *Ad Romanos quippe* ait, πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως, *repleti omni scientia.* Et ad Corinth. ἐπλουτίσθητε ἐν αὐτῷ ἐν παντὶ λόγῳ καὶ γνώσει, *Divites facti estis in ipso, in omni verbo, & omni scientia.* Et rursus: εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει, *etsi idiota in sermone, sed non in scientia.* Et hinc est nomen Gnostici, hoc est, Scientifici.

Rom. 15.
1. Cor. 1. & 3.
2. Cor. 11.

Spudæi præterea sunt olim appellati Monachi. Quæ vox significat hominem virtutī deditum, unde S. Augustinus ait, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς non dicitur ἀρετός sed Spudæus. Quare ubi Stobæus ait, *Opinionem non cadere in virum perfectum, & Spudæum*, Lipsius vertit *virum probum*. Et Clemens Alexandr.

S. Aug. in Categ. c. 12.
Lipsius l. 3. Stoic. phil. diss. 8.

S. Clem. l. 2. Pædag. c. 12. Init. μόνος, ait, ὁ σπουδαῖος καλὸς κἀγαθὸς ὄντως ἐστί. *Solus Spudæus verè bonus*, quo eodem modo loquitur l. 1. Strom. ubi interpres ponit *virum bonum*. S.Basil.hom. 2. de jejun. init. S.Basilius *Spudæum* opponit ῥᾳθύμῳ, *inerti*. Rectè: quia Spudæus ex nuda voce aliud non est, quàm studiosus ac diligens, quem sensum fortè respexit Eusebius, Euseb. l. 6. Præpar. c. 6. dum *Spudæos* distinguit *ab Ascetis & philosophis* tamquam aliquid generalius. Quamquam sæpe restrictiùs loquatur, & hanc vocem nunc Philosophis tribuat, nunc monachis. Frequenter enim cum tempore mutantur significationes vocabulorum. Vnde legimus à priscis vel maximè *Spudæos* esse dictos *philosophos*, Christiani an Ethnici fuerint. Lipsius dissert. 9. sup. Quo modo Lipsius loquitur ex Stobæo, *Nihil præter voluntatem, appetitum, consilium evenire Spudæo*, nempe sapienti & philosopho. Philo apud Euseb. l. 8. Præpar. c. 14. Et Philo Spudæi appellationem attribuit Græcis philosophis. S.Athan.hom. in illud. Quicumq; dixerit. Athanasius quoque *Clementem Alexandr.* verè Christianum philosophum *Spudæum* nominat. Et hic ipse Clemens S. Clem. l. 2. Strom. f. 395. dum Christianum philosophum ad studium virtutis, & refrenationem passionum improbarum adhortatur & instruit, eum appellat *Spudæum*. *Deus*, inquit, ἐγκράτειαν, hoc est, *passionum continentiam non habet: non enim quassatur passionibus, ut eas refrenet: sed nostra natura, passionibus obnoxia, eâ omnino indiget: nam hoc dum ad id, ut paucis indigeat, exercetur, conatur quantum possibile est pervenire ad similitudinem divinæ naturæ. Spudæus enim is est, qui paucis indiget, ut qui consistat medius inter nostram naturam mortalem, & immortalem: quà namque mortalis natus est & corporeus, indiget: quà verò mediante continentia doctus & exercitatus est, nonnisi paucis indiget.* Atque hunc talem Spudæum seu sapientem Christianum alibi ait Fol. 402. Christum instituisse sui regni hæredem ac civem, scilicet propter veram sapientiam, quam docet consistere in continentia, patientia, recta vita, subjugatione passionum, bonorumque elargitione.

Quæ cum apud nullum genus hominum sincerius inventa sint, quàm apud monachos, factum est, ut Spudæi nomen tandem solis illis relictum fuerit. Ita interpretor Eusebium de Euseb. l. 5. hist. c. 1. persecutione Gallica sub M. Aurelio loquentem. Συνελαμβάνοντο μέντοι καθ' ἡμέραν οἱ ἄξιοι, τῶν ἐκείνων ἀναπληροῦντες ἀριθμόν, ὥστε συλλεγῆναι ἐκ τῶν δύο ἐκκλησιῶν πάντας τοὺς σπουδαίους, καὶ δι' ὧν μάλιστα συνειστήκει τὰ ἐνθάδε. *Comprehendebantur*, inquit, *indies digni, qui illorum* (lapsorum) *numerum supplebant, adeò ut à duabus ecclesiis* (Lugdunensi & Vien-

Viennensi) *colligerentur omnes Spudæi, & per quos maximè nostra consistebant.*

Duplex hîc genus notatur hominum, *Spudæi & clerus.* Clero stant nostra ecclesiastica, Spudæis Christiana perfectio. Horum sancta conversatione & exemplo cum non minus cresceret ecclesia, quàm cleri doctrina, fiebat, ut furorem persequentium perinde ac clerus in se concitarent. Et hinc factum, ut numerus monachorum in immensum decresceret, sic ut qui Phi- S. Athan. c.3. de S.Anton. lonis æuo omnem mundum implebant, post tot persecutiones vix invenirentur, qui hinc inde à suis villulis non longe sese exercerent. Et tanta strages adhuc tolerabilis foret, modò nomina tot martyrum oblitterata non essent. Alcibiadem in Gallia Euseb. sup. nominat Eusebius, qui nec in vinculis aliud in cibum sumere voluit, quàm panem & aquam ex antiquis regulis optimorum monachorum.

S. Dionysius Alexandr. in epist. contra Germanum Episco- Apud Euseb. hist.l.7.c.11. pum de suo exilio sub Valeriano & Gallieno in agro Colluthionis sic loquitur. Erat, inquit, χωρίον ἔρημον ἀδελφῶν, καὶ σπουδαίων ἀνθρώπων. *villula sine fratribus & spudæis*, per Fratres intelligens more prisco Christianos, per Spudæos monachos: hi namque villu- S. Athan. sup. las solebant inhabitare teste S. Athan. Sed ad clariora descendamus. S. Petrus Episcopus Alexandr. in quadam epist. clarè di- Apud Theodoret. l.4.hist. c. 20. cit, κληρικοὺς ἅμα σπουδαίοις μονάζουσι. *Clericos cum Spudæis monachis.* Sozomenus quoque dum narrat quomodo S. Antonius omni- Sozom. l.1. hist. c. 13. bus relictis puer adhæserit monachis, *Spudæos* appellat, S. Athanasius *Solitarios.* Alibi inducens loquentem S. Dorotheum S. Athan. sup. Sozom. l. 6.c. 28. monachum diabolo, *si angelos*, inquit, *ad somnum poteris inducere, poteris & Spudæum*, nempe, se monachum, unde & vitam monachicam vocat βίον σπουδαῖον. Et populus Alexandrinus cum Idem l.3.c.13. defuncto Alexandro cuperet sibi præfici B. Athanasium, multis S. Athan. apol. 2. diebus ac noctibus clamavit postulans πάντα δὲ τὰ βέλτιστα, Σπουδαῖον, εὐλαβῆ, χριστιανόν, ἕνα τῶν ἀσκητῶν, scilicet *illum optimum, Spudæum, religiosum, & unum ex ascetis*, id est monachis.

Antiochiæ eiecto S. Meletio cum Diodorus ac Flavianus Sozom. l.6. c. 24. sanctissimi monachi populum regerent catholicum, adjunxit se eis Vitalis monachus moribus & vita insignissimus. quem suo S.Epiphan. hær. 76.n. 20 Soz. l. 5. c.15 more Sozomenus *Spudæum* compellat. Julianus insuper apostata dum vidit Christianos opera maximè monachorum in officio contineri, præcepit ut etiam Ethnici cœnobia erigerent,

Digitized by Google

præcipuè verò ut ſacrificuli Galatiæ *Spudæi* fierent, ſive monachi, quibus Chriſtianum populum faciliùs ad paganiſmum retraheret. Ita denique etiam S. Epiphanius loquitur. *Monachi,* inquit, *ex bono propoſito ſemper jejunant. Sex dies paſchæ totus populus inſumit in aridis cibis; Spudæi autem uſque ad reſurrectionis noctem.* En ibi monachi, hîc Spudæi, ἀπὸ τῆς σπουδῆς περὶ τὰ θεῖα, *à ſtudio* ſcilicet *ſingulari circa divina & cæleſtia*, ut loquitur Theodoretus, ſicut & Euſebius in ſeptimo hiſtoriæ πρὸς τῶν περὶ τὰ θεῖα ἐσπουδακότων, & in octavo de duabus Virginibus, genere nobilibus vitâ ſplendidis, ætate juvenibus, ſpecioſis forma, in *ſtudio* admirabilibus. Quo autem ſtudio, niſi aſcetico? de quo S. Hieronymus in vita S. Hilarionis: *Ille fundator & eruditor hujus converſationis & ſtudij in hac provincia fuit.* Erat autem monachiſmi in Palæſtina.

S. Epiph. in expoſit. fidei.
Theodor. l. 1. c. 23.
Euſeb. l. 7. hiſt. c. 32.
Lib. 8. c. 24.
S. Hieron. c. 9. vitâ S. Hila.

Porrò ſicut Orthodoxis, ſic & hæreticis ſui monachi & Spudæi erant. S. Epiphanius nominatim meminit Spudæorum Maſſalianorum. Arbitror autem antiquis eò gratius fuiſſe vocabulum Spudæorum, quod ejus aliquid in Apoſtolo legerint, τῇ σπουδῇ, inquit ad Romanos, μὴ ὀκνηροί. *Sollicitudine non pigri.* Et ad Timotheum: Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ, quod noſtra verſio ſic exprimit: *Sollicitê cura teipſum probabilem exhibere DEO.*

S. Epiphã. hæreſ. 80.
Rom. 12.
2. Tim. 2.

Eunuchos etiam & Spadones vocatos eſſe monachos ex Evangelio cognoſcere potes: Sunt, inquit, qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum. Hanc phraſin amplexatus eſt Cyprianus, vel alius ſub nomine ejus. Ambroſius item & Origenes, qui triplex genus eunuchorum facit. Clemens denique Alexandr. docet ſuo tempore in Eccleſia fuiſſe eunuchos Spontaneos, aitque ſe beatificare eos, quibus hæc eunuchia datur à DEO: nam carnalis ſui ipſius caſtratio ad regnum cælorum per ſe non prodeſt. Fuêre quondam ſimplices, qui ex æmulatione vocis evangelicæ, non ſecundum ſcientiam, caſtraverunt ſe propter regnum cælorum, quorum meminit S. Epiphanius, & Pelagius in vitis PP. at hi idcirco excommunicati ad communionem recepti non ſunt, niſi poſt peractam pœnitentiam, cùm ſui eviratio ſit contra canones apoſtolicos, & Chriſtus, teſtante Ambroſio, *caſtos nos per evangelium, non infirmos eſſe cupiat.* Quapropter meritò inter hæreticos annumerati ſunt Valeſij, qui nullum recipiebant, niſi ſe prius caſtraſſet. Nec ij denique ab Eccle-

Matth. 19.
S. Cyprian. de ſingul. cleric.
Ambr. l. 2. Offic. c. 6.
Orig. hom. 7. in Matth.
Clem. l. 3. Strom. f. 428.
S. Epiph. expoſit. fid.
Pelag. l. 15. n. 88.
In canon. Apoſt.
S. Ambr. l. de viduis fin.
S. Epiph. hæreſ. 58.

Ecclesia probati sunt, qui etsi sanè verba Christi acceperint, semetipsos tamen castraverunt, vel ut sedarent æstum carnis, vel ne data occasione deficerent. Ideo redarguitur Origenes, & Jacobus monachus idcircò gravem accepit à S. Saba pœnitentiam, quòd ob gravissimas carnis tentationes stricto cultro virilia sibi amputaverit. Metaph. vita S. Sabæ.

Ascetarum nomen monachis communiter imponitur apud ecclesiasticos scriptores. Græci ab initio hucusque sic loquuntur. Tertullianus vocis interpres *Exercitatos* appellat: nam *ascêsis* Græcè, unde *asceta, exercitatio* est. Si quæris cujus rei? Tertullianus idem respondet: *Indagationis & peritiæ scripturarum.* Tu adde & Virtutum, quarum scholæ & gymnasia *asceteria* sunt, & monasteria Socrates appellat. Philo non semel *ascetarum* nomen Essæis tribuit, nostris, ut dicam, monachis. Idem facit S. Athanasius. Origenes quoque Gregorium & Athenodorum sanctos fratres, discipulos suos, hortatur, ut priora studia transferant *ad divinam ascesin*. Et Eusebius describens S. Pamphilum mart. eum ait claruisse *in vita ascetica:* sanctum quoque Apphianum instructum fuisse divinis litteris, & in congrua *ascesi,* unde & moniales appellat *ascetrias.* De S. Athanasio suprà dixi Ascetam ante episcopatum fuisse. Et quem monachorum principem Joannem Baptistam SS. PP. dicunt, Dionysius Alexandr. Episcopus ait in solitudine egisse *vitam asceticam.* Tertull. l. de præscrip. c. 14. Sup. Socrat. l. 6. hist. c. 3. Apud Euseb. l. 2 hist. c. 16. S. Athan. ep. ad Amon. Euseb. l. 6. c. 30. Lib. 8. c. 11. cap. 14. In apol. 2. S. Dion. ep. contr. Paul. Samos.

Clemens Alexandrinus inter nobilissimos scriptores primitivæ Ecclesiæ, quâ nomen monachi adhuc utcumq; latebat, sed vita perquam erat conspicua, monachos *ex austeritate vitæ* appellat. Novi ingenium tuum, *Græcum est*, inquis, *non legitur.* Audi ergo Latinum: *Applaudo iis,* inquit, *qui austeram elegerunt vitam, & aquam continentiæ religiosæ pharmacum expostulant.* Et profectò monachi quondam austeram vitam duxerunt, inde à Latinis *Pœnitentes* appellati sunt. Nam olim si quis peccatum grave ac publicum commiserat, condemnabatur ab Ecclesia ad duram pœnitentiam certo tempore perficiendam. Sic *interfector sacerdotis per quinquennium* ex Triburiensi concilio, *à carne & vino debebat abstinere, & jejunare omnibus diebus exceptis festivis,* & plura alia, quæ sine dubio gravia sunt. Nihilominus fuerunt infiniti, qui sponte per omnem vitam ejusmodi S. Clem. l. 1. Pædag. c. 11. Concil. Tribur. c. 5. A. D. 859.


Digitized by Google

modi austeritatem susceperunt, vel amore pœnitentiæ virtutis, vel ut occulta abluerent delicta.

S.Basil. ep.1. ad Greg.

De his S. Basilius loquitur dicens: *Humilitas requirit, ut habitus sit neglectus, coma squalida, vestis sordida, ut quæ pœnitentes faciunt ex necessitate, à nobis fiat ex voluntate.* Quibus verbis S. Pater monachos inter *pœnitentes* recenset, sed *spontaneos*, qui se exercebant non in cœnobijs, sed privatim in proprijs ædibus, de quibus agit Concilium Barcinon. *Pœnitentes viri*, inquit, *tonso capite, & religioso habitu utentes jejuniis & obsecrationibus vitæ tempus peragant: nec epulis intersint; nec negociis operam dent in datis & acceptis; sed tantùm in suis domibus vitam frugalem agant.* Atque hoc ipsum est, quod S. Hieronymus monachos bipartitò dividit, scilicet in eos qui sub Præpositi regimine in communitate; & qui in ædibus proprijs singillatim vivunt. Nam cum ab initio statim tanta monachorum copia, non solum per Ægyptum, verùm etiam in Græcia esset, ut ex Philone & S. Dionysio manifestum est; monasteriorum autem usus infrequens, necesse utique fuit ut domi sua exercitia peragerent; neque enim gratæ solitudines ubique occurrebant, sicut in partibus Ægypti. Consentit in hoc mihi etiam S. Augustinus: *Abundant*, inquit, *hic* (in Africa) *pœnitentes.* Statimque distinctionem addit in eos, qui pœnitentiæ locum ipsi petierunt; & in eos qui excommunicati in gradum pœnitentiæ retrusi sunt.

Circa A. D. 578. c. 6. & 7.

S. Hieron. ep. 4. ad Rusticū.

S. Aug. serm. 144. Temp. c. 7

Et reverà si regulam, modumque vivendi pœnitentium spontaneorum penitiùs inspicimus, videbimus eos non alios, quàm monachos fuisse. Nam primò petebant, non trudebantur in ordinem pœnitentium, sicut hodiéque petimus admitti ad monasterium. Sic habes c. si ille d. 50. & in concilio Parisiensi III. Petebant autem non solum viri, sed & feminæ, quæ receptæ, dicebantur *Devotæ.* Viros passim religiosos appellat Salvianus, unde fortè etiamnum homines DEO per vota consecrati dicuntur Religiosi. Juvenes non facilè admittebantur; nec conjugati, nisi de consensu alterius conjugis ex concilio Aurelian. III. Petentibus etiam clericis hæc pœnitentia concedebatur ex concilio Arelat. Recepti benedicebantur à sacerdotibus, vt non semel tradunt concilia ex vsu antiquissimo, quo S. Areopagita præscribit benedicendos novitios monachos. Intererat tamen aliquid: nam his nostris pœnitentibus, ut sciretur

Conc. Tolet. XII. A.D. 681. c. 2. Conc. Barcin A.D. 599. can. 4. Et Aurel. III. A. D. 538. c. 16. Conc. Agath A.D. 506. c. 15 Conc. Aurel. sup. can. 24. A.D. 452. circiter can. 29. Conc. Barcin. Aurel. Tolet. citt. Dion. Areop. c. 6. de eccl. hierarch.

Digitized by Google

tur eos hanc arduam vitam suscipere intentione pœnitentiæ, cilicium ponebatur super caput, quo deinde involuebatur pectus, quod alijs monachis non fiebat.

Conc. Agath. sup. Pacian. paræn. ad pœnit.

Itaque à sacerdote sic benedicti, dicebantur *Consecrati*, vel *pœnitentiam professi:* exinde mutato sæculari habitu induebantur religioso, qui erat vestis pulla pœnitentibus competens. Viri insuper tondebantur emissis tribus votis, castitate, paupertate, & obedientia sub Episcopo. De castitate habes in concilio Barcin. A. D. 599. can. 4. *Sancimus, ut siqua virgo, propria voluntate, abjecta laicali veste Devotarum more induta castitatem servare promiserit: vel siqui hominum utriusq; sexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à sacerdote perceperint, & ad terrena connubia sponte transierint, ab ecclesiarum liminibus expulsi, ita ab hominum catholicorum communione sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquij consolatio sit relicta.* Et S. Ephraim: *O castitas*, inquit, *quæ non à Virginibus solùm, sed & ab iis, qui ad pœnitentiam conversi sunt, possideris, atq; excoleris!* De obedientia & paupertate habes in concilio Parisiensi sub Pipino, ubi statuitur, *ut ij, qui se* (ad pœnitentiam) *tonsurarunt, & nec in monasteriis vivunt, nec sub manu episcopi, sed habent pecunias, ab episcopis trudantur in monasteria.*

Conc. Aurel. sup. & Epaunen. c. 4. & 23. & Paris. sup. Conc. Barcin. sup. & Paris. III Tolet. IV. & XII. & Cõpéd. A. D. 833. &c. cum Annal. Franc. A. D. 833. S. Aug. serm. 58. Temp. Conc. Agath. Tolet. XII. VI. & III.

S. Ephr. serm. de castit.

A. D. 756. can. 11.

An non ergo, Josippe, hi pœnitentes tibi videntur esse monachi? Sed quia extra cœnobia utcumque in libertate vivebant, à mammona iniquitatis, alijsque vitijs sæcularibus facilè corrumpebantur: hinc eos propter avaritiam gravissimè exagitat Salvianus magni spiritus ac zeli doctor. Et S. Hieronymus de uno talium dicit. *Vidimus nuper, & planximus Croesi opes unius morte deprehensos, urbisq; stipes quasi in usus pauperum congregatas, stirpi & posteris derelictas. Tunc ferrum quod latebat in profundo supernatavit aquæ: & inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monstrata est.* Contra alia ipsorum vitia detonat Pacianus: *Quid dicitis*, inquit, *Pœnitentes? Vbi est vestra carnis interitus? An quod in ipsa pœnitentia lautiores semper inceditis, convivio farti, balneis expositi, veste compositi? Considerate nunc fratres quid in fine promisimus.*

Salvian. l. 2. de Avarit. S. Hieron. epist. 4.

Pacian. tom. IV. Bibl. SS. PP.

Atque hæ Josippe causæ sunt, cur hic Ordo Pœnitentium, seu domesticorum monachorum, in Ecclesia tandem interierit. Laxata vita id effecit conjectis impœnitentibus Pœnitentibus in cœno-

Digitized by Google

in cœnobia. Idipsum prorsus accidit & Virginibus Deo consecratis, quæ se in proprijs ædibus exercebant.

Rarò libertas mater esse virtutum solet: rarò novit stare in proposito; fertilissima mater malorum est. Pœnitentium nostrorum regula erat, *Flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolui; si quis ad balneum vocet, recusare delicias: si quis ad convivium roget, dicere: Quo mihi epulas? Cilicio pectus involuere, cineri incubare, jejunia sera meditari, deijcere mœroribus animum, sacco corpus involuere, cinere perfundere, macerari jejunio, multorum precibus adjuvari, à carne & vino abstinere, vel, si infirmitas postulasset, vinum in mensura bibere, sæcularia negocia non tractare, nec ad sæcularia reverti, in suscepta semel pœnitentia etiam timore mortis ad extremum usq; spiritum perseverare.* Hæc omnia an non sunt vitæ verè monasticæ nucleus, si sub regimine in cœnobio fiant? Quæ quia pœnitentes in suis ædibus non amplius observarunt, meritò sua libertate privati cœnobitis incorporati sunt.

Pacian. sup.

Ex Conc. Tribur. sup. & Cabilon. c. 35. A D. 813. S. Ephr. serm. de pœnit. Conc. Barcin. c. 6. Epaun. c. 23. Tolet. IV. can. 54. & VI. c. 7. & XII. c. 2. & XIII. c. 10 Tolet. III. & XII. cit.

Diu te detineo in appellationibus monachorum, sed contine te tantisper, dum ostendo eos etiam *Continentes* esse dictos, Græcè ἐγκρατεῖς. *Quàm multi,* inquit S. August. *Continentes in Ecclesia & monasteriis, victum & tegumentum commune habentes. Et in his ipsis professionibus multi fallaces.* Et alio in loco: *Sunt Continentes humiles, sunt & superbi. Usqueadeò autem Continentes homines plerumq; superbiunt, ut non solùm quibuscumque hominibus, sed etiam parentibus ingrati sint.* Concludit ex hoc, *Continentibus his expedire cadere, ut humilientur in quo se extulerunt.*

S. Aug. l. 5. cōt. Faust. c. 9. Serm. 53. V. D. c. 8.

Origenes eodem modo loquitur: *Quid autem dicam de Virginibus*, inquit, *aut de Continentibus, vel omnibus qui in professione religionis versantur? Nonne si quid inverecundum vel petulans, si quid protervum gesserint, arguit eos continuò Moyses, & dicit: Homo secundum ordinem suum incedat? Agnoscat igitur unusquisq; ordinem suum, & si quid dignum sit eo ordine quem suscepit, intelligat, & ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque ipsum, & habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione conveniat, ne audiat sibi à DEO dici: Quia propter vos nomen meum blasphematur inter Gentes.* Pulchra ad religiosos exhortatio, sive ad monachos, quos *Abstinentes* appellat discipulus S. Fulgentij. *Monasteriorum,* inquit, *suavissimos greges frequentius visitans,*

Orig. hom. 5. in Numer.

In vita S. Fulgent.

Digitized by Google

visitans, Servorum DEI mores propositúmq; discebat. Inter abstinentes nulla esse gaudia sæculi; sed nulla etiam tædia esse sentiebat. In summa abstinentia viventes videbat neminem calumniatorem timere, sed se invicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos ab omni posse abstinere concubitu.

Quid autem propriè sit continentia seu ἐγκράτεια, quam Clemens Alexandr. monachos vovisse docet, ex eodem intellige. *Continentia,* inquit, *neglectus est corporis juxta factam DEO professionem. Versatur non solùm circa cohibenda Venerea, verùm etiam circa omnia alia, quæ pravè desiderat anima, necessarijs non contenta. Continet præterea linguam, rerúmq; possessionem & usum; quin & harum concupiscentiam reijcit. Sobriè & religiosè vivere non tam docet, quam confert, cum sit virtus & gratia DEI.* Quomodo enucleatiùs statum monasticum describere potuisset? Clem. l. 3. Strom. init.

Inveniuntur tamen, qui per *Continentes* intelligunt non omnes utriusque sexus religiosos, sed vel tantùm viros, vel viduas à Virginitate. Vnde hi Virgines à Continentibus distinguebant. Ita Tertullianus ait: *Habet & Virgines, habet & Continentes diabolus & Marcion.* Et S. Athanasius: *Necesse est Virginem præstare talem Virginitatem, qualem professa est: & Continentem continentiam.* Item S. Greg. Nazianz. Tertull. l. de præscript. cōt. hæret c. 40 S. Athan. hō. de passion. Christi. S. Greg. tom. 2 fol. 151.

Ὁ μὲν ἀλλότριος εὐνῆς
Ἴσος ἀγγέλοις ὑπαρχέτω,
Ὁ δὲ τ' ἐγκράτειαν ἀσκῶν
Μετὰ παρθένων τετάχθω.

Expers thori, ait, *sit æqualis angelis: Continens verò locetur inter Virgines.* Ita præterea S. Augustinus dicit, Viduas se voto ad continentiam adstrinxisse, utpote amisso flore virginitatis. Cum enim impossibile sit à corrupta virginitate ad integritatem redire, DEVS, ait S. Epiphan. instituit ἐγκράτειαν seu continentiam. Immo hic idem S. Pater non omnes viros religiosos, ut multi alij, Continentes appellat; sed eos solos, qui extra monachismum DEO in continentia serviunt. Inter gradus ergo ecclesiasticos ponit principio Virginitatem, deinde monachismum, tertiò Continentiam, quartò Viduitatem, quintò monogamiam. *Horum autem,* inquit, *omnium corona & mater est Sacerdotium, quod ex Virginum ordine maximè constat. Quod si non ex Virginibus, certè ex monachis: si hi non sufficiunt, adduntur Continentes vel à vivis, vel à defunctis uxoribus, modò monogami sint.* S. Aug. l. de bono Viduit. S. Epiph. hæres. 59. In exposit. fid.

D Possem

Digitized by Google

Possem pluribus tibi demonstrare, quomodo monachi per excellentiam vocati sint, Servi & Famuli Dei, Sancti, Fratres, sed Epistola suum modum nimium excederet. Simus omne quod nominamur, & res non egebit demonstratione.

EPISTOLA VIII.

An, & cur vita monastica sit olim dicta Philosophia, & monachi Philosophi, cum effigie veri Philosophi.



Pud antiquissimos scriptores nihil Josippe frequentius invenies, quàm vitam religiosam nominari *Philosophicam*, seu *Philosophiam*, & monachos, seu generatim Religiosos, *Philosophos*. Sic Philo monasticam Essæorum vitam *Philosophiam* indigitat, idque constare ex eo, quod vocentur *Theurapeutæ*. *Versantes*, inquit, *sacra volumina dant operam philosophiæ, quam per manus à majoribus acceperunt*. At quibus putas majoribus, nisi Apostolis ac discipulis horum, quorum vita non minus, quàm Essæorum verissima fuit *philosophia?* An S. Jacobi religiosissima vita, quin philosophica fuerit, in dubium vocari potest? *Vinum & siceram non bibit; de nullo vivente comedit; novaculam super caput non admisit; oleo ad ungendum corpus usus non est*, quem Eusebius tradit à Judæis odio habitum. Sed cur? δι' ἀκρότητα ἧς μετιὼν κατὰ τὸν βίον φιλοσοφίας καὶ θεοσεβείας. *Quod usque ad culmen Philosophicæ vitæ, ac divinæ pietatis ascenderit.* Defunctis autem Apostolis plurimi erant de discipulis ipsorum, inquit, idem Eusebius, qui σφοδροτέρῳ φιλοσοφίας ἔρωτι, *vehementiori philosophiæ amore* succensi salutarem Dei jussionem prius implentes, egenis distribuêre substantiam. Vt scias, quòd implere Christi consilium, *Vade, vende omnia*, principium vitæ verè philosophicæ sit.

Philo de vita contempl.

Euseb. l. 2. hist. c. 23.

Idem c. 37. l. 3. hist.

Cùm S. Gregorius Thaumaturgus paulò diutiùs in studijs esset apud Origenem magistrum, (qui & ipse βίον φιλοσοφώτατον ducebat) erat apud suos cives summa expectatio, ardórque audiendi publicè quid profecisset. Inhiantibus ergo cunctis ad specimen, ipse edoctus magis calcare quàm amare fastum, plausúmque humanum, urbanam vitam deserit, desertúmque petens

S. Greg. Nyssen. in eius vita.

Deo,

Deo, sibique soli vacare cœpit. Hoc ejus studium, hic labor, hæc tota vita erat exercere virtutem, curisque ac rebus sæcularibus relictis, velut alter Moyses, mundo valefacere, nisi quod hic uxorem; Gregorius autem pro uxore solam sibi virtutem copulaverit: in hoc tamen pares, quod uterque vitam Anachoreticam sectatus infinitis miraculis claruerit. Quæ cum Phædimus Amasenus episcopus intellexisset, omnes vires adhibuit, ut eum ad se alliceret, & episcopum ordinaret, id quod ille sentiens, unam ex altera mutavit eremum, locáque solitudinis varians, cavit summo studio, ne deprehensus à Phædimo *Philosophiam* cogeretur abrumpere, nempe vitam anachoreticam.

At nemo vitam monasticam sub nomine *Philosophiæ* meliùs ac clariùs describit Sozomeno ad annum Christi 320. vel circiter. Sic enim ait: *Tum ÿ, qui monasticum vitæ genus excolebant, præ omnibus Ecclesiam illustrare; religionemq; Christianam, pÿs suis vivendi institutis magnoperè dilatare visi sunt. Talis siquidem Philosophia à Deo nobis concessa, res sanè perquam utilis est. Nihil illi curæ scientiarum varietas: ut inanes negligit Dialecticorum strophas & argutias, utpote melioribus occupata, à quibus per has facilè impediretur, vel certè nihil juvaretur. Itaq; sola naturali, & minimè curiosa prudentia contenta, docet vitia vel omninò tollere, vel saltem minuere. Quæ inter vitium ac virtutem interjacent, & indifferentia vocantur, inter bona non statuit. Eum autem solum recipit, qui bona amplectitur: inertem contrà & pravum, tametsi malum fugiat, si bonum non facit, aversatur. Omnem gloriam humanam despicit; mentis passionibus fortissimè resistit; necessitates corporales infractè contemnit, sic ut infirmitates nec etiam curet. Quippè divinæ mentis virtutem adepta ad omnium rerum conditorem interdiu noctúque intendit, eum colit ac veneratur; nec umquam cessat eumdem precibus & obsecratione placare. Et cùm semel animi puritate, pÿsq; vitæ actionibus Deum colere sit exorta, non immeritò profanas expiationes ac lustrationes aspernatur, rata verissimè solo se peccato contaminari. Quinimmò cunctis eventibus exterioribus altior, nec ullis perturbationibus, aut necessitatibus hujus vitæ à proposito recedit. Injuriis nec demittitur, nec ad ultionem erigitur; non morbi, non inopia necessariorum, eam deÿciunt; quin in his sibi placet, summumq; studiū ponit, ut in vita se exerceat in omni mansuetudine ac tolerantia, quò immortali DEO, quantum possibile est mortali homini, quàm proximè accedat. Præsenti in-*

Sozom. l. 1. hist. c. 12.

Digitized by Google

ſuper vita tamquam per tranſitum utens, neque angitur deſiderio rerum acquirendarum; neque eas ultra neceſſitatem procurat, ſed vitam ſimplicem, tenuemq; commendans aſpirat, & anhelat indeſinenter ad futuram felicitatem ac beatitudinem. Itaque dum incunctanter ad pietatem extenditur, fit ut execretur omnem turpitudinis notam, ut nec ad obſcœna quidem verba prorumpat, utpote propoſito ſuo contraria. Porrò neceſſitates naturæ in arctum contrahens, cogenſq; corpus paucis eſſe contentum temperantiâ libidinem, juſtitiâ vincit injuſtitiam, veritate mendacium, rectoq; ordine & ſtabili diſpoſitione medium in cunctis tangit. In concordia quoque & communione erga proximum adeò pie ſe gerit, ut omnibus provideat tam amicis, quàm peregrinis. Indigentibus omnia facit communia, ſingulis exhibet neceſſaria, nec hilaritate creat moleſtiam, nec triſtitia confundit miſericordiam. Paucis: hoc eſt omne eius Studium, ut ad curam veri boni ſe extendat, ſapienter dictis, & prudenter excogitatis alios inſtruat, & tamquam medicamentis auditorum animos ſanet, verba faciens debito cum honore ac verecundia excluſa omni adulatione, ira & contentione. Nam cum rationalis tota ſit, fit ut omnem motum irrationalem abſcindat, paſſionesq; ſive in corpore, ſive in animo reprimat. Initium hujus optimæ Philoſophiæ quorumdam opinione ab Helia Propheta, & Joanne Baptiſta fuit.

Nonne perſpicuum tibi nunc eſt *vitam monaſticam* quondam eſſe dictam *Philoſophiam*, quam ſi quis fuiſſet amplexatus dicebatur *Philoſophus*. Ἀνὴρ, ait Euſebius de S. Pamphilo, (Euſeb. l. 8. hiſt. c. 21.) καὶ παρ' ὅλον αὐτοῦ τὸν βίον πάσῃ διαπρέψας ἀρετῇ, ἀποταξει καὶ καταφρονήσει βίου, τῇ της ὐσίας εἰς ἐνδεεῖς κοινωνίᾳ, κοσμικῶν ἐλπίδων ὀλιγωρίᾳ, φιλοσόφῳ πολιτείᾳ καὶ ἀσκήσει. *Vir*, inquit, *qui per totam ſuam vitam omni erat ornatus virtute; qui ſuis contemptis, & abrenuntiatis cuncta pauperibus diſtribuerat mundanis ſpebus abjectis; converſatione namque & aſceſi Philoſophus fuerat.* (Idem l. 7. c. ul.) Eodem modò ſuperius hunc ipſum ſanctum martyrem in vita & actu *verum* appellaverat *Philoſophum*. (Lib. 8. c. 15.) Ædeſiumque quoque martyrem φιλόσοφον ἐν τρίβωνος σχήματι, *Philoſophum in detrito palliolo nominat.* (In vita Greg. Thaumat.) Sic etiam Gregorius Nyſſenus loquens de S. Alexandro Carbonario, qui genus, divitias, ſapientiam, aliaſque animi dotes & opes voluntaria carbonum fuligine obfuſcârat, φιλόσοφός, inquit, τις ἦν ὁ ἀνὴρ, ὡς ὁ μετὰ ταῦτα ἐγνώρισε, καὶ τῶν λοιπῶν ὑψηλότερος. *Vir erat*, inquit, *Philoſophus, ſicut ejus vita poſtmodum oſtendit, & quidem ceteris ſublimior.* Denique

S. Grego-

Digitized by Google

S. Gregorius Nazianzenus ait *apud Christianos esse multa millia Philosophorum utriusq; sexus per universum penè mundum, non modò de obscuro, sed etiam de illustri genere hominum olim in substantia, natalibus, ac dignitatibus sæculi, qui præbeant longè majora virtutum exempla, quàm umquam Philosophi Ethnici ediderunt.* S. Greg. Naz. orat. 3.

Antiquitùs enim genus hominum fuit, qui *à studio sapientiæ* denominabantur *Philosophi.* Inveniebantur passim non solùm apud Græcos, verùm etiam apud Barbaros; sub diversis tamen nominibus. Immò antiquitate & perfectione apud Barbaros erant priores. Nam cum vera sapientia potius consistat in rectè factis, quàm benè dispositis & ornatis verbis, Philosophi de Barbaria bonis exemplis & operibus alios ad virtutes magis trahebant, quàm Græci verbositati dediti. Hinc Calanus Indus Gymnosophista ad Alexandrum: *Ignis,* inquit, *corporibus vivis maximos dolores excitat non sine pernicie; hunc tamen nos despicimus, dum vivi comburimur. Nullus Rex, nullus princeps potest efficere, ut quidquam agamus præter animi sententiam. Non sumus Græcis Philosophis similes, qui diu meditatos sermones recitant in celebritatum conventibus: sed res à verbis apud nos non discrepant. Brevi momento & beatitatem & libertatem adipiscimur.* S. Aug. l. 8. Civit. c. 2. Idem l. 18. c. 24. 37. 38. 39. S. Clem. Alex. l. 1. Strom. Philo l. quod omnis probus liber.

Et hoc est, quod Aurelius Imperator ad novem Philosophos, quos Commodo filio instructores adjunxit, dixit: *Ego Commodum filium meum vobis trado, non ut loqui multa doceatur, sed ut ad actiones præclaras quasi manu ducatur. In eo quippe gloria Principis universa consistit, ut sit in actionibus accuratissimus, & in verbis circumspectissimus. Postquam adolescentes plurimos in scholis annos exegerunt, ingentesq; in studia pecunias parentes impenderunt, si modò filius disputare, & scitè loqui Latinè noverit, quamvis levis vitiosusq; sit, optimè collocata omnia pater existimat. Magis enim nunc ratio habetur Oratoris loquacis, quàm Philosophi vitâ præstantis. Olim ad Academias parentes mittebant filios, ut tacere discerent; jam verò eos mittunt, ut loqui discant. Tum discebant esse moderati: nunc discunt esse dissoluti. Et, quod est pessimum, ex academiis & gymnasiis, unde omnes prodibant sapientes ac pacifici, jam oratores tantum loquaces & seditiosi prodeunt, ut si sacratas leges semel in hebdomade legant litterati, decies eas uno die violent. Quid dicam? nisi quòd hodie summè vanis hominibus voluptati est videre filios aliis in disputando superiores. Verùm* M. Aurel. l. 5. declam. c. 6.

sic habetote, summa mihi gloria futurum, si Commodus ceteros non loquendo, sed tacendo: non insolenter agendo, sed pacificè vivendo: non verba argutè proferendo, sed opera praclara faciendo excelluerit: bonis enim viris gloriosum est multa agere, pauca loqui.

Sed habuerit hoc junior philosophorum in Græcia ætas, ut à pristina vera sapientia declinaverit. Veteres in austeritate vitæ, in opum contemptu, in consectandis virtutibus admodùm excellentes, & Barbaris inferiores nequaquam extiterunt. Laërtius scribit: *Olim nulli philosopho docere philosophiam licuisse, si vel unicum in peculio habuisset argenteum.* Vnde Silenus Philosophus à Myda captus, cum lytrum ab ipso peteretur, respondit: *Argentum vel aurum à Philosopho petere, quo se redimeret, aut scurrilem jocum esse, aut tyrannicam violentiam.* Isidorus Pelusiota narrat, Veterum consuetudinem fuisse post convivium lyram capere, & canere: *O divitiæ, utinam nec in terra videamini, nec in mari.* Inducit exemplum Aristidis, qui cum opes habere posset, ijs neglectis, adeò se paupertati dedit, ut publico sumptu efferri, ejusque filiæ dotari debuerint. Id quod similiter partim de Menemio Agrippa, partim de Scipione memorant Seneca & S. Augustinus. Addit Isidorus post Epaminondam Cratetem, qui bonis suis senatui traditis inquiebat; *Crates Cratetem libertate donavit.* Adijcere potuisset Anaxagoram & Democritum, qui præ amore philosophiæ prædia sua pecori compascua reliquerunt. Denique & Anacharsidem, cui cum Crœsus vim magnam auri per legatos misisset, respondit: *Aurum esse lydium lapidem, quo exploretur verus philosophus, utrùm seriò res caducas contemnat. Se jam sexaginta septem annos natum indignatione motum numquam fuisse, quàm cum vidisset tantas opes ad suos pedes deponi, in despectum vitæ philosophicæ. Itaque tuum*, inquit, *ad te aurum mitto, quod ad me misisti. Tuus verò legatus tamquam testis oculatus referet, quantæ tuum aurum offensioni fuerit universæ Græciæ: numquam enim vel auditum, vel visum fuit in scholam Atticam ingredi aurum: nam philosophis Græcis non solum habere divitias vitio daretur, sed etiam desiderium illarum præ se ferre vitio duceretur.*

Laërt. de vitt. Phil. l. 2. & 4.
Ælian. l. 3.
S. Isid. l. 2. ep. 146.
Senec. consol. ad Helvid. c. 12.
S. Aug. l. de oper. monach.
S. Isid. sup.
Philo l. de vita contempt.
Anachar. ep. ad Crœs.

Ex hac philosophica paupertate descendit ut ijdem vilissimis cibis ventrem satiarent, aquâ sitim extinguerent, peram pro penu, baculum haberent pro equo, & gladio, dolium pro domicilio. Quare ex tam tenui victu quid nisi philosophica effigies,

figies, & pallida facies nascebatur? *Numquam hoc Dij velint*, ait unus ex ipsorum majoribus, *numquam hoc schola Italica, Græcaq; sinant, ut sit philosophia refertus animus, ubi facies pinguis, & nitidum corpus est. Verus enim philosophus inter postrema habet curam corporis. Verus philosophus, ut & sit, & videatur philosophus, oculos habeat turbidos oportet, supercilia præusta, caput glabrum, malas depressas, faciem pallidam, corpus tenue, carnem siccam, pedes discalceatos, vestimenta vilia, cibum exiguum, vigilias multas. Deniq; vivat oportet ut Lacedæmonius, & loquatur ut Græcus. Insignia laudati ducis sunt cicatrices, & philosophi diligentis nota est asperitas. Æquè enim erubescere sapiens debet, si obesus & elegans dicatur, quàm dux, si timidus & ignavus.* Atque ex hoc ipso corporis neglectu promittebant barbam, & in orbem, ut ait Zonaras, rasi capillamento squallebant, lacerisque palliolis incedebant ac tunicis.

M. Aurel. Imp. ep. ad Epesip. nepotem.

Zonar. t. 2. annal.

Socratici volebant *omnia esse communia*. Indorum Gymnosophistæ à generando se cohibebant: nec Thales unus de septem sophis Græciæ uxorem ducere volebat, quò sinceriùs posset philosophari. Et cùm ditescere facillimè potuisset, maluit cum irrisione pauper esse. Quippe cum Aristide sentiebat; *illis tantummodò erubescendam esse paupertatem, qui inviti pauperes essent: Siqui verò spontè eam amplecterentur, eos inde gloriari posse*.

Guevar. l. 1. horol. c. 28. S. Aug. l. 15. Civit. c. 20. Laert. l. 1. vita.

Plutarch. cōparat. Aristid. cum Catone.

De refrenatione passionum ac dolorum victoria quid dicam? Cùm enim morali philosophiæ præcipuam impenderent operam, philosophi sanè esse non poterant, nisi vitia caverent, passiones frangerent, virtutes exercerent. Vnius vocem intellige ad tyrannum.

Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore: nam priùs vel sidera
Terram subibunt, terra vel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur vox tibi.

Philo. l. quod omnis sup. Hercules apud Eurip.

Anaxarchus & Zeno Eleates à tyrannis suâ naturâ sævis, & adversus se concitatis inaudita tormenta tanta facilitate superarunt, ac si ijs alij cruciati fuissent. Itaque alter sublimis pendens & distentus, ut arcanum proderet, ignis ferrique vim pervicit; præcisâque mordicus lingua, in tortorem eam expuit, ne vox invito etiam extorqueri posset. Alter verò stupenda verba protulit: *Tunde Anaxarchi follem: nam Anaxarchum ipsum non potes.*

Philo. cit.

Digitized by Google

potes. Quorum exemplis excitati ceteri plures minas, probra, maledicta, injurias facilè contempserunt, gnari *neminem lædi nisi à seipso*, & athletam ad quietem venire non posse, nisi devictis antagonistis, hoc est malis animi perturbationibus.

S. Chrysost. hom. ult.

Sed ne te diutiùs in vitis antiquorum philosophorum detineam, audi breviter ipsorum regulam & professionem ex epistola Anacharsidis ad Crœsum. *Si nescis*, inquit, *Crœse, discas oportet assuefacere nos in scholis Græciæ non imperare, sed parere: non loqui, sed tacere: non resistere, sed obedire: non cupere multa; sed exiguum boni consulere; non ulcisci offensas, sed ignoscere injurias: non rapere alienum, sed dare proprium: non affectare gloriam, sed sectari virtutem. Denique discere nos odisse, quæ ceteri amant, divitias scilicet; & amare, quod ceteri odère, nempe paupertatem.* Addit nonnulla in hanc rem M. Aurelius ad Pollionem. *Athenis*, inquit, *philosophi in tanta vivebant egestate, ut nudi dormirent humi, ac ne frigidam quidem ad satietatem biberent. Nullus eorum domum habebat propriam: pecuniam non secus ac pestem aversabantur. Pacis inter discordes conciliandæ studiosi, & reipub. amantissimi erant. numquam verbum loquebantur ociosum. instar erat sacrilegij inter ipsos dicere mendacium. denique lex inter illos erat sanctissima, ut philosophus ociosus relegaretur, vitiosus occideretur.*

M. Aurel. epist.

Hoc institutum quia nostri Religiosi per omnia sectati sunt in ecclesia primitiva, & omnino in multis transcenderunt, appellati sunt & ipsi *Philosophi*. Singillatim omnia in una epistola demonstrare prolixius foret; fiet tamen in subsequentibus prout materia poposcerit. Audiamus tamen tantisper Eusebium. Hæresis Saturnini gentem Christianam graviter infamaverat. Abolita est nota hæc, non scriptis, sed religiosa, sincera, continenteq; vita nostrorum philosophorum. Nulla enim ratio admittebat credere tam flagitiosè vivere tantam virorum multitudinem religiosorum, qui suis neglectis pro charissimis, conjugibus dico & liberis, & omni genere suo paupertatem colebant. *Quod si à discipulorum instituto* (adjungit Eusebius) *cognoscere velis magistrum, sunt adhuc infiniti verborum Iesu discipuli, virorumq; innumeri conventus, qui renuntiarunt corporis voluptatibus, servantes mentem incorruptam ab omni obscœna passione. Hi consenescentes in perpetua continentia divinæ institutionis splendida dant argumenta & signa. Nec solùm viri ipso duce sic philoso-*

Euseb. l. 4. hist. c. 7.

Idem l. 3. de monst. Evang. c. 3. & 6.

philosophantur, philosophantur & feminæ. Nec dici facilè potest, quot harum myriades sint per universum mundum. Hæ velut sacerdotes omnium Dei, amplexatæ cælestem sapientiam, captoq; amore supernæ philosophiæ, carnales liberos despiciunt, curamq; totam impendentes animo penitus se quà corpore, quà mente summo regi DEO se consecrarunt perpetua castitate & virginitate. Et Græci quidem magnificè jactant, ac circumspiciunt se, quod unum habuerint, qui relictâ patriâ amore philosophiæ eremum incoluerit, Democritum videlicet. Cratesq; ab ipsis in admiratione habetur philosophus, quod substantiâ suâ relictâ civibus, ipsus semetipsum Crates Cratetem in libertatem jactandi vendicasset. At nos non unum, aut alterum, sed multa millia afferre possumus, qui venditis bonis, pretiumq; in egenos distribuerunt, Iesuq; Christi sectatores effecti sunt. Vidimus ipsi, & versati cum ipsis sumus, fatemurq; ipsos non verbis, sed factis exequi, quæ didicerunt à suo Doctore Iesu. Rectè: neq; Senec. ep. 20. enim minus nostri, quàm Barbari noverunt, *Philosophiam docere facere, non dicere, aut si & dicere, verba rebus probare.* Siquidem S. Chrysost. hom. 1. in acta Apost. *nihil illo frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur: neque enim hoc philosophi est,* ait S. Chrysostomus, *sed histrionis & hypocritæ.* Aut si philosophi Gentium in hac excellentia se nostris perfectiores autumant, ostendant unum, qui teste veritate, semota omni jactantia, cum nostro Abbate Joanne suis testamenti loco Cassian. l. 5. instit. c. 27. dicere possit, *Numquam feci meam voluntatem; nec quemquam docui, quod prius ipse non feci.*

Sed video quid desideres. In specie scilicet unum ex nostris videre qui in forma & habitu Philosophum suprà descriptũ repræsentet. En ex infinitis Gordium centurionem tibi pro- S. Basil. hom. in Cord. duco. Hic visa atrocitate persecutionis Diocletianæ relictis omnibus fugit in imperviam solitudinem, ibique docente Spiritu sancto contemptâ vitâ profanâ jejunijs, vigilijs, precibus & continua sacrarum scripturarum meditatione sese exercitavit, atque his tandem armis sub Licinio in publicum prodijt contrà hostes Christianorum. In vultu totus silvestris erat, plus feræ quàm homini similis, capillamento squallenti ob diuturnam in montibus conversationem, barbâ promissâ, veste obsita, toto arefactus corpore, peram ferens & baculum. Et ne ab Anaxarcho minus haberet, tandem etiam vitam cum sanguine martyr Christi profudit.

Majores nostri, Iosippe, in nostris philosophis non le-

vius ornatum corporis detestati sunt, quàm Gentiles in suis.

S. Paul. ep. 7. & 13. ad Sever. S. Paulinus ex consulari prosapia humillimus monachus, quemdam fratrem ex tabula nostra philosophica erasit, monachumq; non esse credidit, quod *caligam monachalem, vestemq;* non portaverit; facie quoque non minus quàm armilausa rubuerit, buccis parum spiritualibus & religiosis. *Habeat*, inquit, *sibi ille armilausam suam, & suas caligas & buccas. Nos adeant, & revisant conservuli, & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles; nec chlamyde curta lini, sed sagulis palliati: nec balteo, sed reste succincti: nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte præirasi.*

S. Basil. hom. de fame & siccit. S. Basilius describit monachum, seu Christianum philosophum, *hominem egenum, subpallidum, discalceatum, nulla familia, domoq; munitum, inopem, una vestitum tunica, ut Eliam melote, orationibus innutritum, continentiæ convictorem*, quales prorsus erant monachi Sytrienses sub S. Romualdo. *Omnes*, inquit Da-

In vita S. Romual. mianus, *nudis pedibus incedebant, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti. Nonnulli verò obseratis januis clausi, velut in sepulchro jam positi, ita mundo mortui videbantur. Vinum nemo ibi noverat, nec si etiam gravissimam quis ægritudinem pateretur.* Vbi inter Ethnicos ostendes mihi simile collegium philosophorum?

Orat. 3. S. Gregorius Theologus monachos appellat *investes, & penè excarnes, atq; exangues, ac per hæc Deo propinquos.* Item *illotos pedibus, & humicubitores, omnibus inferiores, & tamen super omnia; qui inter homines & supra humana: vinctos, sed liberos: victos sed invictos; quibus nihil in mundo, sed cuncta supra*

Orat. 12. *mundum; quibus psalmodia angelica, noctes statariæ, vigiliæ, jejunia, preces, lachrymæ, callosa genua, quibus squallens & sordidum capillamentum nudi pedes ad imitationem Apostolorum, ut mortuum nihil in se ferant, tonsura proportionata, vestitus fastum castigans, cingulum inornato ornatu modicè tunicam constringens, ut tantum non omnino fluat, gressus gravis & modestus, oculus non vagus, subrisio levis, immò subrisionis vix nota: pullum palliolum, pallor in*

Orat. 14. *vultu, vox composita & quieta.*

Carm. 59. *Barba tibi sit longa, tibi pro tegmine saccus.*

Idem orat. 4. Atque his de causis Julianus Apostata deridet monachos, quod *longis jejunijs consumpti ac vix jam semianimes sint, quod*

frustra

frustra vigiliis se discrucient, quod stationibus totarum noctium insaniant.

Sed quid ad nos derisor hic? Satis est Josippe quod videas, quàm meritò nostris monachis tributum sit nomen Philosophi. Eadem facies, idem habitus corporis, idem virtutis studium, idem contemptus opum, vitæ & mortis, idem institutum & regula morum eamdem contulit appellationem. Vnica fides, & cultus verus veri Dei discrimen fecit, quo factum, ut cum nostri maximè florerent, ipsi superstitionis justa mercede delerentur. Invidentes enim nostrorum profectibus, cum in locum Valentis Imperatoris magicis artibus ad imperium conarentur evehere Theodorum, Gentilem hominem, in aula satellitem, deprehensi in facto jussu Valentis per totum imperium interempti sunt: sic ut periculum capitis subiret, qui solum habitum ipsorum portasset, etsi philosophus non fuisset. quo factum, ut nemo de Gentilibus *crocotam* amplius, aut *pallium* indueret. Vnde S. Augustinus ait, suo tempore Philosophos Ethnicos non amplius fuisse. Manserunt igitur apud nos, quamvis leges utcumque defecerint: Si enim nostris temporibus omnes ociosi relegari, vitiosi occidi deberent, quanta strages esset! Sed sapienti pauca.

Sozom. l. 6. hist. c. 35.

S. Aug. epist. 113.

EPISTOLA IX.

Effigies sacræ Philosophæ, seu Ascetriæ.



Delectaris antiquitatibus, & accepta effigie veteris Christiani Philosophi, petis à me imaginem quoque antiquæ Philosophæ. Intellexisti enim ex Gregorio Theologo, olim & feminas esse philosophatas in ecclesia. Verum est: Nec minus suam Philosophiam ostenderunt in refrenatione passionum, in rerum temporalium contemptu, in consectandis & exercendis virtutibus, quàm sexus alter. Vt si vel dormientem ejusmodi Virginem conspexisses, philosopham agnovisses. Nam audi quid de ijs dicat Tertullianus ad uxorem: *Et tu adversus consilia hæc adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ maritis sanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere; Deo speciosæ, Deo sunt puellæ.*

Tertull. l. 1. ad uxor. c. 4.

Digitized by Google

Cum illo vivunt; cum illo sermocinantur; illum diebus & noctibus tractant. Orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescumq; desiderant consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo de familia angelica deputantur. Talium exemplis feminarum ad æmulationem te continentia exercens spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis.

S Hieron. ep. 26.

De Paula & Eustochio sacris feminis S. Hieronymus narrat, *quod quibus antè serica vestis oneri erat, nunc sordidatæ & lugubres vel lucernas concinnent, succendant focum, pavimenta verrant, mundent legumina, olerum fasciculos in ferventem ollam dejiciant, apponant mensas, calices porrigant, effundant cibos, huc illucq; discurrant.*

Pallad. in Laus. c. 39. In vita S. Euphrax. c. 6. Lib. 1. Vitt. PP.

His similes aut etiam meliores fuêre innumeræ. De uno Tabennensi monasterio simul quadringentas ferè exhibeo. Inter quas omnes *nulla gustabat vinum, nulla pomum, aut uvas aut ficus, aut aliquid hujusmodi bonorum, quæ terrena nascuntur ubertate. Quædam earum abrenuntians sæculo, neque oleum edere volebat; quædam à vespera, usq; ad aliam vesperam jejunium protrahebat: aliæ post biduum edebant, aliæ post triduum. Nulla earum pedes abluebat: aliquantæ verò audientes de balneo loqui irridentes confusionem & magnam abominationem se audire judicabant, quæ neque auditum suum hoc audire patiebantur. Vnaquæque verò stratum in terra habebat ciliciumparvulum unius cubiti latitudinis, & trium longitudinis, & paululum in ipsis requiescebat. Erant autem & vestes earum de cilicio usque deorsum obstringentes pedum extremitates. Quantum poterat quæque laborabat. Et cum aliquam earum aliquando contigerat infirmari, non ei fomentum, aut adjutorium aliquod medicinæ conferebatur: sed siquam contigisset ægrotare, tamquam maximam benedictionem à Deo accipiebat, & tolerabat languorem, donec eam medicina Dominica præveniret. Nulla earum januas exibat: erat autem janitrix, per quam responsa omnia fiebant, matura, multaq; sanitates ibi fiebant.*

An non hæ tibi germanæ Philosophæ? Quarum vitam etsi reliquæ tam rigidè per orbem non ubique sint imitatæ; nulla tamen fuit ex omnibus, quin suam philosophiam extrinsecis signis exhibuerit. Hinc cibus ipsis vilior, & plerumque ex olusculis & leguminibus, multum si pauco oleo conditis. Vestitum eis-

S. Atha-

Digitized by Google

S. Athanasius præscripsit. *Substantia,* inquit, *vestium tuarum non sit pretiosa. Superior tunica sit nigra, colore nativo & congenito. Velamen capitis sit ejusdem coloris cum tunica, sed absq; fimbriis. Manicæ laneæ usque ad digitos per brachia protendantur. Crines capitis sint decurtati; frontale laneum constringat caput: accedat & palliolum super humerale cum cuculla.* S. Hieronymus quoque eis *pullas tunicas* præscribit, *furvaq; palliola depositis linteaminibus, & auri ornamentis,* quo habitu vestitam fuisse sanctam Euphemiam demonstratur ex Asterio Amaseæ Episcopo. S. Athan. l. de Virg. S.Hier. ep. 11. In actis Concil. VII. Oecũ.

Vin' plura? Audi ex S. Juone ipsarum regulam in communi. *Christi Virginem,* inquit, *primùm decet cordis humilitas, facies pallida, macieq; confecta, cutis cilicio squalida, non balneis frequentibus accurata. In loquendo sit verecundia, in audiendo obedientia, in cibo parcitas, in potu sobrietas, in incessu gravitas, in veste vilitas, ut in his omnibus non voluptati serviatur, sed necessitati. Sicut enim domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic religiosæ mentis habitus his signis foris agnoscitur.* Et S. Basilius ad lapsam: *Recordare,* inquit, *professionis, quam emisisti coram DEO, angelis, & hominibus. Recordare religiosæ congregationis, & sacri chori Virginum. Vbi habitus nunc ille tuus religiosus? ubi gratiosi illi tui mores? mensa abstinentiæ, vestis vilis, & decens Virginem, rubor ex verecundia, pallor ex abstinentia & vigiliis omni colore jucundior?* Et certè de sua sorore Gorgonia narrat S. Gregorius Nazianz. quod hæc unica ejus pulchritudo fuerit, *incomptam & inornatam extitisse.* Vnde S. Clem. Alexandr. *Non est ornanda facies hominis exterioris, sed anima bonis operibus. Quamvis & caro possit ornari, sed cultu continentiæ. Quæ verò neglectis interioribus cutem solent excolere, seipsas nesciunt. Studium enim hoc non sacræ Virginis, sed adulteræ est. Nam sicut fugitivum servum produnt stigmata, sic floridus vultus adulteram.* Rectè proin' totam sacram Virginem his versibus depingit S. Gregorius philosophicæ vitæ sectator ingenuus, S. Iuo ep. 10. S. Basil. ep. ad Virg. lapsam. S. Greg. orat. funebr. 11. S. Clem. l. 2. Pædag. c. 2.

Tum mæsto vultu, atque hirsutis horrida pannis, S. Greg. carm. 2.
Infirmis membris, macie confecta, pedesq;
Nuda, solo fixis oculis immobilis hærens
Virginitas.

Et iterum,

E capite extracto clam sese obvelet amictu, Carm. 3.

 Detri-

Digitized by Google

Detritas etiam vestes venerare, caputq;
Deliciis vacuum, & luxu, non serica fila.
Vinum Virginibus probrum est obscœnius ira.

Petulantes linque cachinnos
Lætitiamq; vagam faciunt quæ corpore quæstum.
At tibi solvatur leni gena candida risu
Purpureusq; rubor confestim gaudia fallat.
In manibus tibi sint radij, sit candida lana.
Mortua sis cunctis aliis.


Exhort. ad Virg. Denique ait, *Habitum pauperem & comam squalentem in sacra Virgine esse omni margarita & serico pretiosiorem. Virgo,* inquit, *etiam castorum virorum conspectum fugiat. Necessitati satisfaciat frustulum panis, & modica cellula: non enim melior es avibus obvium comedentibus.* Hinc S. Ambrosius valdè deplorat (S. Ambr. exhort. ad Virg.) suo tempore repertas esse Virgines professas studium castitatis non paucas, quæ affectarint adminicula pulchritudinis, ut comptiores prodirent nitidiore vultu, quàm sacras Domini decet. *In vobis*, inquit, *rejecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est.* Vale mi Josippe, & quia pingendi arte satis clarus es, ex his duabus epistolis mihi delinea veteris ævi sexus utriusque philosophos. Horrebunt boni typum ab archetypo in tantum deflexisse. Pallor in vultu, macies in corpore, vilitas in veste, squalor in coma contemnitur hodie, nemoque in victu lautius tractari desiderat, quàm qui minimè debet. S. Hieronymus nostros veteresque mores per Jovinianum graphicè describit. (S. Hieron. l. 2. contr. Iovin.) *Antè*, inquit, *nudo eras pede* (quod erat prisci philosophi) *modò non solùm calceato, sed & ornato* (quod nostri est.) *Tunc pexa tunica, & nigra subucula vestiebaris, sordidatus & pallidus, & callosam opere gestitans manum; nunc lineis & sericis vestibus, & Atrebatum & Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, coma in occipitium, frontemq; tornantur; protensus est aqualiculus, insurgunt humeri, turget guttur, & de obesis faucibus vix suffocata verba promuntur.* (Idem, l. 1.) *Reprobantur jejunia, & qui comedit præfertur jejunanti, nec ulla putatur distantia inter aquæ viniq; potum, & minoris æstimatur, qui herbas, poma, legumina comedit, quàm qui subtilissimas carnes, pisces, ac sorbitiunculas incentiva libidinum.* Sed satis de hoc, mihi dolet stomachus.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA X.

Monachorum divisio in Cœnobitas, & Eremitas.



Ametsi Monachi nomen à Scriptoribus diversimodè accipiatur, ut tibi nuper ostendi: à religiosis tamen Clericis numquam non distinctus erat monachus; non quidem ratione votorum, aut studio perfectionis, sed vitæ quiete: Quippè monachus ex vi sui nominis sibi soli; clericus alienæ saluti primario fine invigilat. Hinc vita illius contemplativa, hujus activa dicitur. Sed nosse te volo, etiam *vitam monachicam* à sui exordio *divisam fuisse in activam & contemplativam.* Qui sub Prælati regimine in congregationibus operam navabant evellendis vitijs, cicurandis affectibus inordinatis, implantandis virtutibus, dicebantur agere vitam activam: qui verò in his exercitati ad perfectionis gradum pervenisse censebantur, hi sæpè relictis cœnobijs secedebant in solitudinem divinis vacaturi contemplationibus, dicebantur esse in vita contemplativa. Sicque inter monachos emersit discrimen, ut illi à vita communi activa vocarentur *Cœnobitæ*: hi à secessu, vitaque solitaria & contemplativa *Anachoretæ* seu *Eremitæ*. Epist. 6.

Vtriusque vitæ officium magnificè describit sive Prosper, sive Pomerius de vita contemplativa dicens: *Ad activam vitam pertinet inter humana proficere, & rebelles corporis motus rationis imperio temperare: ad contemplativam supra humana desiderio perfectionis ascendere, & indesinenter augendis virtutibus incubare. Habet activa profectum; contemplativa fastigium: hæc facit hominem sanctum; illa perfectum, hujus vita est, nulli prorsus injurias irrogare; illius irrogatas æquanimiter sustinere. Immò ut propriùs dicam, executor activæ studet in se peccanti dimittere; contemplativæ sectator offensas, quibus pulsatur, nec omninò concutitur, ignorare magis paratus est, quàm donare. Iste iram patientiæ virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parsimoniæ frænos imponit, tangitur desideriis carnalibus, nec consentit; pulsatur mundi hujus curiositate, nec rapitur; quatitur diabolica impugnatione, nec vincitur, & DEO suo subjectus devota mente non* Auctor de vita contempl. l.1.c.12.

atteri-

atteritur diversis tentationibus, sed probatur. Ille omnes affectiones, quibus vita mortalium variatur, sanctis virtutibus vincit, cupiditatum ac perturbationum omnium liber beata quiete perfruitur, & illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior ineffabili gaudio divinæ contemplationis erigitur. Iste suscipiendo peregrinum jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, & vitam suam bonorum operum fructibus ditat: ille facultatibus suis in usum pauperum distributis simul se expoliavit mundo, & admovit se totis virtutibus cælo. Activa vita habet solicitum cursum; contemplativa gaudium sempiternum: in hac acquiritur regnum; in illa percipitur: Hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus januam; illa vocat consummatos in patriam: In hac contemnitur mundus; in illa videbitur DEVS. Et ut multa prætercam, quæ commemorare non valeo, in hac vita activa qui immundis spiritibus extiterint fortiores, in illa contemplativa, quæ summè beata est, remunerante DEO fient angelis sanctis æquales, atque in æternum cum illo regnabunt in illa civitate superna felices.

Cassian. collat. 14. c. 1. Cassianus brevissimè *actualem in emendatione morum, & vitiorum purgatione; theoricam in cognitione rerum divinarum, & sacratissimorum sensuum ponit.* Illam *Cœnobiticam* appellat, hanc *Anachoreticam & contemplativam DEI.* Nec tamen necesse est, ut ij qui vitijs & affectionibus, utcumque purgati, virtutibusq; exculti sunt ad ducendam vitam contemplativam confestim à monasterijs in solitudines secedant. Habent & monasteria suas cellas in quibus contemplationibus subinde vacari potest, majorque perfectio est inter negotia mentem ad Deum elevatam conservare posse, quàm cum remoti ab occasionibus tentationum ac turbarum in eremis consistimus. Vnde etsi Collator difficile censeat ab uno monacho posse duci vitam practicam, & theoricam, attamen ait *Serapionem, Moysen, Paphnutium, duos item Macarios in utraq; professione ita perfectos extitisse, ut cum ultra omnes eremi accolas secedentes insatiabiliter secreto solitudinis pascerētur, quantum in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana consortia. Nihilominus frequentiam ac fragilitates concurrentium ita eos sustinuisse, ut cum ad ipsos visitationis vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam jugem penè susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerasse adeò fortiter, ut nihil aliud vel didicisse vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crede-*

Præfat. ad collat.

Idem collat. 19. c. 9. & coll. 1. c. 1. Collat. 10. c. 7.

Digitized by Google

crederentur, quàm ut communibus tantùm officiis deservirent, ita ut apud cunctos esset ambiguum, in qua potissimum professione eorumdem major esset industria, id est, utrùm in illa eremitica puritate, an in ista conversatione communi magnanimitas eorum mirabilius aptaretur.

In utraque præterea S. Basilium non modò excelluisse, verùm etiam unam ex utraque composuisse docet S. Gregorius, *ne* scilicet *vita solitaria incommunicata, & vita communis ac practica sine quiete solitudinis esset.* Ergo tertium inde inter monachos vitæ genus exortum est, quod S. Augustinus appellat *Mixtum,* & singulis prioribus duobus anteponit.

S. Greg. Naz. orat. funeb. in S. Basil.

S. Aug. l. 19. Civit. c. 1. & 19.

Vita solitaria à Nazianzeno Theologo *Prorsus monadica* dicitur & *absque ulla societate*, exercerique ab ijs, qui sibi solis Deoque colloquuntur, reputantes id solum esse mundum, quod spacium in solitudine cognitum habent. *Alij vicissim*, inquit, *legem charitatis communione miscent ac sociãt simul & solitarij, & migades, monachi scilicet & cœnobitæ, qui quidem defuncti hominibus, & rebus huius mundi, quæ suis strophis, vexationibus ac mutationibus nobis facessere negocium possunt, ipsi sibi mundus sunt, dum unus alterum suo exemplo ad virtutem extimulat.*

In vita S. Athan.

Ex quibus omnibus te facilè cognoscere existimo Cœnobitas Anachoretis esse paulò antiquiores, cùm hi apud illos exculti sint, à quibus & secessionem ad loca secreriora fecerunt, unde *Anachoretæ,* hoc est *Secessores* dicti sunt. Primum monachorum genus, inquit Cassianus, est *Cœnobitarum,* qui scilicet in congregatione pariter consistentes unius senioris judicio gubernantur, cujus generis maximus numerus per universam commoratur Ægyptum, estque non modò tempore, sed etiam gratiâ primum, ex cujus fecundissima radice *SS. Anachoretarum* flores, fructusque prolati sunt: hi enim priùs in cœnobijs instructi, jamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegêre secreta. Idipsum docet S. Hieronymus, *Ad tertium,* inquit, *genus venio, quos Anachoretas vocant, qui & de cœnobiis exeuntes, excepto pane & sale ad deserta nihil perferunt amplius, quorum laborem & conversationem in carne non carnis alio tempore, si volueris, explicabo.* Denique S. Ephraim inter Eremitas numerat, non solùm eos, qui vastas solitudines incolunt, sed & qui prope castella & vicos in separatis cellis habitant, ex quibus postmodùm *Inclusi* originem traxerunt. Sit ita; habeant suos gradus

Cassian. collat. 18. c. 4. 5. 6.

S. Hieron. ep. 22.

S. Ephr. paræn 42. & 47

Digitized by Google

Eremitæ seu Secessores, cum etiam in Cœnobitis *magis & minus* quotidiè conspiciamus.

EPISTOLA XI.

Cœnobitica vita, an Eremitica præstet.



SI per vitam eremiticam, Josippe, intelligis vitam contemplativam, quam epistola hesterna tibi descripsi, insanus sim, si eam postponam activæ & cœnobiticæ. Maria optimam partem elegit, quid adhuc requiris? Et utique adhærere Deo longè melius est, quàm nondum. Denique per activam tendimus ad contemplativam, tamquam per dispositionem ad formam. Qui est ergo, inquis, quod SS. PP. plerumque vitam communem seu cœnobiticam anachoresi præponunt! Verum dicis: sed in Anachoreta tunc non respiciunt illam perfectionis altitudinem, quam S. Prosper; sed vitam merè solitariam, docentque longè melius esse homini in sancta societate cum fratribus, quàm segregatum cum bestijs vivere. *Væ soli; quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Si dormierint duo, fovebuntur mutuò, unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.* S. Basilius etsi doceat ad indistractiones mentis, & ad puritatem orationis requiri, ut te ab alijs separes κατὰ τὴν οἴκησιν quoad habitationem; per hoc tamen amplius haud vult, quàm ut vel propriam cellam habeas, vel ut à prava societate te segreges. Nam alibi disertè multis rationibus probat vitam cœnobiticam præstare anachoreticæ. *Ibi,* inquit, *unus alteri subvenire potest; hìc quivis contra charitatem quærit quod suum est. In anachoresi nulla est correptio, nulla mutua excitatio, ac proinde morum nulla correctio: nec nudus vestitur, aut similia præstantur, vita ergo* ἀεργὸς καὶ ἄκαρπος *ociosa atque infructuosa est; nec ulla bonorum participatio, aut gratiarum divinarum communicatio, ut in cœnobitica vita. Præterea in conversatione solitaria non est tanta securitas ab hoste, non tam festina sui collectio à lapsu, non tanta materia, sed potius carentia virtutum: quo enim alterum superabis, ubi non est. Cùm verò in congregatione vivitur, exacuuntur studia virtutum ex æmulatione. Quid ergo tali vitæ comparandum? quid beatius? quid conjunctione hac sinceriùs? quid*

Luc. 10. Eccli. 4. S.Basil. in reg. fusior. q. 6. q. 7. Idem in ascet. c. 18.

quid morum & animorum conspiratione gratiosius? Homines ex diversis generibus ac regionibus orti, ad tantam identitatis sinceritatem coaptati sunt, ut una anima in multis corporibus conspiciatur, & multa corpora unius animæ instrumenta credantur. Tales nos ab initio Deus esse voluit: hi sinceri imitatores Salvatoris, & vitæ ipsius in carne existunt. Hi angelorum vitam imitantur.

Ejusdem opinionis fuit germanus Basilij frater Gregorius Nyssenus, vitam philosophicam ornatum Ecclesiæ prædicans, maximè eam quâ communiter & gregatim vivitur, dum unus alterum suo exemplo & adhortatione ad virtutem extimulat. S. Gregorius Nazianz. etsi aliquando dixerit, *Quæ præferenda est, actio an theoria? Hæc est adultæ mentis, illa plurium: ambæ tamen sunt laudibus dignissimæ, ad quam aptiorem te vides, arripe:* Alijs tamen in locis præfert vitam communem, laudatque Heronē quod cernens philosophiam domitricem passionum aliam esse solitariam, aliam cœnobiticam, ad hanc se potius ut perfectiorem converterit, ut quæ & alijs prosit. Vnde nervosissimè S. Bernardus moniali eremum desideranti dixit: *Si de fatuis virginibus una es, congregatio tibi necessaria est: si de prudentibus, tu congregationi. Sancta es? Stude tuo exemplo tuas socias acquirere sanctitatis: Peccatrix es? noli addere peccata peccatis.*

Hom. 7. in Cant.

In carm. fol. 156.

Carm. 46. Orat. 21.

S. Bern. ep. 115.

Certè multa SS. Patribus semper displicuerunt in Anachoretis, quæ in communi vita non reperiebantur. *Anachoretis*, inquit S.Ephraim, *omnia licent, sed non omnia expediunt: cœnobitis autem a legitima & apostolica regula paupertatis & obedientiæ declinare nefas est.* Anachoretæ solliciti erant in crastinum, unde & pecunias habebant; cœnobitæ nequaquam. Anachoretæ infinitis sæpè premebantur angustijs, tentationibus, infirmitatibus absque solatio, sic ut sæpè mentem perdiderint, secus cœnobitæ. Testimonium ipsius Anachoretæ est: *Audivimus à Patribus, Bona esse cœnobia, maximè juvenibus.*

S. Ephr. ad hort. 1.

Ruffin. l. 2. vit. PP. n. 69. Pelag. l. 10. n. 93. S. Ephr. par. 50. 24. & 28.

Non est illepidum quod Ruffino narrante didicimus. Quidam frater, inquit, dum esset in cœnobio, & frequenter ad iram moveretur, dixit ad semetipsum: Vadam in solitudinem; & cùm non habeam, cum quo litigem, forsitan conquiescet à me hæc passio. Cum autem egressus esset, & mansisset solus in spelæo, quadam die cum vas aqua replesset, & posuisset in terram, subitò versatum est. Cumque tertia vice replesset, ac similiter contigisset, arrepto ipso vase fregit illud iratus. Cùm

Ruffin. cit. n. 98.

Digitized by Google

autem ad se reversus fuisset, cogitabat, quia à spiritu iracundiæ esset deceptus, & dixit: Ecce & solus sum, & tamen ab iracundia victus sum. Revertar in cœnobium; quia ubique pugna opus est & patientia, & maximè DEI auxilio. Et ita exurgens reversus est ad locum suum, ad scholam nempe virtutum sub magisterio doctissimorum instructorum, qui cum in silvis & solitudinibus non sint, meritò etiam S. Augustinus cœnobia præfert eremi tugurijs, & speluncis.

S. Aug. expo sit. psal. 99.

Ruffin. n. 141.

Venio nunc ad visiones & revelationes Domini. Quidam ex patribus in extasi positus vidit quattuor ordines ante DEUM. Et primus quidem erat hominum infirmantium, & gratias agentium DEO. Secundus verò eorum, qui hospitalitatem sectantur, & in hoc stant, & ministrant. Tertius verò illorum, qui solitudinem sectantur, & non vident homines. Quartus verò illorum, qui propter DEUM & obedientiam soliciti, & subjecti sunt patribus. Erat ergo illis tribus ordinibus hic ordo superior, qui obedientiam exhibebat, & utebatur torque aurea, & majorem gloriam præ ceteris possidebat. Dixit autem senex ei, qui sibi hoc in extasi demonstrabat: Quare hic ordo quartus majorem ceteris gloriam habet? Ille autem respondit ei dicens, Quia isti alij omnes habent aliquam requiem adimplēdo, quamvis in bonis operibus, voluntates suas: obediens autem propriam voluntatem relinquens pendet in patris voluntate jubentis, & ideo majorem præ ceteris gloriam est sortitus. Quæ visio, ut narrata Abbati sancto Pamboni est, adjecit: *Tales enim viri Confessores sunt, si ita ad finem usq; permanserint.*

Pelag. l. 14. n. 8.

Habes ergo cur SS. PP. censuerint meliorem esse vitam cœnobiticam anachoreticâ, & solitariâ, si spectetur utraque ut via ad perfectionem. Sub magistris faciliùs proficimus. Abbas Pœmen seu Pastor neutram præstare decrevit alteri, nisi monachus in omnibus se reprehendat. Vnde & S. Ephraim utriq; præscribit humilitatem. Quod si tamen mentis quies, quam Solitarius potissimum affectat, conjungi possit cum obedientia cœnobitica, procul dubio evadet *vita mixta* omnium perfectissima. Sicut hodie plures ordines regularium clericorum sunt in Ecclesia, quorum vita ex alia radice mixta dicitur, quia conjungunt activam vitam Marthæ cum contemplativa Mariæ, dum contemplata privatim, ut S. Thomas loquitur, alios in salutem docent, & prædicant publicitùs, in docendo superiores mona-

Ruffin. 110.

S. Ephr. ad hort. 1.

S. Thom. 3. p. q. 40. art. 1. ad 2.

monachis, in contemplando clericis. Quam vitam S. Eusebius Vercellensis introduxit in suam ecclesiam, quo tempore religiosus status in clero vacillare cœpit. Denique de S. Athanasio quoque S. Gregorius refert, quod cum ex officio vitam ageret activam, persecutionis necessitate ad monachos confugerit, cum quibus vivebat mediator existens, & reconciliator quasi aliorum, sectans illum qui suo sanguine pacem intulit discrepantibus. Itaque in cœnobio constitutus consociavit suam pristinam & κοινωνικὸν, hoc est communem cum suis clericis vitam cum monastica, demonstrans & episcopalem dignitatem philosophiam non excludere, & hanc à sacerdotali instructione pendere & perfici. Vtrumque ergo copulans atque adunans actionem quietam, & quietem activam docuit vitam monachorum potiùs consistere in constanti morum, mentisque conformitate, quam in secessione corporali.

S. Ambr. l. 10. epist. 82. S. Maximus hom. 59. S. Greg. Naz. de laud. S. Athan.

EPISTOLA XII.

Vita cœnobitica pulchrè describitur.



Nterrogas, an non in antiquario meo sit idea, quæ ad vivum communem vitam repræsentet. Est omnino, nec dubites, quam & monstrabo, si priùs audieris ex magno Basilio quid sit vita cœnobitica. *Societatem,* inquit, *vitæ perfectissimam appello ego, in qua possessionis proprietas exterminata est, & animorum diversitas fugata, à qua, inquam, absunt lites, contentiones, & universa turbatio: cuncta verò communia habentur, etiam anima & voluntas cum corporis curatione. Communis præterea Deus, communis pietatis negotiatio, communis salus, communia certamina, communes labores, communes coronæ; multi unus, & unus non unus, sed in pluribus. In hac vita qui infirmus est corpore, multos habet affectu simul ægrotantes. Qui animâ ægrotat, ac concidit, multos habet, qui sanent & erigant ipsum. Inter se mutuò æqualiter servi, æqualiter domini, & in libertate inexpugnabili sinceriorem servitutem inter se vicissim declarant: quam vim non calamitatis necessitas induxit, quæ multam affert his, qui eâ apprehensi sunt, tristitiam, sed mentis liberum arbitrium cum lætitia produxit, charitate liberos inter se mutuò subjugante, & libero arbitrio suam libertatem servante.*

S. Basil. in Ascet. c. 18.

Tales nos ab initio Deus voluit esse, & ad hæc creavit. Hi vetus revocant bonum, primi parentis Adæ peccatum occultantes: divisio enim & dissensio ac bellum non essent inter homines, si peccatum naturam non divisisset. Post quæ S. Pater subjungit Christum hanc vitam non solùm introduxisse, sed etiam cum discipulis egisse, id quod pridem Sybilla prævideratﾠ, dum dixit.

Redeunt Saturnia regna.

Iustin. hist. l. 43. Nam ut ex Justino noveris, Italiæ cultores primi Aborigenes fuêre, quorum rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse dicitur, ut neq; servierit sub illo quisquam: neque quidquam privatæ rei ullus habuerit, sed omnia communia & indivisa omnibus extiterint, ac si cunctis unum fuisset patrimonium. Atque hac de causa illa tempora sunt vocata *aurea sæcula.*

Reduxit hæc aurea tempora cessantibus persecutionibus Ecclesiæ magna felicitate S. Antonius, cujus industria vita communis & cœnobitica per Ægypti provinciam in immensum crevit. S.Hier.ep.22. Hos cœnobitas Ægyptij *Sauses* appellabant, quorum *prima confœderatio fuit obedire majoribus, & quidquid jusserint, facere. Divisi erant per decurias atq; centurias, ita ut novem hominibus decimus præesset, & rursus decem præpositos centesimus haberet. Manebant separati, sed junctis cellulis. Vsque ad horam nonam, ut institutum erat, nemo pergebat ad alium exceptis his Decanis quos diximus, ut si cogitationibus fortè quis fluctuaret, illius consolaretur alloquiis. Post horam nonam in commune concurrebatur: psalmi resonabant, scripturæ recitabantur ex more. Et completis orationibus, cunctisq; residentibus, medius, quem Patrem vocabant, incipiebat disputare, quo loquente tantum silentium fiebat, ut nemo alium respicere, nemo auderet excreare. Dicentis laus in fletu erat audientium. Tacitæ voluebantur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpebat dolor. Cum verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœpisset annuntiare futura, vidisses cunctos moderato suspirio, & oculis ad cælum levatis intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. Post hæc concilium solvebatur, & unaquæque decuria cum suo parente pergebat ad mensas, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrabant. Nullus in cibo strepitus: nemo comedens loquebatur. Vivebatur pane, leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiebantur. Vinum tantum senes accipiebant, quibus & parvulis sæpe fiebat prandium, ut aliorum fessa sustentaretur ætas, aliorum*

non

Digitized by Google

non frangeretur incipiens. Dehinc consurgebant pariter, & hymno dicto ad præsepia redibant. Ibi usque ad vesperam cum suis unusquisque loquebatur, & dicebat: Vidistis illum & illum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quàm moderatus incessus? Si infirmum vidissent, consolabantur: si in DEI amore ferventem, cohortabantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili unusquisq; vigilabat, circumibant cellulas singulorum, & aure apposita quid facerent, diligenter explorabant. Quem tardiorem deprehendissent, non increpabant, sed dissimulato quod nossent, eum sæpius visitabant, & prius incipientes provocabant magis orare, quàm cogebant.

Opus diei statum erat, quod Decano redditum ferebatur ad Oeconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddebat rationem, à quo etiam cibi cum facti fuissent prægustabantur. Et quia non licebat dicere cuiquam, tunicam & sagum, textaq; juncis strata non habeo, ille ita universa moderabatur, ut nemo quid postularet, nemo non haberet. Siquis verò cœpisset ægrotare, transferebatur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovebatur, ut nec delicias urbium, nec matris quæsivisset affectum. Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacabant, quod quidem & omni tempore, completis opusculis, faciebant. Quotidie aliquid de scripturis discebatur. Jejunium totius anni æquale erat exceptâ quadragesima, in qua sola concedebatur districtiùs vivere. A pascha ad pentecosten cœnæ mutabantur in prandia, quo & ecclesiasticæ traditioni satisfieret, & ventrem cibo non onerarent duplicato.

Quanti æstimas, Josippe, hanc ideam vitæ cœnobiticæ? Nonne si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro acquirenda ea, quasi nihil despiciet illam? Christianus apelles S. Hieronymus depinxit eam, & ab oriente transmisit ad me. Quamvis & ex Africa unam habeam penicillo S. Augustini elaboratam. *In vita,* inquit, *communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt. Cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt; non avarè aliquid petunt. Quidquid eis infertur à piis fratribus, cum sufficientia, & cum charitate utuntur. Nemo sibi usurpat aliquid quod alter non habeat. Omnes se diligunt; omnes invicem se sustinent. Nihil possident proprium, laborant manibus, opus tradunt Decanis, qui denis præpositi;*

S. Aug. exposit. psal. 99.

Idem de morib. eccl. c. 31.

ti; summus autem qui curat cœnobium Pater vocatur. Jejunant usque ad noctem, & vesperi conveniunt ad exhortationem Patris. A carnibus & vino abstinent: largas ex laboribus eleemosynas dant; oneratas naves etiam ad hoc emittunt.

Sed sufficiant hæ tibi ideæ generales, contemplemur etiam speciales, quarum unam mihi suppeditavit Hispania. S. Eulogius presbyter & martyr Cordubensis de monasterio B. Zachariæ, quod situm est ad radices montium Pyrenæorum, & Rasiense vocatur, ait: *In illo beatæ congregationis collegio, quod penè centenarium numerum excedebat, veluti sidera cæli, alij quidem sic; ceteri verò sic diversis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas, quæ foras mittit timorem: plerosq; alto culmine extollebat humilitas, qua sese unusquisque juniore inferiorem reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum essent corpore imbecilles, verumtamen magnanimitate subnixi, alacrioribus animis injunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia, quæ omnium virtutum magistra est, vendicans, suos non patiebatur executores degenerare, sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscumque suo munere illustraverat. Operabantur omnes certatim, alter alterum invitans contendebat præcellere. Augebatur invicem ardor placendi Deo & fratribus, & unusquisque propriæ artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alij peregrinorum & hospitum diligentius curam; & quasi declinanti Christo ad hospitia eorum omnibus adventantibus obsecundabant, Cum verò tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamq; per noctem furtivis precibus incumbentes nocturnum chaos pervigili meditatione vincebant, magna se circumspectione vallentes, ne Psalmistæ denotarentur oraculis, qui ait: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt. Sed quid referre de Sanctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelicè degunt, & qui licet inter homines conversentur, propositum degunt cæleste? Cum quibus paululum commoratus, cum ab eis vellem discedere, omnes solo proruunt, pro se exorari deposcunt, & cur tam citò à me desererentur supplici voce conquerebantur? Regredientibus ergo nobis præbent sodalitatem venerabilis Abbas Odoarius, & Ioannes Præpositus per totum usque vesperum diem colloquium de divinis scripturis gerentes, & sic ab invicem datis osculis discessimus.*

S. Eulogius ep. ad Wiliasind. Episc. Pampil.

Psal. 75.

Tempus

Tempus nos deficiet, si formas omnes vitæ cœnobiticæ, quas habeo, contemplari velimus. Adhuc tamen unam exhibeo, quam Anglia mihi dono dedit sub Henrico VIII. quæ tanto gratior tibi erit, quanto clarior sub obscurissimis temporibus conversationis monasticæ processit. Carthusia Londoniensis est. Quantũ exemplar virtutum! *Servabatur ibi silentium & solitudo strictissimè adeò, ut si pater aut propinquus quemquam salutasset in ambitu claustri eundo aut redeundo ab ecclesia, sive in alio loco extra cellam, quamvis licentiam habuisset, non respondisset; sed tantum ut ad cellas eorum pergeret, si cum illis loqui voluisset, annuebat. In nullo loco projiciebatur silentium, nec etiam loquebantur ad invicem. Per totum diem, excepto tempore conveniendi in unum, & discedendi, videbatur claustrum propemodum, quasi nullus inibi habitasset, nisi aliqui sæculares colloquendi gratia fortuitu supervenissent. In visu semper & ubique custoditi, cuicumque obviassent in claustro, hominem numquam aspiciebant, sed inclinantes se illi transibant, nec etiam in ecclesia. Invigilabant autem puritati cordis internæq; devotioni, quæ per tales insolentias repelluntur, aut præpediuntur. Lacrymæ in oculis multorum frequentes erant, & penè assiduæ cum quibusdam eorum, propter quarum inundationem multoties non potuerunt in refectorio, nec in ecclesia lectiones legere, aut cantum persolvere. Etiam aliquorum oculi defecerunt præ lacrymis. Inerat inter eos pia invidia, non quis eorum esset vicarius, aut procurator, (hoc enim committebant P. Priori) nec invicem mordebant, quis illorum esset major in regno cælorum, hoc enim Deo relinquebant, sed quis illorum propius attingeret veram mortificationem, fortius abnegaret seipsum, humilius sentiret de seipso, sincerius serviret Deo, ferventius amaret Deum, strictius servaret silentium, cautius custodiret cellam, rarius clamaret culpas in capitulo, primus veniret ad ecclesiam, libentius ac diutius ibi moraretur, quis virtuosis operibus affectuosius inhæreret, ac magis supererogaret debito, & quis melius observaret statuta & ceremonias Ordinis. Et hæc gratiæ Dei ac suæ industriæ per Iesum Christum attribuebant, pro quibus perficiendis die ac nocte invigilabant, & alter alterum ad hæc piè animabat, & adjuvabat.*

In hist. martt. Angl. vita Ioan. Houth.

Erat ibi cor unum & anima una, sicut R. P. Prior volebat, in omnibus, ita ut sæpe Pater diceret: Onere gravi aggravatis me fratres consentientes mihi in omnibus. Non sicut ego volo, sed sicut vos vultis, fiat. Omnia erant eis communia; Meum & Tuum exclude-

Digitized by Google

cludebantur à claustro, ita ut nihil proprium haberetur, sive in libris, sive quibusvis rebus aliјs, sed ad voluntatem & petitionem omnium indifferenter retinebantur, quæcumque quis in cella habebat. Curiositas summoperè ibi devitabatur: vilitas, parcitas, & paupertas intimè diligebantur, quod magnæ sanè virtutis erat, cum tam monachi, quàm conversi magnarum opum, ac terrenarum possessionum domini fuissent. Sola necessitas, quam ex Prioris voluntate metiebantur, vigebat inter eos. Non erant potatores, nec multo vino dediti, quod bis per septimanam solùm capiebant, sive festum Capituli veniebat, sive non. Necessitas sola extremi frigoris impellebat aliquos eorum struere ignem, recolentes quanta frigora & nuditates sustinuerint Sancti Dei, qui circumierunt in melotis, & pellibus caprinis. Nihil ibi fiebat sine licentia: nec dare, nec recipere aliquid quantumcumque parvum quis audebat; nec etiam bibere, aut fructus comedere post refectiones, extrema non urgente necessitate.

In colloquiis, privatísve conventionibus otiosum verbum rarò quis audiebat, aut de mundanis rebus. Si quis tale quid inconsideratè protulisset, confestim monebatur ab audiente, per quod animus delinquentis corrigebatur. Sæculares recedebant ab eorum cellis creberrimè cum lacrymis dicentes, Verè Deus est in loco isto. Solebant nempe fratres in primo adventu ad eos, & ad salutationem sæcularium rogare eos, ut nullos rumores, nihilque de mundo intimarent eis; sed siquis sermo bonus esset ad ædificationem, illum trutinabant mente ad imitationem, ut illud nulla umquam oblivione delendum à posteris, prædecessoris sanctissimi patris nostri Hugonis Episcopi Lincolniensis exemplum sectarentur, qui divertens in quamdam domum nostri Ordinis regressurus in Angliam post ædificationem venerabilium patrum domus majoris Carthusiæ interrogatus erat ab uno fratrum in communi colloquio eorum de novis quibusdam. Cui respondit Hugo: O pater, rumores audire & referre, etsi licet Episcopis; monachis tamen non licet. Cellas vel claustrum rumores ingredi non debent. Vrbes deserere, & in solitudines rumores afferre non licet. Hæc sonora vox sonabat in auribus nostrorum fratrum in tantum, quod gravis eis erat accessus sæcularium.

Quid mirum proinde si P. Prior tam sancti gregis pastor frequenter dicebat, *se angelos habere sub obedientia sua.* Verè in humanis corporibus ibi mentes angelicæ erant, quorum unus

P. Wil-

P. Wilhelmus Tynsbi Hibernus per multos annos ante suum obitum, qui contigit A. D. 1529. rarò vel numquam recitare potuit Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum*, absque extasi & raptu. Rogerius & Joannes fratres laici in oratione ita accendebantur, ut jacentes in terra tamquam flamma elevarentur in aëra. P. Wilhelmus ex Mewe juvenis annorum 28. genere præclarus, ingenio acutus, Græco Latinóque sermone non mediocriter insignis, religionis magnus zelator, strenuusq; cultor Dei, cui per omnes domus provinciæ similis non inveniebatur, hic primò Vicarius, deinde Procurator, cum singulis noctibus in fine secundi nocturni ab ecclesia recederet permittentibus statutis, tam confusè recedebat, quasi reprobatus esset à Domino, indignum se judicans (sicuti crebro referebat) non solùm annumerari, verùm etiam appropinquare, vel permanere in consortio fratrum suorum, cum quibus staret, & consisteret in laude Dei, & idcirco electum se esse in officium Judæ, ut cum Juda in fine damnetur, se timere ajebat. Numquam illo cordialius dolentem, & amarius plorantem vidi quemquam, ait auctor, quum solitudine cellæ relicta, in tumultum sæcularium exiret injunctum sibi sub obedientia executurus officium.

Quid dicam de sanctitate Joannis Houthonis dictæ domus Prioris? *Is ad regimen Carthusiæ vocatus ab honoribus non mutavit mores: nam siquis fortuito Dominum eum vocasset, aut aliquam nominis magnificentiam ei imposuisset, ægrè tulit, ita ut id statim reprimeret dicens, non licet pauperi monacho dilatare fimbrias, aut vocari ab hominibus Rabbi. Quotiescumque autem fratres se eidem inclinabant in magnam sui ipsius hoc accepit humiliationem: attamen jubebat eis, ut tales inclinationes nullatenus intermitterent. Propter vos, inquiebat, ita fiat, & filios vestros, ne inculta sit terra nostra. Statuta nostra ita hortantur, & sacrum eloquium non solum permittit, verùm etiam fieri jubet. Rogabat eos, ut in hujuscemodi ceremoniis sibi invicem aut alteri exhibitis, non essent ad oculum servientes; quasi hominibus placentes, sed in simplicate cordis Deum quærerent, præ oculis Deum semper habentes, omnia in ejus nomine facientes. Dicebatq; se in quotidianis suis orationibus Deum postulare, quatenus ipsas prærogativas & reverentias ratione sui officij sibi exhibitas, in laudem & gloriam sui sanctissimi nominis assumere & adscribere dignaretur, suppleretq; per exhibitionem aliorum defectum amoris & cultus, quos*

ipsemet ei debebat. Sicq; semper servare humilitatem contendebat. Cumq; solus esset in aliena cella cum aliquo fratrum, non ut Prior, sed ut humilis frater se habebat, dicebatq; se Prioratum reliquisse in cella sua.

Tam patiens fuit, quod uni Conventualium sibi subditorum quodam tempore in eum insurgenti non resisteret, sed provolutus ad pedes ejus dedit maxillam percutienti, saturabatur opprobrijs, colaphis & alapis, quo adusque alij eruerunt eum de manu tribulantis. Nec illo instante umquam reddidit verba comminatoria, aut jurgativa; nec umquam vidit eum homo aliqua passione iracundiæ commotum. Et quando fratres reclusissent in carcere illum, qui talia patri suo irrogare præsumpsit, ipse verus imitator IESV Christi respondit: *Parcite, quæso fratres, parcite. Cur æmulamini pro me? Quid simile umquam fecit mihi? quid mali malo fecit? mihi non nocuit. Quare irascimini? iste bonus frater non fuit in culpa, sed inimicus animarum nostrarum, qui pacem nostram turbare molitur. Et si ego motus fuero, exultabit ille, qui compulit hunc tribulare me. Dimittite ergo hunc fratrem nostrum; sed propter exemplum aliorum recludatur in cella sua per aliquot dies,* malens lenitate vincere, quàm rigore justitiæ corrigere.

Idem siquis contra eum concitatus extitisset, ob pacem habendam per humilem sui ipsius dejectionem prior veniam petere non erubuit. Et quolibet ferme mense palam in capitulo provolutus genibus, stillantibus lacrymis Conventum rogabat, ut omnes suos defectus, negligentias, mala exempla, & siqua hujusmodi sibi ignoscerent; accusans quidem seipsum in multis, cum certè ne in uno quidem ullum offendebat.

Si qui fratrum ab eo aliquid postulassent, quod negandum censebat, tanta id lenitate fecit, ut multo hilariores illi discederent pro repulsione & abnegatione propriæ voluntatis, quàm fuissent, si eis petitionem ipsorum concessisset.

Ad lectum post matutinas, nisi graviter infirmatus, numquam redibat, sed super quoddam scamnum recumbebat, pro culcitra accipiens truncum desuper posito parvo pulvinari. Verùm alios non sinebat ita facere, nisi fortes essent in corpore, & in religionis observantia exercitati. Talibus verò persuadebat corpora sua discretione castigare. Juvenes strictè prohibebat

per


Digitized by Google

per duos aut tres annos poſt ingreſſum in Ordinem ita agere propter multa nocumenta, quæ inde acciderunt.

An non te rapit imago hæc vitæ cœnobiticæ? Quid deeſſe religioſis his potuit, quàm corona martyrij. *Martyres Gnoſtici* creati ſunt ab arctâ vita monaſticâ: Tandem ab impio rege etiam *eccleſiaſtici* effecti ſunt, aut certè *Confeſſores*. Quippè tantæ ſanctitatis locum excîdit carnifex Henricus monachis aut fugatis aut trucidatis. Certè ſanctiſſimus Prior martyrium conſummavit IV. Maij A.D. 1535. Cui cum ſpiculator de more cor evelleret, auditus eſt intermorienti voce à circumſtantibus dicere: *O bone Ieſu, quid facies cum corde meo?* In quæ verba ſpiritum exhalavit. Equidem credo ſuo fortiſſimo militi Chriſtum adſtitiſſe, ac dixiſſe, *Fili, præbe mihi cor tuum.* Sed tu jam vale non ſolum contemplator, ſed etiam ſectator bonorum operum.

EPISTOLA XIII.

De origine & inſtitutis Eſſenorum.



CVm tot ideas vitæ ſocialis tibi demonſtraverim: cupis tamen præterea etiam Eſſenos ſpectare in ſuo monachiſmo, de quibus Philo Judæorum diſertiſſimus, & Platonici ſermonis imitator ſcribit. *Maximam multitudinem clarorum virorum Moyſes legislator noſter allexit in communem diſciplinam, qui Eſſæi vocantur propter ſanctimoniam niſi fallor.* (Philo l. de vita contemplat.) Et alibi: *Nec ipſa Palæſtina Syriæ hujus boni expers eſt.* (Idem l. quod omnis probus liber.) Quidam inter eos ſunt, quos Eſſæos utcumq; à ſanctitate, Græcè Εσσαίυς ἀπὸ τῆς ὁσιότητος nominant, hominum multitudo, quantum æſtimo, *ultra quattuor millia*: (S. Chryſoſt. hom. 44. in Acta.) Dicuntur *Therapeutæ*, quod uno ſtudio Deo ſerviant, non animalia immolando, ſed puritati mentis invigilando. (Suidas V. Eſſeus.) Quibus verbis redarguas Philonem, dum eos à Moyſe docet inſtitutos Judæos, quorum cultus divinus potiſſimùm conſiſtebat in immolatione animalium, & ſimilibus ceremonijs externis. Chriſtiani ergo fuerunt, quos antiquitas nunc *Eſſæos*, nunc *Eſſenos Athletas, Therapeutas, aut Hoſios* appellat, rectius fortè dicendos *Jeſſæos*, cum nomen Eſſæi etiam Philoni ipſi ambiguum ſit. Nam teſte S. Epiphanio prius, quàm nomen Chriſtiani innoteſceret, Chriſti (S. Epiph. hæreſ. 29.)

 ſecta-

sectatores dicebantur *Jessæi*, vel ab Jesse patre Davidis, unde Christus; vel, quod credibilius est, ab Jesu Salvatore.

Porphyr. l. 4. de abstin.

Erant autem Jessæi, seu Essæi, sub duplici differentia. Et alij quidem *conjugium non amplectebantur, sed omnem voluptatem aversabantur tamquam malum,* ait Porphyrius, *virtuti sibi ducentes esse temperantes, neq; vinci passionibus. Interim acceptos aliorum liberos adhuc teneros & molles ad disciplinam suis instruunt moribus, non minus ac si ipsorum essent. Neque id tamen eo consilio faciunt, quasi nuptias damnent, vel posteritatem, sed potius ut evitent procacitatem feminarum.* Alij cum ab his nec in cibis, nec in moribus aut legibus discreparent; copulabantur tamen conjugio. Siquidem, Josepho narrante, *maximam hominum partem, nempe successionem arbitrabantur amputare eos, qui conjugiis abstinerent, & ruiturum genus humanum, si in eamdem sententiam ambulare cuncti vellent. Nihilominus hi ipsi cum tanta moderatione conveniebant, ut nuptias non prius celebrarent, quàm per triennium explorarent sanitatem feminarum, & constanti purgatione eas idoneas ad partum reperissent. Nullus reperiebatur, qui cum prægnante concumberet, quo demonstrarent nuptias se contraxisse non causa voluptatis, sed liberorum.*

Ioseph. l. 2. bello Iud. c. 2.

Quid hîc dicis Josippe? Nonne facies tibi occurrit Ecclesiæ primitivæ, quam epistola 2. descripsi? Relictis tamen conjugatis Essæis Continentes ostendo. Quod genus hominum, ait Eusebius ex Philone, passim in orbe est tam apud Græcos, quàm Barbaros; maximè verò abundat in Ægypto per singulas præfecturas. Initium horum philosophiæ est abnegare, & abdicare omnes facultates ac bona. Hinc relictis urbibus, in quibus principiò habitabant, migrabant in villas ac hortos, ne turbarentur, aut impedirentur. Philo ait: Eos primo vicos incoluisse aversantes urbes propter civium malos mores, cum edocti fuerint non minus pravam morum consuetudinem, quàm corruptum aërem contagionem animæ solere immittere.

Euseb. l. 2. hist. c. 16. Philo de vit. cont.

Apud Euseb. l. 8. Præparat. c. 12.

Sed hanc experientiam habere non potuissent, nisi prius urbes inhabitassent. Vnde Porphyrius ait: *Non unam certam civitatem incolunt, sed diversas, quorum domicilia patent quoque fratribus adventantibus: nam hi ab illis cum non censeantur peregrini, nihil in via secum portant alimenti; nec vestes, nec calceos mutant, nisi prioribus aut dilaceratis, aut consumptis tempore.*

Porph. supra.

Denique

Digitized by Google

Denique Philo ipse. *Habitant*, inquit, *in multis Judææ civitatibus & vicis, magnis congregationibus, quorum institutum non de genere (quod pro parvo ducunt) sumitur, sed de zelo virtutis, & amore fraternitatis. Nullus inter eos puer, nullus cui prima lanugo faciem, aut juventus ornat ætatem, quibus nempe mores sunt inconstantes; sed meri apud eos viri perfecti sunt, & ad senectutem vergentes, scilicet quorum corpora non amplius fluxa, & à pravis affectibus flexibilia, constantiam promittunt, firmamq; libertatem.* Philo de vita cont.

Quomodo autem nihil proprium, verùm omnia communia habuerint idem auctor commemorat dicens. *De rerum communione ipsorum, pauca quædam subjungere non abs re, credo, erit. Itaque nulli propria domus est, quæ non sit omnium, etiam adventantium: habitant tamen non separati, sed in fraternitates & tribus distincti. Vnum cunctis ærarium, vestiarium & penus est. Et sanè similem harum omnium rerum communionem nullibi ita opere exerceri reperias; nec immeritò: quæcumque namque per diem labore lucrantur, non apud se retinent; sed in commune conferunt, ut quisque pro necessitate inde queat sumere. Infirmi etsi nil lucrentur, non tamen deseruntur: publicum quippe illis patet, ut inde capiant liberè quidquid necessarium est.* Et iterum: *Nullus eorum quidquam proprium habet penitus, non domum, non servum, non prædium, non pecus, non supellectilem, non quidvis aliud; sed omnibus in commune positis mutuis fruuntur utilitatibus. Porrò simul habitant; distributi tamen in contubernia. Quidquid agunt in commune confertur; & quamvis aliorum alia sunt opera: cuncti tamen impigrè laborant; nec frigore, nec calore, nec quibusvis alijs mutationibus aëris deterrentur.* Porphyrius adjungit: *Opes despiciunt, suspiciunt communionem rerum, & non invenias apud illos unum, qui altero plus habeat. Siquidem regula ipsorum exigit, ut statim ac quis hoc institutum arripit, substantiam in commune tradat, ita ut nullus egestate projectus, aut divitijs apud illos erectus sit. Omnibus itaque permixtis omnium una quasi fratrum substantia fit. Procuratores communiter instituti, unicuiq; largiuntur, quantum opus est. Nihil emunt, nihil vendunt separatim, sed unus alteri vel dat, vel alterius accipit absq; pretio liberè, sicut requirit necessitas.* Apud Euseb. sup. Philo sup. Porph. l. 4. abstin.

Labores & exercitia ipsorum Philo recenset. *Antequam*, inquit, *sol oriatur, ad solita festinant, nec surgunt ante occasum:* Philo sup. & S. Hier. descrip. eccl.

Nec

Nec minus gaudent cum diem ita conſumpſerunt, quàm athletæ revertentes de agone, ſcientes hæc ipſorum exercitia certaminibus athletarum longè eſſe jucundiora, & diuturniora, cum dilapſo corporis robore nihilominus durent, & non tam corpori, quàm animæ proſint. Quidam autem illorum terram colere; quidam greges & pecora curare; alij apibus praeſſe norunt & ſolent; alij denique ijs artificijs dediti ſunt, quæ requiruntur ad humanam ſuſtentationem, & ſine noxa perfici poſſunt. Itaque quidquid ita lucrantur, uni ad id communiter electo Curatori reſignant, quod ille accipiens neceſſaria inde emit, prolixeq́ cuivis largitur, quidquid victus, vitaq́ humana ſolet exigere. Et alibi: *Horum alij colendis agris; alij iis operam dant opificijs, quæ quietem mentis non diſturbant; ſibi verò proximisq́ proſunt. Non aurum, non argentum in theſauros condunt, non ampla terrarum ſpacia poſſident, quibus cupiditatem largorum ſumptuum ſatiant; ſed iis ſolùm contenti ſunt, quibus arceant quotidianas vitæ neceſſitates. Soli quippe omnium penè hominum ſine pecunia & pauperes (quamvis Spontanea voluntate) cum ſint, opulentiſſimi cenſentur. Eum namq́ ſatis abundare opibus judicant veriſſimè, qui & paucis indiget, & hæc facilè poteſt acquirere.*

Philo. l. quod omnis. ſup.

Quibus verò artibus & negocijs abſtinuerint idem ſcriptor declarat. *Non reperias,* ait, *apud illos ullum, qui vel tela, aut jacula, pugiones, galeas, loricas, ſcuta, &, uno verbo, arma faciat aut machinas, vel quod ad caſtra ſpectat. Immò nec iis rebus dant operam, quibus pax turbari, aut ad mala facilis aditus eſſe poteſt. Hinc mercaturam, cauponariam, naviculariam nec per ſomnium norunt, cum hæc ad avaritiam proximè viam pandant. Nullus inter eos ſervus, omnes liberi ſunt, mutuam ſibi præſtantes operam, cenſentq́ omnem dominatum iniquum, ut qui æqualitatem tollat; impium etiam, cum ſolvat jus naturæ, quæ tamquam genitrix una omnes æquales produxit, enutrivit, & in fratres reipſa compegit, unde non niſi prava cupiditas id effecit, ut in humanum genus proprietas rerum, pro communione, pro amicitia odium irrepſerit.*

Ex Phil. ſup.

Et quamvis illorum aliqui juventutem pro labore ſuo inſtruxerint etiam in ſtudijs altioribus; nequaquam tamen omnem philoſophiam docebant. Quippe eam partem, quam appellant Logicam negligebant, utpote ad virtutem acquirendam minus neceſſariam. Phyſicam quoque tamquam altiorem

humano

Digitized by Google

humano ingenio relinquebant Meteorologis, niſi quatenus agit de divina eſſentia ac productione univerſitatis. Ethicam, ſeu quæ mores informat, totam devorabant, mediantibus patrijs legibus, quas tamen ipſas penetrare intellectu impoſſibile judicabant, niſi juvaremur Dei gratia. Has ergo partes docebantur, cùm & alijs temporibus, tum vel maximè die ſeptimo in ſynaxibus publicis.

Caſtitatem non minus, quàm paupertatem, obſervabant. *Senes,* ait Philo, *etſi liberis careant, non tamen minori jucunditate hanc mortalem vitam relinquunt, ac ſi omnium copioſiſſimos, optimoſq; liberos poſt ſe reliquiſſent, cum ad hoc vitæ genus, non vitio naturæ, ſed libera voluntate, trahantur. qua de cauſa plus à multis honorantur, quàm ſi prole non carerent. Præterea idcirco integritatem amant, & nuptias vitant, quòd ſciant nihil ita diſſolvere vitam communem, quàm connubium. Nullus igitur uxorem ducit, cùm femina ſui nimis amans, mariti nimis zeloſa, & exactiſſimum inſtrumentum ſit, quo mores boni viri corrumpi, vitæ ſeveritas & rectitudo molliri ſoleat. Nam ubi verbis ad aſſentationem, atque adulationem compoſitis, ac reliquo ſimulationis artificio, tamquam in ſcena, oculos ſemel, aureſq; delinijt, tum verò perinde, ac circumventis ſubditis, ducem ipſum, ac principem animum, eumdem in errorem inducit. Quæ, ſi liberos inſuper ſuſceperit, mox procaciæ, confidentiæq; plena, quidquid ſimulate prius, ac ſubdolè inſinuabat, id palam, atque audacius loquitur, exutoq; pudore omni, per vim extorquere conatur. Quæ omnia communi vitæ adverſantur. Quiſquis enim, aut uxoris illecebris irretitus, aut cura liberorum diſtentus eſt, naturæ quadam neceſſitate, non jam amplius idem ad alios, qui prius erat, ſed alter factus eſt, nempe ex libero ſervus.*

Philo de vita cont. Solin. de mirab. mundi. c. 45.

De obedientia quid dicam? Cùm *ſenioribus obedire, unum ex decretis profeſſionis ipſorum fuerit.* Quod ſiquis tranſgreſſus fuiſſet, malè pereat, neceſſum erat. Verumtamen, *licet in omnibus,* ait Joſephus, *præcepto Curatoris ſubjaceant; in juvando tamen, & miſerando, ſui juris ſunt,* ſcilicet conſentientibus Superioribus. *Nam & ſubvenire dignis, ſi opus eſt, ſuo arbitrio cuiq; licet, atque indigentibus alimenta porrigere.* Cognatis aliquid dare abſque licentia, prohibitum erat. Quandoquidem autem dominari cenſebant impium & iniquum, ipſorum Præſi-

Porph. ſup. Ioſeph. l. 2. bell. c. 2.

Digitized by Google

des, non de potestate dominante, sed de charitate serviente se felices arbitrabantur.

Porph. sup. *Si quis hanc sectam amplecti velit,* ait Porphyrius, *non statim admittitur, sed foris expectare per annum debet, sub eadem diæta, porrecta ipsi dolabella, ligone, zona, & albo habitu. Si se temperantem hoc tempore probaverit, propinquius admittitur, fitq́ particeps undæ purioris, ad lustrationem sui; necdum tamen ad communem mensam admittitur. Quippe biennium exigunt à novitiis, ut demonstrent patientiam ac correctionem morum, & tunc primum, ubi constans quis perseveravit, dignus judicatur, qui fraternitati adscribatur.* Ceterùm ideo cuique ligonem dant, ut

Ioseph. sup. exoneraturus ventrem, foveam pedalem fodere, peractisque necessarijs, terram possit reducere: nam munditiam usque ad superstitionem colunt, unde, dum super suas illas foveas sedent, etiam vestibus sedulò corpus infernè obvoluunt, ne radijs solis fortè irradiantibus faciant injuriam.

Porph. sup. *Peracto itaque novitiatu, priusquam novus Dei cultor ad communem mensam admittatur, per Professionem debet se constringere juramentis terribilibus, se sequentem regulam servaturum.* Et primò, se culturum DEUM: erga homines fore justum: nulli de industria nociturum, nec alterius jussu: odio habiturum iniquos: patienter cum justis injurias portaturum: fidem cunctis servaturum, maximè Superioribus; neque enim absque voluntate DEI quemquam ad imperium pervenire. Quod si verò contingat, ut ipse præsit alijs, tunc nullo modo se abusurum potentia ad injurias aliorum; non veste, non cultu ullo subjectos superaturum, veritatem amaturum, mendaces aversaturum. Insuper puras se manus à furto, puram mentem ab iniquo lucro servaturum, nihil celaturum socios, nihil revelaturum extraneis etsi mors impendeat subeunda. Jurant quoque dogmata sua se posteris illibatè, ut acceperunt, tradituros, latrocinia fugituros, institutique sui libros cum nominibus angelorum pari diligentia conservaturos. Et hæc sunt ipsorum juramenta, quæ siquis transgrediebatur, ejectus à consortio, malè perire debebat. Etenim illigatus juramentis instituti, escis aliorum uti nequibat. Herbis proin pastus, inedia paulatim consumebatur. Vnde multos subinde miserati, denuò receperunt, tamquam sat pœnarum pro sceleribus dederint, ad mortem usque videlicet cruciati.

Philo de vita cont. *Vnâ mensâ* (pergit Philo) *ijsdem cibis, fruuntur quotidie,*

contenti

Digitized by Google

contenti paucis, iisdemq; vitantes luxum, tamquam pestem corporis & animæ. A matutinis precibus, ad suam quisque artem, dimissus à Curatoribus, laborant usque ad quintam. (nobis undecimam) *Tum verò rursus ad eumdem locum conveniunt, succinctiq; velamentis, ac loti frigidâ, proprium intrant domicilium, intra quod externus nullus admittitur. Soli igitur, sic mundati, ingrediuntur in cœnaculum, haud secus, ac si in templum irent. Quibus ita sedentibus in quiete, pistor ordine panes apponit, coquus escam ex eodem vase, sacerdote benedicente omnia: nam quid gustare sine prævia benedictione nefas æstimant. Similiter absoluto prandio, non minus, atque antè, collaudant Deum. Peracta hoc modo refectione, deponunt vestimenta, revertunturq; ad opus usque ad vesperam, quâ cœnant more prandij, assidentibus unà hospitibus, si adsunt.* Ioseph. sup. *Tanta autem ipsorum parcitas est, & moderatio ciborum, ut integrâ hebdomade vix quidquam egerant, & longævi admodum fiant, sic ut plurimi centesimum annum attingant. Et hanc tamen temperantiam idcirco tam exactè observant, quò ad laudes Dei canendas reddantur aptiores, & quiescant suavius. Vino prorsus abstinent, & ab omni animato. Sola aqua sitim explent, famem pane cum sale, delicatioribus condimentum hyssopus est. Jejunia crebrò ad diem sextum protrahunt, noctu humi cubant plerumq;: diebus festis tamen dormiunt in lectulis ex paleis, juncis & frondibus,* quos S. Hieronymus Texta juncis strata, Græci στιβάδας appellat. Euseb. hist. c. 16. Sozom. lib. 1. hist. c. 12. Hieron. ep. 22.

Olei usu fœdari se credunt, & siquis vel invitus inungatur, corpus solet tamquam à labe abluere. Squalorem contrà in bono collocant, sicut & usum candidarum vestium. Vt enim quid de habitu ipsorum dicamus, quem suprà diximus *albam togam cum zona* fuisse, ei per hiemem superinjiciebant *lænam villosam,* per æstatem *palliolum leve,* Nec ullius electione opus est, cum unum singulis appositum, unumque alteri quàm simillimum sit. Porphyr. sup. Phil. sup.

Erga Deum cumprimis pij sunt. Ante solis ortum nil loquũtur profanum, sed certis precibus, quas à majoribus acceperunt, solem, ut lucescat, quasi deprecantur. Numquam in ædibus clamor, numquam tumultus, sed unus alteri, sicut ordo requirit, ad loquendum cedit. Quin ipsorum iuge silentium ab extraneis creditur stupore plenum mysterium. Et hujus linguæ refrenationis caussa est perpetua sobrietas, dum cibum, potumq; satietate metiuntur. Porph. sup. Ex Ioseph. sup.

Iracundiæ moderatores iusti sunt, indignationem cohibent, fidem tuentur, paci obsecundant, & omne quod dixerint jureiurando fortius habent: ipsum autem jusiurandum quasi periurio deterius vitant: iam enim mendacij damnatum arbitrantur, cui sine Deo non creditur. Summum autem studium veterum scriptis adhibent, ea ex ijs præcipuè seligentes, quæ animæ & corpori prodesse queunt. Hinc ex illis morborum remedia, stirpesq; medicas, & quas vires pretiosi lapides habeant, rimantur, & perquirunt. Quod siquis ex ipsis ægrotaverit, de communi curatur, omniumq; cura fovetur, & sollicitudine.

Ex Philon.

Ioseph. sup.

In iudicijs sunt diligentissimi & justissimi. Disceptant autem de re proposita non minus quàm centum simul coacti. Quod ab his decretũ fuerit, immobile manet. Veneratio apud eos post Deum summa legislatori fit, sic ut si quis blaspemaverit, morte damnetur. Cum simul decem sederint, nullus nisi unus ex novem loquitur invitus. Expuere quoq; in medium, vel in dexteram sui partem quisq; devitat. Ordinem præcedentiæ ratione susceptæ religionis diligenter observant. Perveniunt autem ex hac divina ascesi ad tam stupendã patientiam, ut nec per equuleum, nec per membrorum distractiones, nec per flammas, deniq; nec per ullum genus cruciatuum eò possint adigi, ut vel suum blasphement legislatorem, vel quid contra institutum suum comedant. Patuit hoc in bello, quod adversus Romanos gens Iudæorum gessit, in quo tortores, nec ullum blandum verbum, neq; lacrymam unam extorquere ab ijs potuerunt; quin potius subridenti vultu, irrisorijsq; verbis per tormenta suas animas tota mentis alacritate tradiderunt, tamquam eas denuò recepturi. Inveteratum quippe apud eos dogma est, corpus & materiam eius esse corruptibilia; animam verò immortalem. Superesse quoq; post hanc vitam diversa loca, malis & probis ordinata. Atq; ex hoc tam pio instituto, veritatisq; ac pietatis exercitio non pauci inter illos sunt, qui futura cognoscunt. Nam cum à puero sacris libris innutriantur, sicut & varijs purificationibus, ac prophetarum oraculis raro in prædictionibus suis aberrant.

Ex Porphyr.

Ex Ioseph.

Talem fuisse Josephus tradit Judam, qui numquam in his, quæ prædixit, mentitus est, qui & Antigoni mortem, à fratre Antigono sibi inferendam, vaticinatus est. Talis fuit & Manaëmus, vir probatus per omnem vitam, qui cum Herodem Ascalonitam, etiamdum puerũ, ad scholas euntem vidisset, tamquam regem Judæorum salutavit, quo factum, ut is deinceps omnes

Idem lib. 13. Antiq. c. 18.

Idem lib. 15. cap. 10.

mnes

mnes Essæos honoraret. Talis & Simon, qui somnium Archelao Herodis filio & successori dextrè interpretatus est. At hi Essæi non fuerunt, sed Nazaræi, aut aliàs viri inter Judæos ante Christũ iusti, quibus cum paulò pòst nostri succederent à Josepho pro Essæis habiti sunt. Revertamur ergo ad nostros. Lib. 17 c. 18.

Sabbatis, ait idem Hebræus historicus, *operationem aliquam contigisse, omnibus Iudæis Essæi diligentius cavent: neq; solùm cibos pridie sibi parant, ne videlicet illo die ignem accendere cogantur, neq; vas aliquod transponere præsumunt, immò nec aluum purgant.* Sanctus etenim hic dies ipsis est, in quo dimissis manuum operibus ad sacra loca conveniunt, quæ vocantur *Synagogæ* (Eusebius appellat σεμνεῖα) quorum una in quolibet agro seu tractu est, *ubi ordine considentes iuvenes post seniores cum decenti honestate docentem audiunt. Legente autem uno alius qui peritissimus habetur lecta enodat, quia pleraq; symbolis iuxta vetus institutum involuta sunt. Porrò docentur pietatem, sanctitatem, justitiam, domestica & publica. Jtem, quæ sint ea, quæ verè aut mala vel bona, vel indifferentia sunt, ut bona eligere, mala vitare queant, Jtaq; triplici regula & lege constricti sunt, Deo, virtuti, homini. Deo autem deditos esse mille argumentis ostendi potest: hoc enim probat ipsorum constans & perpetua totius vitæ castimonia; hoc abstinentia ab omni juramento & mendacio; hoc sincera de Deo veritas, quâ profitentur ipsum nullius mali, sed solius & omnis boni fontem esse atq; originem.* Idem l. 2. belli. cap. 2. Philo apud Euseb. lib. 8. Præpar. c. 12. Euseb. hist. sup. Phil. de vit.

Virtutum indicia sunt contemptus pecuniarum, gloriæ, voluptatum. Item temperantia, patientia, frugalitas, simplicitas, modestia & mansuetudo, humilitas, constantia, legum observantia, & quæ sunt his similia. Deniq; charitatem eorum erga proximum demonstrant benevolentia, æqualitas, & quæ laudari numquam satis potest, rerum communio. Se mutuò plus alijs amant, & maximè seniores, qui à iunioribus non aliter curantur & coluntur, atq; à liberis parentes, unde ne in ullo deficiant, mente pariter & manibus solliciti sunt. Ex Porphyr. Ex Philon.

Observant autem, ut ad officium divinum ipsorum redeamus, magnæ potissimum festivitatis (Paschæ videlicet) pernoctationes & exercitia, maximè in cantu, ubi uno præcinente psalmos & hymnos cæteri silent, donec tandem omnes simul cantent, & sileant. Euseb. hist. l. 2. cap. 17.

Digitized by Google


Atq; in hac sancta philosophia, ubi quisq; se perfectissimum esse agnoscit, relicto suo monasterio, secedit tamquam ad vitam solitariam, ad locũ *Marias*, Alexandriâ non multum distantem, locum divinioris contemplationis, & vitæ contemplativæ opportunissimum. Atq; hoc est Essæorum institutum dignum, Philone teste, quod ab omnibus suscipiatur. *Philosophia tales virtutis Athletas efficit, quibus nullum aliud propositum præmium, quàm acta laudabilia sunt, unde prodit verissima illa mentis & oris libertas, quæ vel inde claruit: nam cum diversis temporibus diversi exurgerent in provincia principes, & natura & vita discrepantes à se invicem, quorum alij belluarum instar efferati subditos vel gregatim mactabant, vel lanionum instar membratim, etiamnum spirantes, concidebant, quoad ipsi tandem, divina iustitia res sic moderante, in similes ærumnas inciderunt: Alij verò, furore mentis, dissimulata malitia, novam acerbitatem excogitarunt, dum leni voce, verbisq; in molliciem flexis, canum rabidorum instar, irruebant, malisq; irremediabilibus memoriã impietatis ac crudelitatis passim per urbes relinquebant, indelebiles miserorum calamitates. Nullus tamen omnium horum sive palam, sive fraude sævientium, umquam fuit, qui vel uni de Essæis crimen potuerit impingere. Igitur victi omnes eorum institutum tandem collaudarunt, quod manifestissimum sanè indicium est vitæ rectè, feliciterq; transactæ.*

S. Hieron. de script.

Phil. de vit. & l. quod omnis sup.

EPISTOLA XIV.

An Esseni fuerint nostri monachi.



Ubitare videris an Esseni Christiani fuerint, ne dicam, monachi. Judæos potius arbitraris ex obseruatione superstitiosa sabbati: item ex corporalibus purificationibus, quas etiam Christus in evangelio Judæis exprobrat. Adducis etiam Josephum & Philonem, testes oculatos, quorum hic Judæos Ægyptum incolentes, apud Caium Caligulam, allata sanctitate Essæorum, tamquam suæ gentis hominum, publica apologia defendit. Adde & Philastrium, Brixiensem episcopum, qui inter hæreticos, veteris testamenti, Essenos nunerat, *monachorum quidem vitam exercentes, escas deliciosas non sumentes, nec studium in vestimentis ponentes, nihil possideutes, lectioni & bonis operibus insistentes, in locis separatis habitantes; in Christum tamen non cre-*

Marci 7.

Libr. de vita Contempt. ad Caium.

Eufeb. lib. 2. hist. c. 15

Philastr. de hæres

cre-

Digitized by Google

credentes, ipsum potius hominem iustum dumtaxat, quàm Dei filium asserentes.

Isthæc non me terrent, Josippe. Essæi non modò Christiani, verùm etiam monachi fuerunt. Hoc ipsorum *vota & terribilia iuramenta* demonstrant, maximè de perpetua castitate, quam iuxta S. Augustinum primus Christus docuit, Mater S. August. hom. 33. & ser. 63. divers. c. 16. Christi verò, ante Christum prima fuit, quæ hoc votum amplexata est. Deinde ipsorum institutum totum, ex actis apostolicis, est à monachis perpetuò observatum. Nam etsi filios prophetarum, monachos antiqui testamenti, S. Hieronymus indigitet; Act. 4. illi tamen nec in tanto numero, nec extra fluenta Jordanis sub- S. Hieron. ep. 4. stiterunt, ut taceam de tam rigido novitiatu, professione, pernoctatione paschali, hymnisq; nocturnis, veteribus incognitis. Nec opinor Christi temporibus multos filios prophetarum extitisse, quibus vix unus, aut alter propheta erat. Deniq; si tanta, & tam copiosa probitas inter Iudæos, Christo vivente, erat, quomodo impleta est scriptura, quæ ex persona Judæorum, contra Sap. 2. Christum clamat: *Circumveniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris.* Et: *Dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius.* Lac lacti similius esse nequit, atq; est Christi, apostolorum, & Essæorum vita. In evangelio Herodianos, Sadducæos, & Pharisæos, non Essæos invenio. Vt autem credam post Christum tantam gratiam, inter Judæos emersisse, non adducor. Clamabat contra ingratos sanguis Domini, recens fusus, cum Christi verbis, *Auferetur à vobis regnum Dei.*

Essæi proinde monachi Christiani fuerunt, à discipulis Matth. 21. Christi, per orbem instituti, de gente præcipuè Judæorū conversorum, unde & adhuc iudaizabant in Judæa & Ægypto: nam *etsi veteris legis ceremoniæ, post mortem & resurectionem Domini,* ait S. August. *miserint, tamquam vitam officij sui, verumtamen,* S. August. ep. 19. *sicut defuncta corpora, necessariorum officijs deducenda erant quodammodò ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morsibus proijcienda.* Hinc Philo, ait S. Hieron. *videns Alexan-* S. Hieron. de Scriptor. in Marco. *driæ primam ecclesiam adhuc iudaizantem, quasi in laudem Gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic & ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit.*

Sozo-

Digitized by Google

Sozom. l. 1. hist. cap. 12.

Niceph. l. 2. hist. cap. 15. Beda præfat. in Marc. Baron A. D. 64. Cassian. l. 2. instit. cap. 5. supr. epist. 2. Solin. c. 45.

Sozomenus præterea, qui rem monasticam in historia sua singulariter commendandam suscepit, docet Philonem, per *Essæos*, intellexisse *monachos, de gente Iudæorum ad fidem conversos, & adhuc hebraizantes, quod principio omnes Judæi conversi factitabant.* Subjungit autem hoc vitæ genus monachorum, sic judaizantium, non ubiq; reperiri; in Ægypto tamen, paulatim abolitis legalibus, perseverasse usq; ad Antonij magni tempora. Ejusdem cum S. Hieron. & Sozom opinionis est Nicephorus, Beda,. Cassianus, cujus verba suprà tibi retuli cum alijs apud Baronium. Quibus omnibus addi potest Solinus, dum ait, memorabilem disciplinam Essenorum recessisse à ritu universarum gentium. Quibus verbis planè significat Christianam religionem tunc recentem. Quod de Philastrio adduxisti, si is de Samaritis ab Apostolis tandem conversis idoneè non intelligitur, potuit vir sanctus à Philone & Josepho seduci. Cautior B. Hieronymus, ubi de cœnobitis Ægypti agit, eos, ait, ab his Hebræis scriptoribus, sub nomine Essenorum, denotari.

S. Hieron. epist 22.

EPISTOLA XV.

An monasteria sint coæva monachis.



Nihil est acerbius, Josippe vir optime, quàm cum ignorantibus disputare. Vitium hoc plurimorum est, qui cum scioli & ingeniosi sibi videantur, in omnes se immiscent quæstiones; & cum toto vitæ suæ tempore nihil penè legerint; opinione tamen sua, cuncta intelligunt. Incidit his diebus quæstio inter nos de antiquitate monasteriorum. Res utcumq; salva erat, si unius contentione licuisset: is enim omnimodis volebat evincere, monasteria tam re, quàm nomine non ante Constantini tempora exorta. Habuisset suffragium S. Augustini, si dixisset solum *nomen Monasterij* Constantino non esse antiquius. Hic enim in Joannem ait: *In Antiochia primùm post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in actis Apostolorum, & xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus.* Nunc autem, quia vitilitigator ille dixit, monasteria ante Constantinum, nec *in re* fuisse, intolerabiliter erravit, etiam contra S. Augustinum, qui dictis verbis adjungit: *Res tamen ipsæ ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quæ etiam contra improbos defenduntur.*

S. August. tr. 97. in Ioan. ad fin.

Vi-

Digitized by Google

Viden' *monasteria* fuisse *in re*, antequam ita vocabantur, quomodocumq; ijs temporibus appellata sint, sive *asceteria*, siue *phrontisteria*, siue *cœnobia*, siue *monæ*, siue *mandræ, lauræ, cellæ, domus aut collegia.* Et quæso te, numquid dementia esset negare cœnobia seu habitacula fuisse monachorum ab Apostolorum temporibus, cùm numquam non defuerint cœnobitæ? De Virginum cœnobijs sub S. Ignatio martyre nihil dico. Eusebius, dum narrat ascetas quosdam sub Diocletiano martyrium fecisse, commovit Baronium ut inferret, *si ascetæ erant, oportuit asceteria quoq; fuisse, unde & nomen consecuti sunt.* Ad quæ dicenda Baronius devolutus est occasione vitæ B. Eugeniæ Virg. & mart. quæ, Commodo regnante, longè ante Constantinum cum patre Philippo Româ Alexandriam venit, ubi, visis aliquando extra urbem monachorum choris, Hellenio episcopo monasteria visitante, sexus habitum cum nomine exuit, monasteriumq; sub nomine Eugenij eunuchi, ingressa, Theodoro abbati successit. Verùm paulò pòst, ex calumnia detecta, parentibus, ac sexui semetipsam restituit, Romamq; regressa, martyrium consumavit.

S. Ignat. epist. ad Philipp.
Euseb. lib. 8. hist. c. 10. 11
Baron. A.D. 301.
Lib. 1. vitt. PP.
A. D. 195.

Commodum antecessit Antonius, cuius anno tertiodecimo gesta esse scribit auctor ea, quæ in vitis patrum habentur de Frontonio abbate, eiusque monachis. Qui dicuntur egressi de suo monasterio pervenisse ad eremum Nitriæ, ibiq; construxisse cœnobium. Acta hæc, etsi nonnullis, maximè propter montem Nitriæ, cuius primus accola ex monachis B. Amon habetur, suspecta sint; attamen indubitatum est, saltem ante S. Antonium in Ægypto fuisse monasteria. Nam cùm S. Antonius A. D. 273. adolescens monasticæ vitæ se consecraret, B. Athanasius ait, *Tunc temporis necdum tam crebra fuisse monasteria,* Itaq; *erant,* sed *non tam crebra,* ac pòst. Præter hæc B. Amon Nitriota nec ætate, nec tempore conversionis cessit S. Antonio. Hic, non minus S. Antonio, in suo monte collegit multitudines monachorum, sicut & soror eius Virginum sacrarum. Ad quæ Palladius addit: *Nondum illic erant frequentia monasteria.* Licet sicut de Antonio, *Erant.* Unde & Socrates de Ægypti asceterijs. *Fortasse* inquit, *in Ægypto ante longum temporis spatium fuerunt, quàm S. Amon viveret; ab hoc tamen aucta, & multiplicata sunt.* Quæ igitur S. Marcus instituit, S. Amon, & Antonius auxerunt.

A.D. 153.
Lib. 1. Vitt. PP. de Fronton.
In vita S. Pachom. cap. 1.
S. Athan. vita S. Anton. cap. 3.
Ruffin. lib. 2. Vitt. PP. cap. 28.
Pallad. in Lausiac. cap. 8.
Socrat lib. 4. hist. cap. 18.

Digitized by Google

Philo l. de vita contemplat. Epist. 13. Sozom. l. 1. hist. c. 12. Can. 33.

Sed quid si & nomen Monasterij tibi antiquissimum fuisse ostendero? Illud Philo habet de Essæis, si benè legisti, quæ nuper scripsi, traditque Sozomenus in sua historia. Certè ex concilio Eliberitano A. D. 305. sub Constantio & Galerio cognosse poteris Clericos habuisse monasteria. Præcipitur enim, *Ne clerici in monasteriis uxores suas cognoscant,* nempe quas duxerant prius, quàm clericatum assumerent, & vitam communem cum alijs agerent.


S. Hierō. prol. in reg. S. Pachom. Baron. A. D. 328. Epist. 2.

Quarè cautè suo more S. Hieronymus de SS. Pachomio, Theodoro, & Oresiesi loquitur, *Eos primos extitisse, qui per Thebaidem & Ægyptum cœnobiorum fundamenta jecerunt.* Nempe juxta regulam Pachomianam. Sic & Baronius ait, *B. Antonium cœnobiticæ vitæ prima jecisse fundamenta.* at ubi? *in eremo,* inquit. Satis enim ex prioribus epistolis constat, quis communis vitæ religiosæ fundator extiterit.

EPISTOLA XVI.

Cur, & quando monasteria in urbibus esse cœperint.

Cassian. l. 2. instit. c. 5. & Collat. 18. c. 5. Sozom. l. 6. hist. c. 33. Macar. hom. 26. S. Greg. Naz. in Præfat. afcet. S. Isid. l. 1. epp. 220. S. Basil. ep. ad Chilon. Theod. l. 4. hist. c. 19.



Dici vix potest, quanto studio primi monachi secretum amaverint, urbes atque omnem populi tumultum aversati sint. Cassianus asserit eos à temporibus Apostolorum secretiora suburbiorum loca petijsse, & ab urbibus secessisse, sic ut nec in vicis habitare voluerint teste Sozomeno. Qua de causa S. Macarius monachum vocat ἄπολιν, quasi dicas *Exurbicum.* Nazianzenus quoq; dicit, ἄπολις *tibi vivatur vita.* Quin Isidorus Pelusiota decernit, *abhorrere à monastica secessione immorari in urbibus ac tumultibus.* Cui magnus Basilius adstipulatur dicens: *Villas, & domos devita ut laqueos satanæ.* Et: μὴ ἔσο ὀχλοχαρής, μὴ φιλόχωρος, μὴ φιλόπολίτης, ἀλλὰ φιλέρημος. *Non te delectent turbæ, non villæ, aut oppida, sed eremus,* quam jam antè S. Antonius monachis pro habitatione, virtutisque exercitatione præscripserat, referente Theodoreto.

Euseb. l. 2. hist. c. 16. & l. 10. c. 8. S. Athan. vit. S. Ant. c. 53. & Pelag. l. 2. n. 1.

Itaque in eremis, suburbijs, agris, hortis, vallibus ac montibus sua diversoria non solùm eremitæ, sed etiam cœnobitæ primis temporibus habebant. S. Antonius à turbis usqueadeò abhorruit, ut relicta exteriori solitudine (ad quam ob ejus virtu-

tes

Digitized by Google

tes populus undique confluebat) secesserit in interiorem, grato usus exemplo, *Sicuti pisces ab aqua extracti mox in arenti terra moriuntur, sic & monachos, cum sæcularibus se retardantes, humanis confabulationibus confestim resolvi. Ob id ergo,* inquit, *convenit, ut quemadmodum pisces ad mare, ita nos ad montem* (interioris eremi) *festinemus, ne tardantibus nobis aliqua propositi succedat oblivio.*

S. Basilius monachorum Lycurgus ad quietem ac contemplationem scripturarum commodissimum sibi locum in Ponto elegerat, sed à tumultibus urbanis semotum, ad quem etiam suum Gregorium evocavit. Causam indicat, quòd vita urbica infinitorum malorum causa sit. Immò habitatio, non dico urbibus, sed solis vicis vicina, sæpe etiam perfectis monachis nocuit, ait B. Joannes Lycopolitanus. Hoc psallit David, inquit, cui tale quid acciderat, *Ecce elongavi fugiens, & habitavi in solitudine.* Subditque terribile exemplum monachi, qui cùm in sancta ascesi pervenisset ad summam perfectionem, ex propinqua hominum habitatione occasionem tentationis præbuit diabolo. Etenim assumptâ mulieris formâ, primò impetravit ingressum in cellam, deinde consensum in concubitum, ad quem cum se miser disponeret, satan, ut umbra, ex ejus manibus dilapsus est. Risus autem multorum dæmonum in aëre auditus est, ipsum increpantium & subsannantium, ex quo miserabilis homo, salute desperata, reversus est ad sæculum. *Vnde ô filij* (subjungit Joannes) *non est nobis conducibilis propinqua vicis habitatio.* S. Basil. ep. 1. & 19. Psal. 54. Pallad. in ejus vita.

Quàm sapidè S. Gregorius Nyssenus exclamat: *Suavis eremus lugentibus, & solitudo!* Ergo cùm *proprium monachi* sit *lugere,* quid aliud amabit quàm solitudinem, & quidem eam, quæ juxta S. Basilium nec viatorem admittit, per quem exercitationis ejus studium interrumpi queat? Primum semper principium monachorum fuit, *Latere. Fuge, tace, quiesce* cælitus Arsenio dictum est. sanctique Ephraim apophthegma erat, *Fuge, tace, & abstine. Quid enim prodest,* inquit, *fratres, si hodie vitam quietam in cella ducamus, cras autem in civitate ac vicis remoremur, ea agentes quæ non placent Deo? Quapropter, neque nobis in vicis, ac castellis conversari expedit: Sin autem te ad oppidum, seu castellum traxerit necessitas, ne cum feminis colloquaris: nam sicut qui hamum deglutit, ita tua abripietur anima.* S. Greg. hom. in bapt. Christi. S. Bern. ep. 89. S. Basil. ep. 19. Pelag. sup. n. 3. S. Ephr. ad hort. 1. Et paræn. 44 Paræn. 41.

Psal. 83.
S. Ephrem. serm. de monach. & turtur.
Eccli. 13.
S. Ephr. sup

Qui vitas patrum legerit, facilè deprehendet, quàm multi boni monachi hoc hamo inescati sint & capti. S. David monachum *turturi* comparat, causam addit B. Ephraim, quod turtur consectetur inhabitabiles solitudines, timore captionis. Nota sunt scandala mundi, *qui* autem *tangit picem, inquinabitur ab ea. Mane igitur,* ait Syriæ Doctor, *in solitudine, ne & tu ad mundum conversus, ea quæ retro sunt, respicias: neque in civitatibus, & castellis, vicisq; converseris; neque cum mundanis demoreris, ne vias eorum addiscas, recedatq; anima tua à DEO tuo, vero animarum nostrarum sponso: non enim & angelus esse potes, & homo.*

S. Greg. orat. 28.
S. Iuo ep. 192.

Si vis incommoda nosse incolendarum urbium, S. Gregorium Naz. lege. Ea breuissimè S. Ivo commemorat, *mentis acediam, curiositatem, vanam gloriam, periculosas tentationum procellas, maximè à Feminis.* Vnum refero: solitario pro tempore villanus ministrabat necessaria, qui cùm semel præter morem cunctaretur, sollicitus senex de cibo discipulum misit ad villam. Fratri non incognita publici scandala erant, & ideo timuit ire; sed obedientia præualuit. Abeunti in solatium abbas dixit. Confido in DEO patrum nostrorum, quòd proteget te ab omni tentatione, factaq; oratione dimisit. Vbi in vicum venit, in domo sustentatoris præter filiam neminem reperit. Quæ cum fratrem videret, cœpit eum intrò trahere, & pellicere ad inhonesta. Frater videns se ad peccatum trahi, & invalescere in se carnales motus, altum ingemuit, & ad Deum clamans, Domine, inquit, propter orationem eius, qui me misit, salua me ex hac hora. Vix finem orandi fecit, & inventus est ad flumen sui monasterij.

Ruffin. lib. 2. vitt. PP. n. 144.

S. Epiph. hæres. 63. n. 4.

Multi propter meras suspiciones vicos & vrbes declinarunt. *Monachismus,* ait Epiphanius, *nullam admittit suspicionem incontinentiæ,* quo *factum, ut Elias, Elisæus, & Ioannes nec ingressi sint citiùs urbes. Citiùs,* inquit: non ingressi sunt; sed actis firmis radicibus perfectionis. Unde S. Nyssenus: *Sapiens,* ait, *non statim huic se tradit experientiæ, ut mundi vanitates conspiciat: neq; antequam gustet vitam asperam & disciplinam severiorem, prosilit ad jucundorum perceptionem: sed postquam in illis probè exercitatus est, moribus iam compositis, & ab omni etiam risus levitate, & inconstantia coërcitis, quæ sunt prima & maxima perdiscendæ sapientiæ divinæ media, & tunc ad lætiora se convertit,*

S. Greg. hom. 2. in c. 2. Eccl.

Digitized by Google

tit, non quod ullo affectu ad ea propendeat, sed ut investiget, an quidquam ad scientiam Dei faciant.

Verùm ob hanc solā causam monachi pauci adhuc in urbibus essent, nisi salus animarū accessisset. In qua, quia periclitabantur oppidani, nec efficacior cura, quàm à monachis erat, in urbes commigrarunt. Sic pulso à Valente S. Meletio, Antiocheno episcopo, magnus Aphraates monachus sua sponte prosilijt in publicum. *Inquiete enim educatus, & cùm eius institutum esset per se vivere,* ait Theodoretus, *& extra teli iactum sederet, ut dicitur, cùm vidisset belli vehementiam, non illi placuit, quòd esset securus; sed quietem iubens ad tempus valere, piorum phalangis fuit in pugna princeps, feriens quidem & vita & sermone, & miraculis, ipse autem numquam percussus. Quin etiam, cùm Imperator omni ex parte stultus eum aliquando vidisset exeuntem in gymnasticum bellum, rogauit eum quonam tenderet? Cùm is autem dixisset se ire deprecatum pro terrarum orbe, & pro imperio, rursus quæsivit Imperator: Et qua nam de causa vitam profitens monasticam secure per forum ingrederis, silentio, & quiete relicta! Ad quæ ille, Dic mihi, inquit, Imperator, si essem virgo abscondita in thalamo; vidissem autem aliquem in domum patris ignem injicientem, quid mihi consuluisses facere videnti flammam ardentem & domū, quæ comburitur, intusne sedere & domum, quæ crematur despicere? Sed sic ego quoq; fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, & susq; deq; currere, flammamq; extintinguere, ne me reprehendas, si id ipsum facio. Quod enim tu consuluisses virgini in thalamo, hoc ego conor facere, qui vitam sum professus monasticam. Quòd enim oporteat opem ferre domui paternæ, quæ uritur, ipse confiteberis. Nihil ergo absurdum facimus, neq; cœpto nostro & instituto contrarium, si veræ religionis alumnos congregamus & pascimus, & eis herbam divinam exhibemus. His dictis Imperator quidem tacitè assentiebatur, considerans iustam defensionem.*

Theodor. in Philoth. de S. Aphraate.

Quocirca per quàm utile est cœnobia, bonosq; religiosos inhabitare vicos, & oppida, ut clero subsidium ferant, plebemq; suo saltem exemplo, si non verbo ædificent. Arius, Eunomius, Macedonius, hæresiarchæ, huic rei occasionem dederunt, quibus ni monachi occurrissent, quàm miserè dilaniata fuisset Ecclesia? Ante hos cœnobia monachorum in urbibus non reperio, quod enim de urbico monasterio Frontonis ad annum

In vitt. PP. l. 1.

 Chri-

Digitized by Google

S. Epiphan. hær. 70. Christi 153. affertur, pro fabula mihi est. Certè circa tempus Niceni concilij A. D. 325. lego monachos adhuc suas *monas & mandras* in suburbijs, & eremis, non intra urbes habuisse, primusq; fuit S. Basilius, qui secum in urbes monachos, tamquam coadiutores attraxit, quod exemplum seculi Præsules alij, maximè qui de monachismo postulati sunt ad Ecclesias regendas, urbes paulatim cœnobijs repleverunt, incredibili Ecclesiæ commodo.

Pallad. de Isidoro & Eulog. S. August. l. de morib. Eccl. c. 33. Baron. A. D. 328. & 340. Hinc Palladij ætate urbes iam habuêre monachorum cœnobia, scribitq; S. Augustinus paulò post baptismum suum, *insulas, eremos, agros, vicos & urbes* iam tunc plenas fuisse monachis, quorũ cœnobia Romæ suis oculis viderit, à S. Athanasio utiq; profugo fundata A. D. 340.

Hoc tamen observare te velim, Josippe, monasteria non uno tempore in urbibus fuisse extructa, sed exigente necessitate mox hîc, mox alibi. Nam A. D. 372. etsi S. Basilius monachos iam in urbes traduxerit; in Ægypto tamen adhuc extrà habitabant: alioquin Socrates diceret ab Arianis deprædata fuisse etiam urbana, non solùm per eremos monasteria. Si liceret in aurem tibi aliquid dicere, S. Augustinus Aphricanæ provinciæ monachismi præfectus, primus monachos ibi in urbes introduxit: in Italia, post Athanasium, Eusebius.

Socrat. l. 4. hist. c. 20. A. D. 372.

Baron. A. D. 328.

Porrò non sola necessitas ecclesiæ monasteria fundauit in urbibus, verùm aliæ insuper causæ: Barbari per orientem quantam sæpe stragem monachorum ediderunt, donec demum in urbes profugerint? S. Basilius eosdem per urbes, & castella Galatiæ, & Cappadociæ, aliarumq; finitimarum provinciarum disposuit propter atrocitatem hiemis. Victus quoq; necessitas, ac devotio fidelium causam dedit monasterijs in vicis & oppidis, ut taceam in multis provincijs solitudines & eremos opportunas defuisse pro habitatione monachorum cœnobitarum: neq; enim nego in urbibus fuisse collegia clericorum, Virginum, eosque monachos, qui singillatim in proprijs laribus se se exercebant. Sed nosti quid de his aliàs tibi dixerim.

Epist. 7.



EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

Variæ appellationes cœnobiorum.

HAbitationibus cœnobitarum Græci varia dedêre nomina, quæ pleraque apud Latinos etiam invaluerunt. Communissimum est *Cænobij* nomen ab ipso etymo *communis vitæ* desumptum. *Propter vitam communem, quam ducebant cœnobitæ,* ait Cassianus, *cellæ ac diversoria ipsorum Cænobia appellata sunt.* Dicuntur & *Monasteria* à monachorum inhabitatione. Quamvis hoc ipsum nomen insequentibus temporibus, communissimè usurpari cœperit pro cœnobijs clericorum, religiosè viventium. Cujus rei originem Gretserus in vita S. Wilibaldi se tangere putat dicens: *Olim non pauci Episcoporum, maximè qui ex Hibernia & Britannia in Germaniam veniebant, monasticam vitam ante episcopatum profitebantur, qui etiam episcopi facti, eâdem professione se non abdicabant, institutis congregationibus & collegiis, quæ erant, & nominabantur monasteria, eorumq; professores monachi. Hujusmodi monasterium, & monachos S. Wilibaldus, episcopus factus, instituit in Aichsteth, quibuscum ipse quoque vivebat secundum Ordinem & regulam S. Benedicti, prout in monte Cassino, alibiq; viderat, & didicerat,* quos *monachos* appellat Philippus in ejus vita *Clericos regulares;* vocantur etiam *Presbyteri* in Hodeporico. Ita idem ibidem clarè dicit fuisse *monachos Benedictinos;* & *monasterium,* ubi habitabant. Hinc usu servato cathedrales ecclesiæ adhuc dicuntur Münster / quasi monasteria. Marianus Scotus ad distinctionem *monasteriorum non cathedralium,* vocat ea, ubi cum suis vivebat episcopus, *Monasteria episcopalia,* Dodechinus abbas S. Disibodi *principalia.*

Cassian. collat. 18. c. 5.

Iacob. Gretser. l. 1. observat. c. 17.

Philip. in vita S. Wilibald. c. 23.

Hodeporic. S. Wilib.

Marian. chrô. A. D. 1081.

Dodechin. chron. A. D. 1137.

Verùm habeant eamdem originem *monachus* & *monasterium* à *mono* Græco vocabulo; mihi non placet quod Gretserus ait, Clericorum religiosorum habitacula tum primum dicta fuisse monasteria, cùm episcopi ex monachis assumpti in cathedralibus ædibus cum suis monachis cœperunt vivere. Recurre ad epist. 15. ubi in fine videbis clericos in monasterijs fuisse longè ante S. Bonifacium Episcopum. Itaque abusus dedit collegijs clericorum nomen monasterij; rectius cœnobia dicuntur.

Nomen

Digitized by Google

Cassian. sup. c. 10.

Nomen monasterij, ait Cassianus, *significat solummodò diversorium monachorum,* si propriè velimus loqui: *cœnobij verò nomen designat etiam professionis qualitatem ac disciplinam.* Cœnobium item dici non potest, nisi ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio: monasterium verò nominari potest etiam unius monachi cella, aut duorum, ut patet ex Philone de Essæis, & ex Ruffino de illo solitario, quem ad vicum dixi nuper misisse discipulum.

Philo de vita contemp.

S. Ephr. serm. de Obed.

Palladius cœnobia passim *Monas* appellat, cum S. Ephraimo dicente: *Obediens de loco in locum non transmigrat, & ex una mona in aliam se non transfert. ad quem destinatus est locum, in eo manet.* Eodem modo S. Basilius loquitur. *Quære ex teipso,* inquit ad Eustathium Sebastenum, *quoties nos in monasterio,* ἐπὶ τῆς μονῆς, *ad Iridis fluvium invisisti, ubi mecum vivebat meus perdilectus Gregorius sub eodem vitæ instituto.* Subinde *Mona* significat omne monachorum habitaculum, tam eremitarum, quàm cœnobitarum, ut apud Palladium in prologo reperies. Quo sensu ait S. Epiphanius quod *Audius suas monas & mandras habuerit in eremis & suburbiis.* Aliàs *mona* ab auctoribus interdum accipitur pro *mansione*, quæ certo viæ spacio determinata erat, ut viatores haberent diversorium. Sic in vita S. Pauli simplicis habetur, quod *octo monas* decucurrerit, donec ad B. Antonium in montem interioris eremi perveniret. Quod sanè pro octo monasterijs nequit intelligi. Vt quid enim opus fuisset eum mitti ad monasterium Pispir, ut ibi inter plures habitaret, si tot cœnobia sita fuissent in medio? Itaque *octo* illæ *monæ octo mansiones* erant, ut Ruffinus interpretatur, quemadmodum etiam Heraclides ait: *Ascendit octo proximas mansiones.* Et: *Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum.* Quapropter, si mons S. Antonij à monasterio Pispir juxta Nilum distabat triginta milliaribus, ut Palladius scribit, & Paulus Simplex octo mansionibus eò venit, una mansio ab altera distabit quattuor ferme milliaribus, quod non incongruum viatoribus ad divertendum spacium est.

S. Basil. epist. 79.

Pallad. prol. Lausiac.
S. Epiph. hæres. 70.
Pallad. Lausiac. c. 28.
Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 10.
Heracl. c. 10.
In vita S. Anton.

S. Hieron. in vita S. Hilar. c. 21.

Atq; hinc intelligis id, quod in vita S. Hilarionis est. *Alio anno, cùm exiturus esset ad visenda monasteria, & digereret in schedula, apud quos manere, quos in transitu visitare deberet, frater ille vix ab invito impetrauit, ut suum quoq; monasterium in mansionum ordine poneret.* Et S. Athanasius in epistola ad monachos,

Balacius,

Balacius, ait, *cum eques iret* εἰς τὴν πρώτην μονήν, *ad primam mansionem, conversus equus equitem deturbavit.* Balacius autem ad monasteria non solebat divertere monachorum capitalis hostis.

S. Basilius in asceticis cœnobia vocat *Mandras* pulchrâ admodum metaphorâ; quia *Mandra* apud Latinos *ovile* significat. Sic Psellus de Christo loquitur: *Rogat*, inquit, *exaudiri pro aliis ovibus quæ sunt in alio ovili, ut & ipsa adducantur, & fiat una dispersarum mandra*, hoc est ovile, *& unus pastor.* Sed interest inter Cœnobium & Mandram: cùm enim omnis mandra cœnobium sit; non tamen omne cœnobium est mandra. Hinc Euagrius de Simeone stylita ait: *In phrontisterio*, seu monasterio *annis novem, in mandra vixit 47.* Differentia in eo est, quòd *mandra* sit *monasterium circumseptum*, teste S. Dorotheo, sicut sunt ovilia. Hinc quia paulatim cœnobia varias ob causas circumsepiri solebant, abbates communiter *Archimandritæ* nominati sunt.

S. Basilii in ascet. cap. 35.

Psellus in 4. psal.

Euag. lib. 2. hist. eccl. c. 13

Doroth. doct. 23.

Præterea *Lauræ* etiam cœnobia dicebantur, quamvis non omnia. *Eudociam* refert Euagrius, *in terra sancta ædificasse monasteria, & loca illa, quæ Lauras vocant.* Discrimen in hoc consistit, quod in monasteriis vivebatur sub uno tecto & pastore: qui verò Lauras incolebant, regebantur quidem ab uno abbate, sed in sejunctis cellulis, & tectis, tamquam in tabernaculis morabantur, sicut nostri Camaldulenses. Ita S. Sabæ laura à B. Euthymio fundata, cellulas habebat 150. quæ pulchro ordine in solitudine iuxta torrentem constructæ erant. Quo vides usum Laurarum non habuisse locum in urbibus, uti monasteria, unde qui in Lauris erant, *Anachoretæ* dicuntur in vitâ S. Ioannis Silentiarij, quamvis non ex integro: miscebatur enim Anachoresi aliquid de vita cœnobitica.

Euagr. sup. c. 20.

In vita. S. Sabæ.

Cyrill. vitâ S. Ioannis Silentiarij vita S. Euthymij.

Ad extremum monasteria à Græcis appellantur *Phrontisteria*, à singulari cura & studio serviendi DEO. sic Evagrius suprà, sic & S. Greg. Nazianz. loquitur in vita S. Athanasij. De nomine *Asceterij* ab ascesi & religiosa exercitatione non semel iam mentionem feci. Nos Latini monasteria appellamus *Collegia, claustra, vel domos*, & si sint Canonicorum, *Canonicas*, ex epistolis Alexandri III. & Gregorij VII.

S. Greg. Naz. de S. Athan.

Alex. p. 50. epp. c. 29 S. Greg. VII. l. 9. epp. 29.

K EPISTO-

EPISTOLA XVIII.

De Monasteriis duplis.



ÆPe me convenisti de Monasterio, cujus ruinæ ad hortum nostrum conspiciuntur. Sanctimonialium nostri ordinis fuit, & una vel altera adhuc matris tuæ temporibus in vivis erat. Paulatim morte deficiebant, nec defunctis novæ substituebantur. Redditus ipsarum nostris uniti sunt, propter quod omni die matutinum cantatur Sacrum. Non hæc tibi mira sint: nam alibi idipsum contigit. Novi plurima cœnobia virorum, quibus olim Feminarum conjuncta erant, quæ ex solis hodie ruderibus agnoscuntur, quid fuerint. *Dupla* vocavit antiquitas, & initium sumpserunt, quantum recordor, à S. Pachomio, qui ad oppositam Nili ripam pro castimonialibus sub eadem regula, quâ ipse vivebat, cœnobium erexit. Exemplum secuti posteri, virorumq; asceterijs conjunxerunt feminarum, meliori intentione, quàm successu. Si semper Nilus intercurrisset, ut apud Pachomianos, res in hodiernum diem salva esset; sed nimia vicinitas scandala peperit, scandala interitum tot insignium monasteriorum Virginum DEO consecratarum. Nempe quando sexus uterq; simul consistere nequijt, necesse fuit ut in conflictu vitiorum infirmior succumberet.

vita S. Pachô. cap. 28.

Idem plerumq; murus ambiebat utrumq; cœnobium: idem hortus in medio utrorumq; saltem patebat oculis. Per unum ostium intrabant ad sanctuarium clerici, ut est in vita S. Brigidæ, per alterum ostium in sinistra parte Abbatissa cum suis puellis. Mutuus è vicino, auditus, si non aspectus fuit, & tanta in cunctis propinquitas, quæ etiam herôas in religiosis concutere poterat. Quid si accessit insuper confabulatio, familiaritas, munuscula, commessationes, & similia interituræ probitatis argumenta? Carbalæ, ait S. Greg. Naz. philosophabatur vir sanctus: Valentinianus autem nescio quis è regione feminas posuerat; qua de causa castissimus philosophus migrationem sibi indictam censebat: potius enim cum viperis habitare volebat, quàm cum feminis, à quarum proinde contubernio haud secus, atq; ab incursibus viperarum (ut ipse dicebat) fugitabat.

Cogitosus vita S. Brig.

Greg-

Digitized by Google

Gregorius magnus iam suo tempore prævidit ex cognitione duplorum monasteriorum nil boni secuturum. Inde præcepit, *Ne monasteria utriusq; sexus nimis sint coniuncta.* Idipsum decrevit concilium Agathense seu Byzacenum. *Monasteria puellarum*, inquit, *longiùs à monasterijs monachorum propter insidias diaboli, & hominum oblocutiones constituantur.* Nec Papa, nec particulare concilium audientiam meruit. Quare necesse fuit, ut accederet sententia gravior synodi œcumenicæ VII. quâ decisum est, *Ne ex eo tempore ampliùs fierent dupla monasteria, quibus viri & feminæ tampropinqui sibi essent, ut invicem voces ipsorum audirentur.* Deniq; Paschalis II. similem ferme censuram scribit ad episcopum Compostellanum: *Jllud omnino, ait incongruum est, quòd per regionem vestram monachos cùm sanctimonialibus habitare audimus, ad quod resecandum experientia tua immineat, ut qui impræsentiarum simul sunt, divisis longe habitaculis separentur, prout arbitrio tuo, & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit: neq; imposterum consuetudo hujusmodi præsumatur.* S. Greg. l. 9. epp. 20. A. D. 506. can. 28. A. D. 787. can. 20.

Josippe non existimes sanctimoniales cùm monachis sub eodem tecto habitasse tamquam *Subintroductas.* Non enim simul in ijsdem monasterijs, ait Zonaras, erant monachi & monachæ, sed sibi invicem tam propè habitabant, ut semet mutuò audirent, quod magnorum malorum causa fuit. Quibus perspectis, cùm sanius consilium non occurreret, Ecclesia voluit, ut è duplis monasterijs feminarum per interitum personarũ pessum ire sinerentur. Zonar. in Cōc. Nicæn. 11.

EPISTOLA XIX.

An Monasteria monachorum debeant esse splendida.



Severus Sulpitius, Josippe, graviter admodùm invehitur in monachos ad cleri dignitatẽ promotos, quòd tam citò pristinæ humilitatis obliviscantur. *Qui antè*, inquit, *pedibus aut asello ire consueverat, spumante equo superbus invehitur: parva prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem relinquit grossiorem, indumentum molle desiderat.* Si Severus hodiernum cœnobiorum quorundam splendorem videret, numquid non eadem ingeminaret, Sulpit. dial. 1. c. 14.

geminaret,

Digitized by Google

geminaret, perstrictoq; monachorum luxu sub rosa sibi diceret, *Vbi religiosa paupertas?* Mentiar, si non maior splendor subinde in ædificijs monasteriorũ, quàm in aulis Principum est. Claustra mutantur in palatia, & quæ olim inter gravissimas pœnas fuit, *Recludi in monasterium*, hodie voluptas est. Verùm & ego isthæc describenda mordaciùs beato viro Hieronymo relinquo cum Sulpitio.

Idem in vitâ S. Mart. c. 7.

Antiqua monasteria testantur, quàm nihil solliciti fuerint maiores nostri de splendore suarum habitationum. Si aëris injuriæ excluderentur, id porrò satis erat. S. Martinus iam episcopus aliquamdiu adhærente ad ecclesiam cellula usus est: deinde impatiens frequentantiũ duobus ferè extra ciuitatẽ milliaribus monasteriũ sibi statuit. *Qui locus tam secretus & remotus erat, ut eremi solitudinem non desideraret. Ex uno enim latere præcisa montis excelsa rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluuius reducto paululum sinu clauserat. Vnâ tantùm, eademq; arctâ admodùm viâ adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat. Multi quidem è fratribus in eundem modum; pleriq; saxo superiecti montis cavato, receptacula sibi fecerant.*

In vita S. Fulgent.

Animadvertis splendorem antiquissimorum monasteriorum? S. Fulgentius omnis ambitionis iuratissimus hostis, fugit aliquando ad monasterium Vincensi littori proximum. Locus erat in medio mari, angustus, scopulosus, sic ut nec aqua, nec lignũ ibi haberi potuerit, verumtamẽ perquam sanctus habebatur: solet etenim sanctimonia comes esse religiosæ paupertatis.

In vita S. Hilarion. c. 26.

S. Antonij habitationem elegantissimè S. Hieronymus describit. *Quia*, inquit, *se præbet occasio, & ad id loci venimus, dignum videtur brevi sermone habitaculum tanti viri describere. Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt: super quem ex utraq; ripa palmæ innumerabiles multum loco & amœnitatis, & commodi tribuunt. Erat autem eius cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, arduo valde nisu, duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, commoratus est. Verùm hæ in vivo excisæ saxo ostia tantum addita habebant.*

Pa-

Digitized by Google

Patres nostri, Iosippe, studuerunt potius dilatare corda, quàm habitacula, memores antiqui testamenti prædecessores suos habitasse *in speluncis & cavernis terræ.* Hinc teste Basilio, multi de nostris monachis *in solis petris & cavernis* habitârunt, aitq; se vidisse, qui propter pœnitentiæ virtutem tam arctè se incluserint, ut *neq; radius solis ad ipsos umquam penetraverit.* Quos & S. Greg. Naz. notat, dum canit in suis iambicis nonnullos habitasse *in rupibus & speluncis ferarum aut saltibus, in tenebricosis & exiguis cellulis, quas sol numquam aspexerit.* Talis fuit S. Macarius Alexandrinus, cui in diversis eremi partibus tres cellulæ erant. Vna in intima Scete, altera in Cellijs, tertia in monte Nitriæ. Nulla fenestram habebat: altera tam angusta erat, ut pedes non valeret extendere: nihilominus vir etiam ex nomine beatus in his cymerijs tenebris sedens, solebat quadraginta diale jeiunium absolvere. Hebr. 17. S. Basil. epist. 39. In c. 6. Essaiæ S Greg. Iambic. 18. Pallad. Laus. cap. 22.

Euagrius inter cetera monachorum exercitia memorat, alios se includere in ædiculas, in quibus nec erecto corpore stare, nec liberè se inclinare queant: alios in cavernis & speluncis continuò cum bestijs agere. Ejusmodi specum subterraneam S. Macarius Ægyptius sibi fecerat, ut eò se referre posset propter concursum populi. Euag. lib. hist. cap. 20. Pallad. c. 21

Tum vitam insomnem ducunt, tectoq; carentem, S. Greg Naz. carm. 3.
Antra vicem tecti præbent, vastæq; cavernæ,
Strata lapis, mollesq; herbæ, ramiq; viroris
Expertes, silvasq; truces, atq; invia quærunt,
Cumq; feris habitant.

Ait meus Gregorius, & quidem de parte suorum monachorũ, quos dicit *aspernari domos, gaudere specubus, cavernis, & tuguriolis.* Carm. 47.

Hæc tibi nostra domus, mea gloria, gloria mandræ
Ampla meæ. inquit.

S. Paulinus vir in sæculo consularis, ut monachus effectus est, pro monasterio non nisi *vile tuguriolum* habuit, quem plures in hoc secuti sunt, ut refert Theodoretus. Multi *in tabernaculis* vixerunt; quibus ipsis tamen aliqui carere maluerunt, ut Sulpitius scribit. B. Baradatus se *in arcam* conclusit: Theodorus Siceorum Archimandrita nunc *ferream*, nunc *ligneam cellulam* habuit commensuratam corpori, desuper apertam. S. Stephanus junior speluncam sibi extruxit latitudinis non plus, S. Paulin. ep. 10. Theodor in Phil. cap. 27. Sulpit. dial. 1. cap. 9. Theodor sup. Georg. presb. vitâ S. Theodor. Surius in vitâ tom. 6.

quàm ſeſquicubitalis, longitudinis duorum cubitorum. Verſus orientem conchæ formam effinxit, in qua vix curvato corpore ſtare poterat: reliquam partem ſine tecto reliquit. A quo cùm fratres peterent, ut non ita ſub dio degeret, reſpondit, *tecti loco ſe cælum habere.* Atque ita per æſtatem conflagrabat ardore ſolis; per hiemem autem frigore rigebat. Denique Theodoretus auctor eſt, aliquos ſub dio frigoribus congelatos fuiſſe, aut ſepultos nivibus. Qualem etiam Germania noſtra vidit ſub Lothario Imperatore, Setzelonem videlicet. Hic in Trevirenſi diœceſi multo tempore per montes & ſilvas ſine tecto & veſtimento pro Chriſti nomine nudus oberrans æſtatis ardores, hiemiſque aſperrimos algores incredibili patientia tolerabat, ita ut quadam vice, cùm brumali tempore gelu ſolito amplius inhorruiſſet, & nix multa valdè de nubibus flueret, & ipſe non habens quo à facie nivis & frigoris hujus fugeret; ſed in terra nudus jacens non modica ſpiſſitudine nivis totus operiretur, nullumq; indicium corporis ejus illic eſſet, excepto, quod virgula fumantis anhelitus, ab ore procedens, ſuperinjectam nivem, aliquantulum relinquebat.

Theod. in Philoth.

Chron. Ord. Ciſterc.

Quot ſancti, cùm adhuc in vivis eſſent, inter mortuos habitaverunt *in ſepulcris?* Meminit unius B. Joannes de Lyco, apud Palladium. Siſinnius per triennium ſtabat in ſepulcro. Magna pœnitentia, *ſtare per triennium.* Alij etſi non jugiter ſtabant, in ſepulcris tamen morabantur. ut Philoronius *per ſexennium,* Jacobus eremita, & Alexandra virgo, *per decennium,* Zeno, & Petrus Galates *per multos annos.* Narrat quoque Pelagius Diaconum, propter adulterium, vivum ſe ſepeliri feciſſe à ſeniore. Et quid hoc mirum? Democritus ethnicus, amore philoſophandi, ſepulcrum incoluit. Vbi non occurrat tibi forma noſtrorum ſepulchrorum, ſed ſepultura Chriſti, quæ erat excavata petra, cum duplici cella, quarum una interior, altera exterior erat. In talibus ſepulcris noſtri monachi erant, unde & ſæpe legimus eos habuiſſe *cellam exteriorem & interiorem,* ut S. Jacobum, Martinianum, Abraham. Quæ tamen cellæ, ſi feneſtram habebant, ſepulcra dici non poterant, quibus, præter oſtij foramen, nihil erat, per quod defunctis noſtris neceſſaria præbebantur, ut vivere poſſent.

Pallad. c. 45. Idem. c. 71. Idem. c. 64. Metaphr. vita Iacobi. Pallad. vitâ. Theod. ſup. c. 9. & 12. Pelag. l. 5. n. 26 Laert. l. 9. in vita. Barõ. A.D. 34. Barrad. in cõcord. Evang. Metaphr. & S. Ephr. in vitis.

Quàm longè abfuit omnis magnificentia ab antiquorum habitaculis? Siquid ſuperfluum habebant, diſtribuebant in egenos.

nos.

Digitized by Google

nos. Hodie corraduntur opes, & vel concluduntur in arcas; vel ne ociosæ sint, impenduntur in ædificia, vel non necessaria, vel contra monasticam professionem, nimis ambitiosa. Quod P. Franciscus Aesinus, vir peritissimus religiosi instituti, Capucinorumque minister Generalis, aliquando suis dixit, id utcumq; ad omnes Religiosos traho. *Simulatq;* (dicebat) *frater Capucinus ædificatorio operi sese ultrò immiscet, dæmonis imperium subit, à quo ita mente excæcatur, ut ne quidem ipsos paupertatis excessus animadvertat.* Zac... Bover. in annal. Capuci. 1549.

Suspicio admodum Laurentium Justinianum, cui ampla ædificia in monasterijs numquam placebant, & cùm videret latiores cellas, caput quassans, dicebat: *Non sic Patres nostri, non sic.* S. Joannes Gualbertus rigidior erat. Is, cùm visitaret Moscetanum cœnobium, cernens grandiores domos, & pulchriores, quàm paupertati eorum congruere videbatur, Domino Rudolpho, ejusdem loci abbati, dixit: *Tu in hoc loco magnis expensis, quibus pauperes plurimi refoveri potuissent, ex propria voluntate, palatia fabricasti.* Et conversus ad quemdam rivulum, propè manantem, dixit: *Deus omnipotens, qui de minimis magna facere consuevisti, videam per hujus rivuli parvitatem, ipsius enormis ædificij, citò vindictam.* His dictis, absque mora discessit, locum quasi abominatus. Confestim autem, ut sanctus discessit, rivulus crescere cœpit, & congerens aquarum fluenta largissima, relicto proprio alveo, præceps de monte ruit, petrarum scopulos, & arbores secum trahens, prædictas domos funditus subvertit. Mosander in vita. Blasius Melan. vitâ.

Multis timeo eventurum, quod fratri illi. Destinatus fuit à suo vicario provinciali ad extruendum Capucinorum cœnobium. Sed excessit regulas paupertatis, unde irascente Numine, paulò pòst lethali morbo correptus est. Monitus à Patribus ut suæ consuleret animæ, ipse iam divino iudicio oppressus, per acerba suspiria pronuntiavit: *Ah! nimium calx ista me adurit.* Jussus benè sperare de Dei bonitate. *O quàm me*, inquit, *calx isthæc adurit!* Allatâ imagine Crucifixi Christi, cùm proponerentur sanguis, Vulnera, tormenta Salvatoris pro peccatoribus, mansit in responso, dicens. *Eheu quàm hæc me calx adurit!* Jussus confugere ad Deiparam, commune miserorum asylum, *Heu heu,* ingeminavit *quàm me calx hæc incendit!* Quidquid suggerebatur, nullum aliud responsum ferebat, quàm cal- Bover. sup. 1565.

cis

cis contra paupertatem impensæ, adustionem, donec in expiatam efflaret animam.

Si aures, Josippe, possemus ad inferna porrigere, complures audiremus lamentantes, *Quàm calx me isthac adurit!* Unus ex eodem Ordine damnatus est, quòd ecclesiam, præter communes paupertatis leges, extendere voluerit. Alter, quòd cellam sibi splendidiorem extruxerit, quamvis hic sub S. Francisco, in familia laxiore, militaverit. Iuvat audire. Cum P. Franciscus Astensis, Capucinorum secundus Generalis minister, etiamnum inter Observantes viveret, ac Romanam provinciam visitaret, venit ad quoddam sui Ordinis cœnobium, in quo ipsi cella admodùm splendidè extructa, atque ornata, pro diversorio, assignata est. Peractâ cœnâ, cùm Pater in lectulo quiesceret, fores cellæ molliter pulsatæ sunt, acsi quis ingressum postularet. Audijt id Pater, & per verbum, *Deo gratias* pulsantem admisit: sed nemo intravit. Tandem non semel ingeminato pulsu, dictoq; *Deo gratias* Guardianus, extructor cellæ, ac iam pridem defunctus, ingressus est. Bis terúe, cellam obambulabat in silentio; demùm in hæc verba prorupit: *Maledicta cella, te propter solam ad inferos damnatus heu miser abscedo.* Et cum dicto disparuit.

Idem A. D. 1547.

A.D. 1554. in vita P. Franc. Astensis.

Væ multis, Josippe, nisi probare possint Deum in voto Paupertatis, secum dispensare; aut alias leges antiquos, alias hodiernos Religiosos habere. Vt ut sit S. Romualdus, non absq; causa, visis Bifurci cellis, ad superstitionem ornatis, in nullius divertere voluit, nisi in, F. Petri, cuius solius cella, ad normam S. Hilarionis angusta, & pauper erat. Noverat utiq; hic frater, neglectis, & simplicibus cellis, deberi magnifica & splendida palatia in cælis.

P. Damian. vita S. Romualdi.

EPISTOLA XX.

De Exemptione monasteriorum.



MOnasterium, non longè à nobis dissitum, & haud ità pridem à jurisdictione Episcopi privilegio exemptionis, abstractum, subinde causam nobis præbuit sermocinandi de exemptione. Tu ut politicus, defendebas exemptionem, exemptos usq; ad sudorem, allatis plurimis argumentis, speciosis quidem, sed nervo carentibus.

Digitized by Google

tibus. Interim ego ingemui gnarus SS. PP. & Conciliorum; ac deniq; ipsius naturæ status monastici. Quāuis non diffitebar multa cœnobia, tandem iustis, ac necessarijs de causis, iuri communi tamen non præiudicantibus, exempta fuisse. Certum est enim monachos omnes, ab initio Ecclesiæ, subjectos fuisse episcopis, hoc ipso, quo inter laicos censebantur. Sic S. Augustinus Renatum monachum appellat *laicum*, & S. Hilarius, dum ait se vidisse vitia, non laicorum, sed episcoporum, ibi monachos intelligit, *laicos* nempe *propositi superioris* propter vota religiosa, quæ *laici inferioris propositi*; seu sæculares, non habebant. Qua de causa illi clero in ecclesia juxta S. Cyprianum proximiores erant, quod etiam tradit S. Dionysius Areopagita. Et numquid in vita S. Eugeniæ legisti, Episcopos Ægypti solitos semper fuisse circumire monasteria, eaq; visitare, quod primis temporibus factum est?

S. August. l. 2. anim. & eius orig. cap. 1.
S. hil. l. de synod. contra Arian. fol. 348.
S. August. l. 2. retract. c. 22.
S. Cyprian. epist. 24.
S. Dion. de eccl. hier. c. 6.
Lib. 1. vitt. PP.

Verum est, quòd cessantibus persecutionibus, ac deficientibus Ethnicis, episcopi grauati negocijs, tantam curam rei monasticæ non amplius impenderint, utpotè, cùm viderent monachos sponte in officio stare & contrà neophyti exigerent indesinentem sollicitudinem. At hoc ipsum paulatim occasio nonnullis monachis fuit ut episcoporum indulgentiam pro jure, ut fit, sibi vendicarent & colla subtraherēt obedientiæ. Interim multi semper infracti steterunt. Unde S. Hieronymus, cum scripsisset, quomodo monachi venienti ad eremū Theophilo episcopo Alexandrino sponte in occursū advolarint, adjūgit; *Non quæris monachos tibi esse subjectos, & ideò magis subiectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt.* Et hoc quid ni? Nam *Ordo noster*, ait abbas S. Petri Belluac. monasterij, *quanto sublimior est, tanto subiectior & promptior ad obediendum episcopis, ut sit, necesse est: in episcopis enim ipsum Dominum honoramus & contemnimus, sicut ipse ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quæ aurea sententia, quàm optandum foret, ut potiùs in cordibus, quàm codicibus inveniretur.

S. Hier. ep. 62.
In con. Lemov. A. D. 1034.
Luc. 10.

Invenitur & alia occasio, quâ se monachi olim ab episcopis exemerunt. Eis nempe inconsultis, collegerunt fraternitates, erexerunt cellas, & monasteria, in quibus liberè, nullo inquietante, vivebant, tamquam fundatores & exleges. Ad quod cùm tacerent Ordinarij, contigit, ut inueteratæ consuetudini, nonnisi maiori vi, occurri demuùm debuerit. Decretum

Can. 54.

Digitized by Google

tum ergò in Nicæna synodo, *ut Chorepiscopi curam haberent omnium monasteriorum sua parochia ; quibus praponerent prafe-ctos idoneos, & in sermone constantes. Visitarent quoq; monasteria, & ubi invenerint aliquod eorum indigentiam habere, ex abundantiori supplerent ; id quod tamen cum timore Dei, & adificatione illorum locorum facerent.* Canone 73. sancitum est, ne monachi superiorem eligerent absq; auctoritate Chorepiscopi. Quo vides, quàm antiquo iure monachi reducti sint in subiectionis ordinem: nam concilium hoc celebratum est A. D. 325.

Can. 3. In Concilio Chalcedonensi, quod habitum est A. D. 451. ad verbum sic statuitur. *Quoniam quidam specie & habitu monachorum, tam Ecclesiam, quàm civilem politiam perturbant, circumeuntes indisciplinatè per urbes, monasteriaq; sibi ipsis constituentes, placuit S. synodo, ut nullus porrò monachorum vspiam, vel adificet, vel constituat monasterium, aut oratorium prater voluntatem ipsius loci episcopi. Monachi verò, tam qui in urbibus, quàm qui extra urbes in suburbijs, & agris habitant, episcopo loci subiecti sint, quem volumus competentem curam habere suorum* Can. 10. *monasteriorum.* In concilio Barcinon. anno circiter 578. de hoc ipso canone dicitur: *De monachis id observari pracipimus, quod synodus Chalced. constituit.* Imperator etiam Marcianus, litteris datis, monachos turbulentos in Palæstina admonuit, ut parerent episcopis, quod Studitis in specie Leo magnus imperavit, nempe ut per triennium suo Legato Iuliano episcopo subessent.

Epist. ad monach. in actis Conc. Chalced.

Epist. ad Marcian. A. D. 454. 17. cal. Maij.

Can. 21. A. D. 511. decernitur in Concilio Aurelian. 1. ut *abbates, pro humilitate religionis, in episcoporum potestate consistant: & siquid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigatur.* In memoriam hic canon reducit mihi S. Bernardum. *Miror*, inquit, *quosdam in nostro ordine monasteriorum abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod peius est, habitu & tonsura tam superbè sapere ut cùm ne unum quidem verbulum, de suis imperijs, subditos pratergredi patiantur, ipsi proprijs obedire contemnant episcopis. Spoliant ecclesias, ut emancipentur; redimunt se ne obediant. Non ita Christus: ille si quidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua ipsi, ut careant, totum ferè suum suorumq; victum expendunt. Quid hoc est prasumptionis ò monachi! Neq; enim quia pralati monachis, ideo non monachi. Nempe monachum facit professio, Pralatum necessitas. Sed*

S. Bern. ep. 42.

non

non propter me, inquit, facio, ſed quaro Eccleſia libertatem. O libertas, omni, ut ita dicam, ſervitute ſervilior! Patienter ab huiuſmodi libertate abſtineam, qua me peſſimè addicat ſuperbia ſervituti. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam paſtoris. Certus ſum enim ego monachus, & monachorum qualiscumq; abbas, ſi mei quandoq; pontificis à proprijs cervicibus excutere iugum tentavero, quòd ſatana mox tyrannidi meipſum ſubijcio. Quis dabit mihi centum in mei cuſtodiam deputari paſtores? Quanto plures ſentio mei curam gerere, tanto ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania. Animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, & unũ ſuper propriam gravor habere cuſtodem.

Quàm dirè ſauciat ſpiculum linguæ S. Bernardi! Non levius Jvonis Carnotēſis. *Neſcio,* inquit, *qua nova libertate monachi Latiniacenſes ſuos exceſſus tuentur, & ſubjectionem Pariſienſi eccleſiæ debitam & hactenus exhibitam, contra canonicam inſtitutionem de cervice ſua excutere moliuntur. Hæ autem perſonæ hujusmodi ſunt, quibus magis neceſſaria eſt ſubjectio, quàm libertas, qui libertate, in occaſionem carnis, abutuntur, quibus ſi decem millia pædagogorum in Chriſto ad cuſtodiam deputarentur, vix tamen ſic regularis continentiæ legibus ligarentur.* Sed ad concilia. Iuo epiſt. 65.

A. D. 517. in Concilio Epaunenſi ſtatuitur, ut *quidquid Abbas ſine Epiſcopi facultate vendiderit, epiſcopo adiudicetur.* Can. 8. Et in Aurelianenſi III. A. D. 538. abbates degradari iubentur, Can. 23. ſi quid abſq; permiſſu epiſcopi alienent, quod etiam habetur in concilio Toletano XVII. ex Garſia Loayſa. Porrò ex concilio Conſtantinopol. ſub Menna A. D. 536. conſtat monachos Græcos ſubjectos fuiſſe epiſcopis, & in Aurelian. A. D. 533. Can. 9. A. D. 694. dicitur, *Abbates, qui epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad Communionem nec penitus admittantur, niſi contumaciam humilitate ſuſcepta deponant.* Can. 21. Eorundem inobedientia caſtigatur etiam in concilio Emeritenſi A. D. 666. in quo jus datur epiſcopis eos viſitandi. Can. 11. Paſchalis I. electus eſt A. D. 817. Hic Ravennati epiſcopo ſubjecit omnes monachos ſuæ diœceſis. A. D. 855. iuſſit Ludouicus rex Ticini coire epiſcopos, ut tam in clero, quàm in monaſterijs Ordinis S. Benedicti emendarent pravos mores. Cap. 6. A. D. 952. in concilio Auguſtano, ſub S. Vdalrico, habetur. *Oportet epiſcopum, in cujus diœceſi cœnobium ſitum eſt, monachorum providentiam gerere, & ſi aliquid correctione dignum repererit, corrigere feſtinet.* Deniq; in concilio Coyacenſi epi-

Digitized by Google

ſcopatûs Ovetenſis A. D. 1050. ſub anathemate præcipitur, ut abbates & abbatiſſæ cum ſuis congregationibus & cœnobijs ſint obedientes, & per omnia ſubditi ſuis epiſcopis.

S. Greg. Nyſſen. de vita Moyſi. Intelligis, quo pacto de iure communi hi, qui ſe DEO conſecrarunt, ut S. Gregorius Nyſſenus loquitur, ſubeſſe & obedire debeant Dei ſacerdotibus, ſeu epiſcopis? ita ut S. Gregorius magnus contumaci in hoc abbati dixerit: *Qui ſe contra Præpoſitos ſuos erigunt, profectò oſtendunt, quia ſervi Dei eſſe contemnunt.* Correpti ſunt item non ſemel epiſcopi, quod in monaſteriorum cura negligentiores fuerint. Sic in concilio Tolet. IX. A. D. 655. aiunt Patres *ſe torqueri dolore & compaſſione, quod ſacra monaſteria ita quorundam epiſcoporum, vel inſolentia, vel incuria, horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm inſtruendo gaudij extiterat labor.* Et in concilio Aquiſgran. A. D. 836. *Quia epiſcopi quidam in regendis congregationibus ſibi ſubjectis, canonicis videlicet, & monachis, & ſanctimonialibus valde negligentes erant, ut inde & alij Prælati in exemplum pravum traherentur, monentur tales, ut ſe emendent.*

S. Greg. M. l. 2. epp. 24. — Can. 2. — Cap. 11.

Verùm, tametſi monaſteria ſub epiſcopali obedientia communiter fuerint, neceſſe tamen ſemper erat monere Epiſcopos, ne potentiâ ſuâ abuterentur. Sic in Concilio Chalcedon. ſtatuitur, *ne epiſcopi, licentiâ ſuper monaſterijs acceptâ abutantur.* Et in concilio Lateran. Sub Innocent. III. *Epiſcopi ſubiecta ſibi monaſteria reforment; nec tamen gravent.* Quod factum eſſe legimus in concilio Tolet. IV. ubi dicitur. *Nuntiatum eſt præſenti concilio, quod monachi epiſcopali imperio ſervili operi mancipentur, & iura monaſteriorum contra inſtituta canonum illicita præſumptione uſurpentur, ita ut penè ex cœnobio poſſeſſio fiat, atq; illuſtris portio Chriſti ad ignominiam, ſervitutemq; perveniat. Quapropter monemus eos, qui eccleſijs præſunt, ut vltra talia non præſumant: ſed hoc tantum ſibi in monaſterio vendicent ſacerdotes, quod præcipiunt canones, id eſt monachos ad converſationem ſanctam præmonere; abbates, aliaq; officia inſtituere, atq; extra regulam facta corrigere. Quodſi aliquid in monachos canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quidpiam de monaſterij rebus tentaverint, non deerit ab illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſuſtulerint ab illicitis.*

Can. 24. — Cap. 12. — Can. 50.

A. D. 601. Non affero hîc concilium Romanum ſub Gregorio magno

Digitized by Google

gno, quod non satis fideliter à quibusdam, libertatem plus æquo amantibus, ex eius epistolis consarcinatum est. Gregorium VII. audi quàm graviter invehatur in Cunibertũ episcopum Taurinensem, quod Monasterium S. Michaëlis tantopere affligat. *Numquidne*, inquit, *existimas episcopos in pastorali regimine potestatem atq; licentiã suscepisse, ut monasteria, quæ in suis parochijs consistunt, quantum velint, opprimant, & studium religionis suæ prælationis occasione hæc & illa potenter exigendo, & potestatem exercendo comminuant? An ignoras quod SS. PP. plerumq; & religiosa monasteria, de subiectione episcoporum, propter infestationem præsidentium diviserunt, & perpetua libertate donantes Apostolicæ sedi, velut principalia sua membra, adhærere sanxerunt? Percurre SS. Patrum privilegia, & invenies ipsis etiam Archiepiscopis officium* (divinum) *nisi fortè ad abbatis licentiam in plerisq; cœnobijs facere probibitum esse, ne fortè monastica quies tumultuosa sæcularium personarum frequentia, & conversatione turbetur.* Greg. VII. l. 2. epp. 69.

Alludit beatus Papa ad S. Gregorij magni dicta, & facta: hic enim sanctissimus Pontifex, & si monachos subesse episcopis voluerit, ut est videre l. 9. epp. 24. & l. 5. ep. 21. l. 6. ep. 10. l. 8. ep. 39. & 43. quod etiam adhuc monachus ex S. Benedicti regula perdiscere potuit; idem tamen omnimodis cavit, ne ijdem episcopi monachos gravarent. Hinc Marinium episcopum Ravennatem graviter corripit, quod cùm debeat monasteria defensare, in ea potius gravamina exerceat. Et in alia epistola eidem mandat, ut monasteria, per ipsius diœcesin à clericis vehementius gravata, sublevet, ne, si in hoc negligens sit, aliter monasteriorum quieti prospicere compellatur. *Quia tantæ*, inquit, *necessitati servorum Dei congregationem amplius subjacere nonpatimur.* Arguit etiam Felicem episcopum Pisauriensem, quod in monasterio, ibidem posito, publicè missas celebret: iubet proin amovere cathedram, & missas intermittere. Reg. 3 S. Bon. cap. 64. S. Greg. l. 5. epp. 28. l. 6. epist. 40. l. 5. ep. 48.

Gravabant autem Episcopi monachos varijs modis, ut ex canonibus diversorum conciliorum non obscurè cognoscitur. Sic in concilio Roman. V. A. D. 1078. decernitur, ut *nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu abbatibus amplius imponat.* Et in concilio Ilerdensi A. D. 524. *Ea, quæ in jure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo ab episcopis contingantur.* In conc. Cabilon. circa A. D. 650. interdicendum fuit episcopis & Archidiaconis, *ne quid defuncto abbate à mona-* Can. 3. Can. 7.

Can. 4. *sterius auferrent.* In Tolet. VII. A.D. 646. eximi debuerunt monasteria *ab annua pensione duorum solidorum episcopis solvendorum.* Eousque ascendebant onera & gravamina, ut non immeritò episcopi ea de causa à Romanis Pontt. excommunicarentur aliquando, sicut novimus factum Adelardo Veronensi,
Ioan. VIII. ep. invasori cœnobij Nonantulani.

Atque hæc injusta gravamina pepererunt exemptiones. Nam monachi, à suis Ordinarijs plus nimio afflicti, tandem recurrere cogebantur ad episcopum summum, qui cùm non haberet medium congruentius, pro quiete monasteriorum, exemptiones arripuit. Utrumque suprà audisti Gregorium, quorum, qui Magni cognomen promeruit, ita exemit monasterium S.
S. Greg. M. l. 4. epp. 41. Thomæ de Arimino, flagitante Abbate Luminoso. *Cuius petitioni, ait, se satisfacere, ac secundum statuta Patrum, jurisq; formam se scripsisse Castorio Episcopo, ne tam ipse, quàm successores eius dictum monasterium in ullo prorsus lædant, gravent, monasterij res describant, publicas processiones instituant; hac tamen ei relicta jurisdictione, ut in defuncti abbatis locum, alium, quem dignum communis consensus congregationis elegerit, ordinet.* Additque quod notatu cunctis exemptis dignissimum est. *His autem ita perfectis in Dei opere estote solliciti, & assiduè operam orationi date, ne non videatur magis vobis quæsita mentis in oratione securitas, sed*
Epist. 43. *malè, quod absit, degentibus episcopalis evitata districtio.* In epistola verò ad ipsum Castorium vult, *ut tam ipse, quàm successores ejus, obeunte abbate dicti monasterij, nulla se occasione immisceant in describendis, providendis, & acquirendis rebus monasterij: Abbatem eum ordinet, quem communis consensus fratrum poposcerit: non ibi publicas missas celebret, frequentiorem mulierum concursum arceat, ut & tua ecclesia, juvante Domino, suo tantummodò sit jure contenta, & monasterium illud nulli ulterius aliqua districtione generali, canonicaúe jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiat.*

Novi quid cogites. *Exemptiones antiquæ nostris dissimiles sunt.* Ita est mi homo: nam disciplinæ monasticæ inspectio-
S. Greg. sup l. 6. ep. 12. nem non ademerunt Episcopis. Gregorius, quem dixi, etsi ab jurisdictione Episcopi, *quoad electionem abbatissæ, ac dispositionem temporalium* exemerit monasterium S. Cassiani apud Massiliam; *ordinationem tamen ejusdem abbatissæ, & inspectionem in eius vitam*

tam

Digitized by Google

tam & actiones eidem reliquit: quin delinquentes juxta ſacrorum canonum rigorem modis omnibus voluit ab eodem vindicari. Similiter ut eâdem penè formulâ exemit monaſterium SS. Joannis & Stephani in urbe Claſſitana, tandem ſubjecit: *Epiſcopus quoties velit monaſterium viſitet, & exhortetur fratres, dummodò inde non gravet* Et ad Epiſcopum Scillitanum in cauſa monaſterij Caſtellienſis: *Curæ*, inquit, *tuæ ſit circa actus ac vitam conſiſtentium illic monachorum te vigilantem inſiſtere, & ſi quemquam illic pravè converſari, aut in aliquem immunditiæ, quod abſit, culpam inveneris incidiſſe, diſtricta ac regulari emendatione corrigere: nam ſicut ab ijs, quæ incongruè uſurpantur fraternitatem veſtram volumus abſtinere, ita in his, quæ ad diſciplinæ rectitudinem, vel animarum curam, & cuſtodiam pertinent, eſſe ſollicitam modis omnibus admonemus.* Similia ſcribit ad Fortunatum Epiſcopum Neapolit. ratione monaſterij S. Martini.

l. 7. ep. 18. Epiſt. 33. l. 17. ep. 15.

Ante Gregorium, in concilio Arelat. III. ab Epiſcopi ſubjectione exemptum fuit monaſterium Lerinenſe, ſed tantùm *quoad temporalium adminiſtrationem*, relictâ curâ diſciplinæ monaſticæ, cum adminiſtratione ſpiritualium loci Ordinario. Vnde cùm Ægiricus Abbas S. Martini apud Turonos, de conſenſu omnium Epiſcoporum Galliæ, ab Adeodato Papa non ſolum impetraſſet, ut neque ipſe, neq; monachi ipſius ſuſtinerent gravedines â quolibet Epiſcoporum, ſub prætextu diſcuſſionis; angariarum, item inſolentes impoſitiones, & alias quaslibet injurias, quas Epiſcopi monachis inferebant per occaſionem regularis diſciplinæ rimandæ, atque ſervandæ, verùm etiam diſpoſitionem ipſius diſciplinæ cœnobiticæ, dicit Papa ſe circa hoc ultimum punctum parumper ambiguum fuiſſe, idcirco quod mos atque traditio ſanctæ eccleſiæ Romanæ plus non ſuppetat â regimine epiſcopalis providentiæ religioſa loca ſecernere, quàm in punctis prioribus.

Circa A. D. 455. Tom. I. Conc. Gott. A. D. 676. Anaſtaſ. in vita Adeod.

At ſucceſſores Adeodati nihil dubitarunt plura monaſteria, immò integros Ordines religioſos, etiam ratione diſciplinæ, eximere ab Epiſcoporum poteſtate, freti ſuarum clavium eminenti virtute. Id rectè fieri Alexander II. decernit, maximè ſi ſubſint cauſæ. Certè in ſynodo Regiaticina legimus multos abbates ſua monaſteria ſub defenſione ſacri palatij poſuiſſe pro majori ſecuritate. Nam non raro factum eſt, ut Epiſcopi dormirent: nec ſemper ita ſolliciti eſſe de cœnobijs

Alex. II. ep. 8. A. D. 850. c. 1.

queunt,


Digitized by Google

Zach. Papa epist. 14. ad S. Bonifac. queunt, ut Ordinum Generales, & Provinciales. Hinc S. Bonifacius à Zacharia Papa facilè impetravit exemptionem monasterij S. Salvatoris, à se in oppido Fuldensi constructi, remissior enim vigilantia episcoporum erat. Quapropter, sicut sollicita cura Antistitum Ecclesiæ tempore Nicæni & Chalcedon. concilij sustulit exemptionem, quam sibi monachi quidam sponte effecerant; ita eorundem sollicitudo tepidior multis cœnobijs legitima sæpe causa fuit, cur in ecclesiam exemptio reduceretur.

Verum est: S. Jvo & Bernardus graviter succensent exemptionibus: sed monachi, de quibus loquuntur, per eas plus quærebant libertatem, quàm pietatem. Accedit quòd & mali erant, Episcopi autem boni. Quidam libertatis adeò cupidi fuerunt, ut privilegia exemptionis aut confingerent, aut A. D. 1414. per subreptionem impetrarent. Aliqui scientes Pseudopapas quidvis concedere, ad ipsos recurrerunt. Vnde Martinus V. in concilio Constantiensi quàm plures eiusmodi exemptiones de medio tulit. Deniq; ante concilium Viennense exemptorum tanta fuit multitudo ut necesse fuerit omnes, præter Cistercienses, ad ius commune transferri. Concilium Tridentinum ad manum tibi est. Quid de exemptis statuat, facile videre poteris. Hoc ad postremum mirabile est quod potestas laica præsumpserit monachos ab Ordinarijs eximere. Fecit hoc Mauritius Imp. & Augusta conjux; edito privilegio, ne monasterium Theodori Siceotæ ulli subesset episcopo, nisi Constantinopolitano, œcumenico scilicet patriarchæ, si dijs placet. Vno verbo mi Iosippe iustis exemptionibus uti non resisto, sic existimo eas plerumq; suam iustitiam obtinuisse à quadam radice iniustitiæ.

(Thom. Wasingham. hist. Anglic. — Trid. sess. 25. reform. c. 8. 7. 12. 13. 14. — Greg. Presb. in vita S. Theodor. Siceotæ)

Exanima, quæ scripsi, & videbis etiam integros Ordines exemptos fuisse, quia debitam diligentiam Episcopi vix impendere poterant ad eos, in ordine conservandos, ne plus dicam.



EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

De translatione monaſteriorum ab uno Ordine ad alium.



I cœnobia tibi numerare vellem, in quibus ſtantibus ædificijs ordo regularis immutatus eſt, laborem mihi deſumerem infinitum. Nec hoc à me requiris. Cauſas potiùs noſſe cupis, quibus id fieri queat. Hoc Joſippe generatim habe, Ordinem monaſteriorum ſemel fundatorum, non leviter eſſe mutandum. Mores, mores inquam, reformandi ſunt. Si religioſi ad hoc contumaces ſunt, fortè non difficile erit de eodem Ordine aliunde meliores ſubſtituere, ſicut Dodechinus refert Adelbertum Trevirenſem Epiſcopum feciſſe circa monaſterium S. Maximini. Hoc ni fiat, turbæ ſubinde timendæ ſunt. Cum S. Anno Colonienſis expulſis de Salefelt canonicis, vitam illic inſtituiſſet monaſticam, miſſis eò de Sigeberg & de S. Pantaleone monachis, non diu poſt populus furens hoc in animum induxit, ut monachos de S. Pantaleone omnes trucidaret, pro eo quod expulſis ab Archiepiſcopo prioribus monachis novum illic, inuſitatúmq; religionis genus inſtituiſſent.

In Chron. A D. 1143.

Lambert. ſchaffnab. A. D. 1074. & 1071.

De ſedibus antiquis, jure poſſeſſis, ſine gravi cauſa, neceſſitate & utilitate, nemo facilè pellendus eſt. Piligrinus Vbiorum antiſtes invidioſis viris inſtigatus, Eliam religioſiſſimum Abbatem S. Martini ſimul & B. Pantaleonis monaſteriorum cum omnihus Scotis ſuis expellere voluit. Elias autem, cum ſuis ex aula revertens, dixit: Si Chriſtus in nobis peregrinis eſt, numquam vivus Coloniam veniat Piligrinus. Factum eſt ita: nam inſequenti anno defunctus eſt priùs, quàm reverteretur. Non abſimiliter Herimanus Bàmbergenſis omnes clericos à monaſterijs exigere volens monachos ſolos de cetero in omni ſua diœceſi eſſe voluit. Et iam de facto clericos 25 de monaſterio S. Jacobi, quod haud ita pridem pro muris civitatis extruxerat eiecit, tradens locum cum omni poſſeſſione abbati Egberto S. Michaëlis, ut monachos eò collocaret. Hoc non modò expulſi, verùm etiam clerici maioris eccleſiæ Bambergæ ægrè ferentes, quòd ſcilicet non ſine magna iniuria ſui Ordinis epi-

Marian. Scot. A. D. 1035.

Lambert. ſup. A. D. 1075.

Digitized by Google

ſcopus tantum deferret monachis, maximè cùm expulſi ſcientia, moribus, & canonicæ converſationis diſciplinis haud obſcuri eſſent, multis primò obſecrare epiſcopum, quem cùm immobilem ſentirent, adire principes, & deniq; ipſum Imperatorem Henricum no deſtiterunt. Tandem cùm nullibi preces vim haberent, Papam acceſſerunt, à quo non modò ſtabilitatem, ſed etiam excommunicationis ſententiam inepiſcopum retulerunt.

Sed, inquis, hi boni erant. Joſippe, nec malus de ſuo ita facilè pellendus, ſed malitia eſt. Quid ſi hoc tibi, aut tuis? Brunonem Epiſcopum Auguſtanum non ſatis excuſo, qui ejectis canonicis regularibus è monaſterio S. Vdalrici ſubintroduxit monachos S. Benedicti, ea ſolùm de cauſa, quòd S. Vdalricus, à quo monaſterium fundatum erat, totâ vitâ ſuâ dilexerit Ordinem S. Benedicti. Si malitia, eaq; incorrigibilis per aliorum etiam monaſteriorum canonicos non acceſſit, ab illata iniuria non video quomodo Brunonem vindicem.

Carol. Stegel. in ſua Baſilica p. 1. c. 4.

Fateor tamen olim nos inter nos faciliores ſubinde fuiſſe. Si notabilis malitia, aut honor Dei maior ſuberat, nullo reclamante, trãſferebatur Ordo. Beatrix, mater Comitiſſæ Mathildis, monaſteria canonicorum regulariũ Faxinorenſe & Canuſinum auctis reditibus, Benedictinis tribuit, ut aucto numero monachorum, augeretur & cultus Dei. Quantilla ratio. Dominus Otacker Marchio Styriæ, fundavit monaſterium Garſtenſe, illudq; dedit regularibus canonicis ſub Eberchardo Præpoſito. Quo mortuo, cùm eius clerici quadam die in præterlabente flumine lavarent, aliqui ſubmerſi ſunt. Qua re ita commotus fuit Marchio, ut canonicis illicò ſubſtitueret monachos. Quaſi verò, Ordine ſervato, levitas fuiſſet incorrigibilis. Ob morum petulantiam, pro Canoniſſis in Northuſen ſucceſſerunt Canonici, cùm ſine dubio eſſent in alijs locis moniales Ordinis probiores. Idem factum à Bartholomæo Laudenſi epiſcopo cum ſanctimonialibus S. Joannis, quibus eiectis ſuffecit monachos. Monaſterium Steinveldenſe alebat primò per annos 177. moniales Ord. S. Bened. Quibus ob licentiorem vitam amotis introducti ſunt canonici regulares Springebacenſes, qui poſtquam 23 annis in habitu ſuo ibidem Deo ſeruijſſent, orto Ordine Præmonſtratenſium in eum ſe pariter omnes, ſalvo loco, tranſtulerunt, ut adeò monaſterium idem, quod antè habebat præpoſitos,

Domnizo. l. 1. cap. 17.

Auctor Anonym. Garſtenſis monachus

Auctor de Langrafijs Thuring. A.D. 1220

Robert. abbas de monte S. Mich. A. D. 1128.

Chryſoſt. v. cler. Sterrenotis ad c. 8. vitæ B. Hermani

sitos, cœperit habere abbates. En in uno exemplo quotuplex mutatio. Sexus in sexum, Ordo in ordinem, & initio de se laxiorem. Eædem deniq; personæ monasterij eiusdem concesserunt pariter in Ordinem striꝏiorem. Nec hoc tibi videatur novum: nam idem tunc temporis fecerunt nostri vicini Gottvvicenses. Cùm enim, defuncto S. Altmanno Pataviensi episcopo, illuc venissent quidam profugi, contigit, ut horum depravatis moribus inficerentur clerici inquilini, & brevi corrumperetur disciplina. Quocirca S. Altmannus apparuit cuidam presbytero Scoto Joanni, viro bonæ conversationis, & in cellula, secus cœnobium recluso, monens ut perversos monasterij mores corrigeret. Experrectus Joannes visionem aperuit Conrado Præposito, consulens, si placeret, Professionem cum habitu mutaret; sic enim maculam, ex disciplinæ corruptione contractam, dilutum iri. Non displicuit consilium. Proinde res ad Rom. Pont. simul ac ad Vdalricum Altmanni successorem refertur. Quo utroq; annuente, postulatur ex S. Blasij Admontensi cœnobio Hartmannus, Prior, vir eruditus, discretus, & pius in Abbatem. Quo præsente, Canonici & habitum, & regulam mutarunt, suscepto Ordine S. Benedicti. Et hic est ille Hartmannus, qui propter singularem suam pietatem, & res benè gestas, postmodùm quattuor nobilissimis cœnobijs, uno tempore, præfuit, Gotvvicensi, Campidonensi. S. Vdalrici Augustæ, & S. Lamberti. Prior S. Vdalrici in sua Basilica scribit ipsum tandem in Danubio submersum perijsse.

Auctor Anonymus in vita S. Altman. apud Gretser.

Stengel. p. 3. sup.

Alexander III. his, & similibus mutationibus non illibenter annuit, dicens æquum esse, ut labores impiorum iusti comederent, & mali sic confunderentur. Hinc episcopo Londonensi scribit, ut dissolutos monachos de Nessun, ni se corrigerent, eijceret, atq; in ipsorum locum introduceret Cistercienses. Sic bona Templariorum, toto extincto Ordine, ob flagitia, partim data sunt Ordini Fratrum Hospitalis, partim Ordini militum Christianorum in Lusitania, patim alijs. Paulus Papa Pipino regi Francorum redditus quattuor cœnobiorum ex toto donavit ad sustentationem pauperum ac peregrinorum. Fuerunt autem S. Silvestri in monte Soracte, S. Stephani, Andreæ, & victoris.

In append. Conc. Later. p. 27. cap. 7.

Conc. Vien. 1311 & ep. Clem. V.

Anastas. Biblioth. vitâ Ioann. XXII.

Epist. 12. Pauli apud Gretser.

Quærunt nostri Theologi, an Ordo in quem transitur semper esse arctior debeat? Josippe, si hoc in monasteriorum

translatione observandum esset, ut non nisi in ordinem strictiorem fieret, frustra se fatigasset nuper Ordo recentior & tamẽ doctrina praecellit. Quamvis intersit nosse, quis hic & nuncquis item de se sit Ordo strictior. Ordo S. Benedicti, si regulam ex integro servet, Ordine canonicorum sine dubio strictior est: & tamen non rarò contigit, ut Benedictinorum cœnobia in canonias mutata fuerint, quia vita canonicorum conversationem monachorum in sanctitate vincebat. Ita cœnobium Scotorum S. Thomae Argentorati à Florentio III. episcopo Hiberno erectum, versum est postea in collegium Canonicorum. Sic Arnulphus Lexoviensis ab Alexandro III. petijt, ut monasterium Gristanum concederet regularibus canonicis. Praestat rem omnem audire: neq; enim pauca inde discemus. *Est*, inquit, *in episcopatu, cui Deo permittente deservio, monasterium quoddam nomine Gristanum, quod aliquando suavitatis odorem circumquaq; diffudit: sed in diebus abbatis istius meritâ diu laborauit infamiâ. Sic & praesentes vidisse constat, & remotos audisse. nec enim intra domesticos parietes contineri scandala potuerunt, quae, procedente temeritatis audacia, publicis offerebantur aspectibus & per ora publica personabant, quoniam fratres loci illius ab operibus eiusmodi nec timor Dei, nec hominum reverentia cohibebat. Quorum quantò maior immanitas extitit, tantò latiùs celeriùsq; famâ discurrente vulgata sunt, maioremq; apud omnes contraxit offensam, quòd palàm tanta à sanctuario malitia procedere videretur. Si quidem nulla vel modica erat intrinsecus regularis obseruantia disciplinae, minor intrinsecus exhibitio charitatis; quia nec hospites agnoscere consueverant, neq; quidquam pauperibus impartire, sed ipsas etiam communis mensae reliquias ad impendendum priuatis affectibus dissolutionis impudentia reservabat. Parua sunt haec: sed ad sanguinem prorupit insania, ut à nulla specie criminis manus eorum servarentur immunes. Constat eos in claustro strictis inuicem concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductae & recentia quoq; vulnera protestantur. ac nisi de cultellis eorum pugionem provida sustulisset antiquitas, saepius etiam ad alternas etiam mortes intemperantia desevijsset.*

Iacob. Gretser. observat. ad l. I. vitae S. Wilibald.

Epist. Arnulphi ad Alex. apud Baron. A. D. 1181.

In monasterio ipso immersam aquae frigidiori feminam vis algoris extinxit. Ut enim miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis saecularium personarum frequentes invitarent accessus, sanitatis remedia promittebant ei, quae se incantatae ab eis,

nescio

neſcio quibus carminibus, aquæ ſepties ſuſtineret immergi. Ægra itaq; mulier aquæ glaciali frequenter immerſa inter manus comprimentium monachorum congelata deceſſit, dum vim algoris ægritudo non ſuſtinet, & profana religio naturam potiùs irritat ad perniciem, quàm Dei miſericordiam ad ſalutem. Miniſtrum coquinæ, cùm debitum pronus exequeretur officium, quidam è monachis interfecit; quia dicebatur aliquando de nimia illius circa uxorem ſuam frequentia, murmuraſſe. Cervicem itaq; ipſius, adactis totis viribus, piſtillo grandiore confregit, & innoxio ſanguine pulmenta, quæ tam ipſi, quàm cæteris fratribus parabantur, aſperſit. Super quibus, cùm ego ſæpiùs abbatem charitate debita commonerem, (nec enim ſeveriùs cogere permittebar) diſſimulandũ potiùs, quàm diſtrictione monaſtica cenſuit occurrendum. Dedit itaq; diſſimulatio remiſſa fiduciam; quia ſibi nihil non licere credebant, quos nec ratio propria, nec aliena correptio refrenabat.

Porrò nulla abbati diſciplinæ reſtabat auctoritas: quia etiam à reprobris eorum diſciplina contemnitur, in quibus bene compoſitæ mentis opera non videntur. Augebat audaciam, quòd eis in clauſtro neceſſaria non dabantur; ſed ad recompenſationem ſubtractæ neceſſitatis liberior eis evagandi licentia laxabatur. Solent enim hujuſmodi perſonæ patientiùs inopiam portare quàm regulam; & à Prælatis ſuis peccandi libertatem quamlibet egeſtate mercantur. Adhæc, ut nulla eis effluendi deeſſet occaſio, abbas ſæpiùs, quaſi ad diſponenda bona monaſterij navigabat in Angliam, ubi ſine conſorte degens & judice, gulæ & lateri, ſicut dicebatur, indulgens, parum aliquid, præter vagos diſcurſus, & lites ſupervacuas, exercebat.

Vbi noviſſimè per continuum fere biennium demoratus, epiſcopalis edicti neceſſitate reductus eſt, ſtatúmq; monaſterij deteriorem ſatis quàm reliquerat reverſus invenit. Cùmq; ſtatim cœpiſſet monachorum contentionibus infeſtari, feſtinantem redire prohibui, niſi ordinato monaſterio priùs mihi perſonas idoneas, quæ curam gererent vicariæ ſolicitudinis aſſignaſſet. Ipſe verò epiſcopali, quâ ei præmineo, auctoritate neglecta, & debito obedientiæ, de cujus exhibitione vinculo juratæ profeſſionis tenetur adſtrictus, ſine conſcientia mea reverſus eſt, nemine domi relicto, qui ſciret vel curam Ordinis gerere, vel temporalia diſpenſare. Quod ſtatim miſerabiliter ipſe rerum declaravit eventus: quia, is quem Procuratorem reliquerat, ebrius in refectorio duos de fratribus cultello percuſſit, ab eis incontinenti perticâ, quam caſus obtulit, interfectus. Quo

facto veterum criminum revocata memoria ab omnibus omnia quasi sub unum reducebantur aspectum, omnesq; publicæ existimationis & famæ iudicio condemnati sunt; quia nullus erat quem nocentem non fecisset operatio, vel consensus. Itaq; eijciendos omnes pleriq; dixerunt, & personas novi Ordinis inducendas, ut & in istos vindicaret ejectio, & Ordinis observantia novorum institutio restauraret. Porrò ego ejectis interfectoribus, quia sic tam ratio, quàm metus potentiæ sæcularis exegit, ad momentum, quæ mihi visa sunt disponenda disposui: neque enim quidquam perpetuum constitui poterat, cùm de nullo eorum satis benè vel fama, vel conscientia responderet. Feci tamen, quod potui, donec fortiore consilio possit omnis plantatio, quam pater cælestis non plantavit, avelli.

Vestris hoc reservatur manibus: vestris erit viribus adimplendum; quia ei, quod radices altius egit, manus non prævalent imbecilles. Super quo, si ad communia totius fere regionis vota respicitis, iÿ, quos ad perpetuam dissolutionem par convictus, alterniq; consensus gratia fœderavit, segregandi sunt, & sigillatim per regularia monasteria dispergendi, ut occasionem peccandi, quam de pravæ familiaritatis consortio quæsierunt, apud ignotos de divisione & diversitate conversationis omittant. Commune votum est, ipsiq; etiam Principi complaceret in regulares canonicos monasterium transformari, ut ipsa species Ordinis innovata, pleniùs omnem possit tollere vetustatem, & cetera exempli severitate monasteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantum dissolutio prorupit audaciam, ut confusionem suam deprehensa etiam non agnoscat iniquitas, sed induratis frontibus semper obstinatio convalescit, sic tamen ille in statum dignioris Ordinis exurgeret, & ubiq; semper quasi præsens esse apostolica severitas crederetur. Præterea provinciam nostram frequentibus monasteriis, ipsisq; nobilibus certum est abundare: canonicos regulares paucos habet, ipsosq; pauperrimos, adeò ut ad quærendum Ordinem illum plerumq; nostrates oporteat ad regiones extraneos demigrare. Bonum itaq; plerisq; videretur, si paucitas monachorum dissoluta in multitudinem regularium excresceret clericorum, ut elocatis utiliter eis, qui ab institutione materna descivisse noscuntur, ceteri materno possent gremio contineri, ne tamquam ablactati ad ignotarum matrum severiores depellantur amplexus. Siquidem, hoc facto, in nocentes utilis vindicta procedet, quæ sublata corporibus peccandi licentia totum ad salutem conferet animarũ, & ad consecranda novellæ plantationis auspicia, proniora favoris publici vota concurrent.

En

Digitized by Google

En mi Josippe, Arnulphus episcopali auctoritate malos eijcere de monasterio potuit, Ordinem mutare etiam in sanctiorem & digniorem non potuit, ut ut res etiam principi terræ placuisset: quia hoc præstare ad sedem apostolicam rectè censuit pertinere. Cùm enim decreto Gregorij VII. *solus Papa de canonia faciat abbatiam*, multo magis ad ipsum eundem pertinebit ex abbatia facere canoniam, seu præposituram. Sed res utcumq; tolerari potest, dummodo tandem maneatur intra terminos religiosæ professionis. Qui si excedantur, & religiosa loca concedantur sæcularibus, hoc demùm corda piorum sauciat. Quis enim non ingemiscat, tot monasteria, & ecclesias, etiam cathedrales, abiecto Ordine religioso, desciviffe ad sæcularitatem? Miraberis ubi aliquando numerabo tibi unius Germaniæ canonicos cathedrales, qui omnes anterioribus sæculis Ordinem religiosum transformarunt in sæcularem. Quædam privata cœnobia non sine bile recenset Trithemius. *Circa A. D. 1485.* inquit, *monasterium in Salsa Argentinensis diœcesis ad instantiam apostatantium monachorum, cooperatione sua quærentium ab Ordine in sæculare collegium translatum est, & ex monachis malis facti sunt canonici deteriores, qui votum Deo factum sine causa violantes mercedem sceleris invenient.* Et: *A. D. 1495 monasterium in Odenheim Spirensis diœcesis ab Ordine nostro fuit translatum in sæculares per consensum summi Pontificis ad instantiam apostatantium monachorum, qui nullam translationis suæ causam legitimam habentes, pro veris falsa suggesserunt Pontifici. Horum vestigia secuti abbas & monachi in Nuvvyler Argentinensis diœcesis de consensu præfati Pont. Alexandri VI. habitum cum Ordine eodem fermè tempore deposuerunt, facti ex monachis malis canonici peiores.* Paulus Langius, Trithemij discipulus, idipsum queritur contigisse cœnobio S. Albani prope Moguntiam, à Carolo magno fundato, & D. Burchardi iuxta Herbipolim. Deniq; ex cœnobio Haideheimensi monachos eiecit Gerochus episcopus & indignus successor & filiaster S. Wilibaldi, substituitq; canonicos sæculares, ut minus indignanter feras, cùm audis hoc vel illud monasterium alterius olim religiosi Ordinis fuisse. Si mutationibus careret mundus, non esset mundus.

Greg. VII. l. 2. epp. 49.

Trith. in Chron. Spanheim.

Paul. Lang. chron. Citizensi A. D. 1193.

Adelbert Abbas de monast. Heidenh. cum append.


ANTI-



ANTIQVARII MONASTICI NOVITIATVS.

EPISTOLA XXII.

An omnis status homines possint suscipi ad monasterium.



ERras, Josippe, si putas esse delictum tam grave, propter quod à vita religiosa quis excludi debeat. Monasteria ita patere debent pœnitentibus peccatoribus, ut confessionalia. *Licitum est,* ait sexta synodus generalis, *Christiano, in quocumque delicto comprehendatur, asceticam arripere vitam, depositisq; mundi tentationibus, monasterium ingredi, & juxta formam monachicam tonderi. Salvator enim dicit: Eum, qui venit ad me, non eÿciam foras. Tamquam ergo monachali vitæ agendæ instituto in pœnitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud sincero animo accedit, congaudemus, nullúsq; eum modus impediat ad suæ intentionis impletionem.*

Can.43.

Ioan. 6.

De solis immanissimis latronibus ad Deum in monasterijs conversis, sanctissimeq; defunctis, integram iliadem tibi, non sine multorum solatio, exarare possem. Nemo incapax pœnitentiæ est, quæ vix efficatius, quàm in cœnobijs agitur, dummodò susceptio non aliunde impediatur: nam privatæ quorundam Ordinum, ac monasteriorum constitutiones nonnullos excludunt. Sed oportet nos esse non nimis delicatos.

Novi

Digitized by Google

Novi Ecclesiæ Theologum acriter culpare Aristotelem, quod ad beatitudinem, præter virtutis actionem, requirat externorum bonorum constantem abundantiam. Idcirco appellat eum jeiunum, & nimis abjectè & sordidè sentientem. Quare Eudoxium, celeberrimum rhetorem, ad monasticum statum eò censet aptiorem, quo corpus habet infirmitatibus subiectum, cùm hoc ipsum quoq; Platoni visum fuerit habere maximam commoditatem ad philosophiam. Magno Basilio certè non obfuerunt infirmitates ad hoc, ob quas cùm Cæsareenses refugerent ab eius electione, acriter à sene Gregorio Nazianzeno patre & episcopo correpti sunt. *Non athleta*, inquiebat, *sed Doctore opus habetis. Non possumus omnes esse pugiles; & præstat fortem habere mentem, quàm bene habitum corpus.* Quamvis ego ejus sententiæ non sim, ut velim recipi passim debiles & claudos, & cæcos, cùm sciam Deum olim iam præcepisse, ut esset sine macula, quod populus offerre volebat; & Cain idcirco fuisse reprobatum, quòd obtulerit viliora, quem pleriq; profani hodie imitantur, dum liberos, nonnisi defectibus notabiles ad monasteria mittunt: quasi ex omnibus Contractis possint fieri Hermanni. Corporis debilitas, quæ nullius rei usum & fructum admittit ad Hospitalia, non ad cœnobia pertinet.

S. Greg. Naz. ep. 64.

Idem ep. 63.

Inter epp. Greg. ep. 22. & 23.

Levit. 22. Deuteron. 17.

Sunt qui in recipiendis novitijs plus nimio respiciunt genus, ac paupertati præferunt nobilitatem, quibus vilis conditio censetur esse impedimentum vitæ melioris. Pessimi censores. *Non videtis ex quàm vili conditione*, ait S. Augustinus, *ad monasteria plurimi veniant, qui si non admittantur, grave peccatum est.*

S. Aug. l. de opere. monach. c. 22.

Nec ætatis nimia cura habenda est, unde S. Ephraim non uno in loco docet senes esse recipiendos, & S. Antonius tandem suscepit Paulum simplicem sexagenarium, sicut & B. Pachomius Macarium, virum provectæ ætatis. Certè S. Gregorius Naz. Eudoxium tanto habiliorem ad veram philosophiam esse iudicavit, quanto magis eum intellexit vergere ad ætatis hiemem, quâ impetus naturæ magis ac magis congelascunt. De pueris comperta res est. Salvianus tradit, quosdam ab incunabulis Deo millitasse: duoq; senes suos filios, vix ablactatos, secum ad monasterium detulerunt, ut Pelagius memorat. Sanctus item Pachomius ait in suo conventu fuisse parvulos tantæ simplicitatis, ut nec dexteram, nec sinistram noverint discernere.

S. Ephr. fol. 288. 516. 770. Pallad. vit. Pauli & de duob. Macarijs.

S. Greg. ep. 63.

Salvian. l. 2. de avarit. Pelag. l. 5. nu. 21. 22.

Vita S. Pachom. c. 21.

Moschus in Limon. c. 196. Vita S. Euphr. c. 8. Conc. Nicæn. II. can. 14. reformat. S. Bened. in reg. c. 59. & 70. S. Ephr. adhor. 3. & de acquir. hum. c. 64. Thren. 3. S. Clem. l. 4. Strom. fol. 501 S. Chrysost. l. 3. adverf. vitup. vit. mon. c. 9.

nere. Apamienses præterea pueros à suo episcopo in monasterium missos pratum refert spirituale, sanctaq; Euphraxia infantula à matre abbatissæ oblata est. Meminit etiam concilium œcumenicum VII. quosdam non solùm in clericos, verùm etiam in monachos fuisse tonsos ab infantia. S. Benedictus quoq; iubet recipi pueros & infantes, & multi secundum S. Ephraimum recepti sunt. Quippè bonum est viro, si portauerit iugum ab adolescentia sua, unde & clemens Alexand. decrevit puero philosophandum, ut puer simul & senex esset. Quin D. Chrysostomus docet magis idoneos esse ad monasticen in ætate minori pueros rudes, quàm si priùs litterati forent; quia plantæ impuberes nullo negotio, quo placet, diriguntur. Atq; hinc existimo quondam plures sanctos in cœnobijs fuisse, quàm nunc sunt; quia à minore ætate recepti, citiùs hauserunt sanctitatem, quàm nostri adulti exhauriant induratas passiones & malitiam. Quare rectissimè dixit Plato: *Qui cupit fieri vir bonus, à puero debet ad id incumbere.*

Plato apud Euseb. l. 12. præpar. evang. c. 17.

Offerebantur autem antiquitùs pueri à parentibus, sicut suasit S. Ambrosius, & habetur in concilio Tolet. IV. citatúrque in Wormacienſi: *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum tenebit. proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Wormatiense ait: *Infantes à parentibus oblati ad monasterium, adulti facti non exeant inde, sed manere cogantur.* In Toletano x. dicitur: *Qui in parva ætate utriusque sexus filij vel tonsuram religionis, vel religione debitam vestem à patre aut matre, vel utrisque simul acceperunt, vel inviti aut nescientes, quod ij habitum susceperunt, tolerant tamen aliquamdiu, hi, inquam, liberi non ampliùs redeant ad sæculum.* Subjicitur autem: *Parentibus filios suos religioni contradicere, non amplius, quàm usque ad decimum ætatis annum eorum licentia poterit esse: à decimo autem religionis votum possunt filij sponte assumere.* In appendice Concilii Lateran. sub Alexand. III. determinatur annus XIV. pro valore voti; vel si puer, à parentibus oblatus, votum parentum, anno præfato ætatis, ratum habuisset. Novo jure, quidquid sit de ingressu religionis, professio non valet, nisi absoluto ætatis anno XVI.

S. Ambr. l. 3. Virg. A. D. 633. can. 48. Wormat. c. 22. A. D. 868. A. D. 656. can. 6. Part. 50. c. 10. Trid. sess. 25. c. 15. de regul.

Modum, quo pueri quondam offerebantur, præscribit S. Benedictus. *Petitio,* inquit, *fiat à parentibus,* in scripto scilicet, *qua*

S. Bened. reg. c. 59.

Digitized by Google

quæ cum pueri manu involuatur palla altaris, & ſic offeratur. In concilio Aquiſgran. quo Benedictini ad regulam reformati ſunt, ſtatuitur, ut hi ipſi pueri, præſentibus teſtibus laicis, offerantur à parentibus, quam oblationem puer maturus factus confirmet. Decernitur inſuper, ut infantes oblati carnem, nonniſi infirmi, comedant, utq; ſchola in ipſo monaſterio non ſit, niſi eiuſmodi oblatorum. A. D. 817. c. 36. Cap. 37. Cap. 45.

Nam hoc te ſcire oportet. Sanctos patres, maximè verò Baſilium, conſtituiſſe pueros eſſe recipiendos ad vitam monaſticam & pupillos quidem ſponte, oblatos verò à parentibus coram pluribus teſtibus; eoſdem tamen magnam curam exegiſſe à magiſtris novitiorum, qua ijdem pueri rectè inſtituerentur. *Non ſtatim* inquit S. Pater, *conventui incorporandi ſunt; nec permittendum ut inter ſeniores & presbyteros verſentur, niſi per diem id labor fortè exigat, ne ſenium illis fiat deſpectabile: in divinis tamen officijs & orationibus ſimul ſint: nam & pueris ex fervore perfectiorum ad compunctionem non leve auxilium accedit. Habeant alias ædes, diætam, ſomnum: diſciplinam ſeorſim exerceant ſub viro prouectæ ætatis, & multæ experientiæ, & qui teſtimonium longanimitatis habeat, ut paterna miſericordia delinquentes corripiat, ac certis modis caſtiget, in doctrina inſtruat, non in fabulis aut nugis, ſed in hiſtorijs & proverbijs divinæ ſcripturæ: aſſiduò illos roget quid cogitationis in animo verſent. Et cum ad id ætatis venerint, qua mortaliter peccare poſſunt, ad profeſſionem virginitatis admittantur coram duobus aut tribus teſtibus, qui ſint antiſtites eccleſiæ. Si qui verò profeſſionem emittere nolunt, corã teſtibus emittantur. Ante profeſſionem autem per aliquot dies in ſeparata cellula exercitium ſpirituale faciant, & de futura profeſſione deliberent. Edita profeſſione fraternitati incorporentur, habeantq; cum illis communem diætam ac victum.* S. Baſil. reg. fuſior. 15.

In concilio Aquiſgran. ſimiliter præcipitur, ut *pueri in congregatione canonica, in uno conclavi atrij, à ſeniore probatiſſimo cuſtodiantur, & à quodam fratre in diſciplinis erudiantur.* Concilium Anglicanum A. D. 1075. vult ut infantes, Deo oblati, in omnibus locis, deputatis ſibi idoneis magiſtris, cuſtodiam habeant. Nec S. Ephraim vult, ut pueri liberiùs cum fratribus agant. Novi quo collimet. Eſt vitium, quod Græci *Pæderaſtiam* nominant, etiam monachis infeſtum. Multi eo ceciderunt. Horreo narrare quid frater ille cum peregrino ado- A. D. 816. c. 135. S. Ephr. de hum. acq. cap. 64. Vide de vita ſpirit. & S. Baſil. de abrenũt. Ioan. ſubdiac. L. 4. n. 34.

 leſcentulo

De vita spirit. lescentulo sub oculis S. Macarij fecerit. Non immeritò proin hortatur monachum S. Ephraim, ut se custodiat, si contingat loqui cum formosis adolescentulis. S. Dorotheus iubet *amicitiam & colloquia adolescentulorum fugere, ut amicitiam diaboli.* Abbasq; Joannes Colobius, seu brevis, pronunciavit cogitatione jam peccare eum, qui libenter cum pueris confabulatur.

S. Doroth. doctr. 20.

S. Ephr. in apophtheri c. 9.

Mi Josippe, audacter crede non sine causa dixisse Syriæ Archimandritam: *Magnum in cœnobio periculum est puerulus, nisi rectè regatur, & instituatur: beatus autem ille est, qui talem educat ex Dei præcepto & voluntate. Fuge,* ait S. Basilius, *conversationem juvenum, & aufuge ab ipsis, velut à flamma: multos enim per ipsos incensos hostis æterno igni tradidit, & in horrendum quinque civitatum barathrum spiritalis dilectionis specie ipsos immersit, & eos qui in pelago ab omni vento ac tempestate servati sunt, intra portum submersit. Procul ab ipsis sede. In reclinatione ad somnum indumenta tua ne sint vicina ipsius. Cum tecum loquitur, deorsum nutans responde ipsi, ne forte per intuitum in faciem, concupiscentiæ semen ab hoste suscipias, & manipulos corruptionis aut interitus colligas. Vbi non est, qui videt opera vestra, nullo loco aut prætextu inveniaris cum illo. Nihil enim magis necessarium est animæ pro qua Christus mortuus est.*

Idem in Proverb. 513.

S. Basil. sup.

Cùm monachismus in primo flore erat, nihil inveniebatur eremo Scithicâ sanctius: & tamen abbas Isaac Thebæus suis fratribus palam edixit: *Pueros hic non adducatis, quia propter ipsos in Scithi quattuor ecclesiæ ad solitudinem redactæ sunt.* In promptu causa est: defuit cautela debita. Aliàs S. Ambrosio teste, fides & religio, sicut non gravantur annis, ita *nulla Dei regno infirma ætas.* Dominus est qui dixit: *Sinite parvulos venire ad me.* Et Apostolus laudat eum, qui à puero sacras litteras didicit: rursumq; præcipit educare liberos in disciplina & admonitione Domini omni tempore.

S. Ambr. l. 7. c. 15. in Luc.

Marc. 10.

2. Timoth. 3.

Eph. 6.

De conjugatis sollicitus es, & refers ex collatore Theonam, virum magnarum virtutum, & meriti apud Deum, qui cùm quinquennium cum uxore vixisset, sollicitante abbate Joanne, ab invita discessit, & monachus effectus est sanctissimus, unde & à ceteris monachis valdè laudatus est. Josippe, nisi te referas ad singularem Dei inspirationem, non excuso, nec laudo Theonam in spontaneo divortio suo: quia scio hoc & sacris litteris, & constitutionibus repugnare. Consummatum matrimonium,

Cassian. collat. 21. c. 1.

exceptâ

Digitized by Google

exceptâ causâ adulterij, usum proprij corporis juxta Apostolum alienat. Et S.Gregorius maritum jubet restitui uxori, sine cujus consensu monachus effectus est, nisi ob adulterium ab ipsa forsan aufugerit. Alexander quoque II. Corso cuidam præcepit, ut rediret ad uxorem, quâ invitâ monasticum habitum susceperat, nisi hæc sponte cum ipso sæculum vellet relinquere. Cui sententiæ conforme decretum concilij Abrincani est in Normania, quo statuitur ut vir ad religionem non transeat, uxore in sæculo manente, vel è converso, nisi ambo operibus carnis tempus excesserint. Alexander III. addit: Nisi mulier sit sterilis & senex. Et tum, inquit, potest in sæculo manere; sic tamen ut promittat castitatem, & quidem perpetuam, ut alibi vult. Itaque, ut paucis tibi dicam, Conjuges ad religionem suscipiendi non sunt, nisi de mutuo libero consensu, & ni uterque simul ingrediatur religionem, aut si alteruter in sæculo remanere velit, ut in ea ætate sit, quæ possit continentiam perpetuam servare, quam etiam voto promittere debet, aliàs professio erit nulla. Loquor de matrimonio consummato, & extra casum adulterij, sed rem hanc tractent Theologi & Canonistæ. Servi, si ad monasterium veniant absque consensu dominorum, ad ipsos remittendi sunt, exemplo S. Pauli, ut probat B. Basilius. Idem sancivit concilium Chalcedonense excommunicans contra facientes: Gelasius autem objurgat eos solùm, qui fugitivos servos recipiunt, jubens eos restitui. Bonifacij lex est: *Si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium ei habitus non præstetur. Et si intra tres annos aut servus, aut libertus colonus quæratur à domino suo, reddatur ei cum omnibus, quæ attulit; fide tamen acceptâ de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, posteà quæri non potest; nisi sit tam longè quod inveniri non possit; sed tantum ea, quæ in monasterium adduxerit, dominus servi accipiat.* Jucundum est, quod in vitis PP. de Olympio servo traditur. Hic quotannis de Scithi, ubi habitabat, pensionem dominis suis Alexandriam attulit, gratias eis agens, quòd ipsum permiserint monachum fieri.

De monachis jam professis, si ad aliud monasterium veniant, & velint stabilire. S. Benedictus in regula mandat, non esse suscipiendos sine consensu & litteris commendatitijs sui abbatis, si sint de noto monasterio: ex ignoto, ait, suscipi posse. De obæratis denique S. Basilius statuit, ut prius debita solvant: aliàs

1. Cor. 7. S. Gregor. l. 9. epp. 44. Alex. II. ep. 11. A. D. 1172. c. cum sis. De convers. conju. c. præterea. ibid. Vide. c. quidam. & c. verum. ibid. Basil. reg. fusiot. 12. S. Aug. ep. 45. 70. 159. S. Basil. cit. c. 11. Can 4. Epist. 9. c. si quis incognitus 17. q. 4. Ruffin. l. 3. vit. PP. n. 11. Pelag. l. 15. n. 31. S. Bened. c. 61. S. Basil. reg. brevior. 94.

Digitized by Google

aliàs ex ijs ſolvantur, quæ ſecum ad monaſterium tulerint, ſi cognatis ſua reliquerunt, hi ſolvant.

EPISTOLA XXIII.

Quot ſint ſuſcipiendi, atque alendi in cœnobiis.



Idendum eſt, Joſippe, utrùm religioſi labore manuali, vel redditibus, aut eleemoſynis ſe alant. Si opere manuum, ut primi monachi, tot pro capacitate loci ſuſcipi poterunt, quot laborare. Hinc olim monaſteria fratribus erant pleniſſima. S. Martinus 80. ſub ſe habuit, ducentos S. Honoratus, 352. abbas monaſterij S. Euphroſynæ: in pleriſque cœnobijs ad Nili ripam centeni habitabant: in S. Pachomij erant mille trecenti vel quadringenti, circa cellam S. Ebrulphi abbatis numerabantur cellæ fratrum mille quingentæ. Or in monte Nitriæ dicitur habuiſſe ter mille commilitones. Nec multum hoc: Quippe S. Auguſtinus refert, in uno ſæpe cœnobio habitaſſe uſque ad terna & amplius monachorum millia, teſtiſque oculatus eſt S. Severus Sulpitius, dicens, in ijſdem viculis ſe exercuiſſe bina vel terna millia, utique ſub uno eodemque abbate: nam S. Baſilius ait in eodem pago non fuiſſe plura monaſteria. Oxyrynchus urbs eſt Thebaidis, in ea una narrat Ruffinus ſe vidiſſe decem millia monachorum, & viginti millia Virginum ſacrarum, omneſque tantò faciliùs ſe ſuſtentabant, quanto plures erant, qui quotidianos labores in unum conferebant, ſic ut præter neceſſaria ingentes inſuper eleemoſynas in egenos conferre potuerint.

Sever. Sulpit. vita S. Mart. S. Greg. l. 1. dial. c. 1. Vita S. Euphr. c. 6. Sulpit. 1. dial. c. 5. Sozom. l. 3. hiſt. c. 13. Pallad. in Macar. Alex. Surius vit. S. Ebrulph. tō. 6. Pallad. in Or. S. Aug. l. de morib. eccl. c. 31. Sulpit. ſup. c. 11. S. Baſil. reg. fuſior. 35. Ruffin. l. 1. vit. PP. c. 5.

Poſteris temporibus, quibus religioſi, maximè in Occidente, ad clerum paulatim evehi cœperunt, tranſtulerunt opera manuum ad ſtudia litterarum, quo factum fuit, ut abſque certis proventibus ſuſtentare ſe non potuerint. Atque ex his redditibus computandus erat numerus fratrum, ne vel pauciores, vel plures, quàm quot ali commodè poſſent, ſuſciperentur. Hinc ſæpê reperiemus in Concilijs caſtigatam fuiſſe abbatum avaritiam, quòd pauciores; aut vanam oſtentationem, quòd plures, quàm facultates admittebant, ſuſcepiſſent. Vtrumque æquè pernicioſum eſt. Per pauciores enim voluntas fundatorum offenditur, & ex nimia pluralitate ſubtrahuntur fratribus tam

animæ,

Digitized by Google

animæ, quàm corporis ſolatia, quo non ſemel contigit, ut religioſus Ordo diſſolveretur, dum fratres ob corporis neceſſaria hinc inde vagari cogebantur, ut ait concilium Aquiſgranenſe. A. D. 816. c. 118.

Memini ex chronico Dominicanorum, hunc Ordinem aliquando in deteriora dilapſum, quòd uno tempore plures recepti fuerint, quàm commodè inſtrui potuerint. Paulatim novitij admittendi ſunt, etſi fratrum penuria ſit. Defectus ſuo tempore compenſabitur. Obruitur ager, qui etiam caritatis annonæ tempore denſius conſeritur. Quidam arbitrantur omnem reformationem & ornatum ſuorum cœnobiorum in eo conſiſtere, ſi magno numero conſpiciantur. Errant: Bona qualitas præponderet quantitati. Quod ſi tamen utrumq; haberi poſſit, tanto melius, dummodo non ultra facultates, quod uno anno in quattuor concilijs deciſum eſt, Arelate, Turonis, Rhemis, & Moguntiæ. Deniq; Ravennæ decretum eſt, ut Epiſcopi redditus monaſteriorũ diligenter inſpicerent, quò ſciri poſſet, quot pro facultatibus congruè ſuſcipi ac ſuſtentari valerent. A. D. 1348. A. D. 813. Arel. c. 8. Turon. c. 30. Mogunt. c. 19. A. D. 1317. rubr. 5.

Acceſſit noſtro ævo Concilium Trident. quod cùm videret plurimos religioſos nec redditibus, nec opere manuali, ſed mendicato atq; ex eleemoſynis vivere, etiam eos ad determinatum numerum conſtringere voluit. *In monaſterijs,* inquit, *& domibus tam virorum, quam feminarum is tantum numerus conſtituatur, & conſervetur, qui ex proprijs redditibus monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.* Exacerbaretur enim populus, ſi fratres mendicantes eum gravarent nimium in exigendis neceſſarijs. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de regul.

Ad extremum ſi quæris, pro quanto numero monaſteria generatim erigenda ſint, ut minor eſſe non poſſit, tibi ſanctus reſpondet Baſilius, in quavis congregatione potius ſuprà, quàm infrà decem eſſe debere, quorum unus præſit non tantum ſanctitate, ſed etiam ætate provectior. Dolendum eſt in tantum noſtris turbulentiſſimis temporibus ita eſſe vaſtata cœnobia, ut vix unus in decem ſit, qui commodè alatur. Traditi ſumus in direptionem & ignominiam, & quod erat patrimonium Chriſti, quàm plurimis in locis effectum eſt ſagina diaboli. S Baſil. inſtit. monaſt. fol. 392. & 398.

(✠)

EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA XXIV.

Quomodo antiquitùs novitij sint suscepti.

PRiusquàm ad rem veniam, operæ pretium erit audire S. Chrysostomum graviter invehi in seipsum, quòd monasticen amplexurus quæsiverit cœnobij commoditates. *Ne existimes*, inquit, *hæc à me dicta esse, quò alios accusem, de meipso dicam tibi. Etenim cùm constituissem mihi olim civitatem relinquere, venireq; ad habitacula Monachorum, multus eram in quærendo & in vestigando, ubi esset abundantia rerum necessariarum? Et utrùm possem habere panem singulis diebus recentem? & num fortè cogerer eâdem ollâ uti pro oleo lucernæ simul & ciborum? utrùm etiam fortassis adstringerer ad vilitatem leguminum, aut ad labores duros, nempe ad fodiendam terram, ferenda ligna & aquam, aliaq; id genus administranda gravia? uno verbo multa quæstio & cura mihi erat de incerti quiete.*

S. Chrysost. l. de compunct. cord. cap. 4.

Quàm graviter se accusaret Chrysostomus, si in suscipiendo monachatu non solùm refugisset à laboribus, verùm insuper anhelasset ad honores? Multi hoc fecerunt. Unde Romana sedes decernere debuit, *ne quisquam monachalem susciperet habitum, spem aut promissionem habens, ut Abbas fieret.*. S. Abbas Nestero longè meliorem intentionem habuit. *Quando intravi*, inquit, *initio in congregationem, dixi animo meo, Tu & asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat, & non loquitur; iniuriam patitur, & non respondet, sic & tu:* quemadmodum & in psalmo legitur: *ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Fecit hoc, atq; inde omnium opinione velocius ad summam perfectionem pervenit.

Conc. Rom. I. A. D. 1063.

Pelag. l. 15. n. 30.

Psal. 72.

Verè ex re S. Gregorius Naz. *In ingressu* inquit, *& professione Philosophiæ cogita quid tibi proposueris. Ditescere? læto animo esse? in hac vita florere, & quiete frui? Aut ex adverso adversitatibus premi? affligi? vexari? omnibus contentum esse? sufferre spe futurorum cuncta? Hæc, non illa expectabamus, non ignoro. Non ergo solvemus pactũ?* Magnus Basilius vult ut quisq; se probet per vitæ rigorem, priusquàm ingrediatur in cœnobiũ, ut ne inopinatis se ipsum immittens certaminibus, deinde impotens existat ad resistendum ingruentibus experimentis, inveniaturque

S. Greg. ep. 201.

S. Basil. de abdicat rerum.

niaturque recurrens ad ea, à quibus egreſſus eſt cum pudore & riſu, & cum animæ condemnatione rediens ad vitam ſæcularem multis ſcandalum fiat, dum vitæ ac converſationis in Chriſto impoſſibilitatem apud omnes ſuſpectam facit. Hoc B. Baſilij monitum S. Fulgentius ſecutus eſt, qui, viſâ arctâ converſatione monachorum, intra penates ſe accuratiſſima diſciplina probavit, utrùm eam vitam ſuſtinere poſſet. Aſſiduè proin jejunabat; orationibus ac lectionibus nullo non tempore inſtabat; ad balneas numquam accedebat. In quibus exercitijs ut ſe ſat fortem expertus eſt, lecta expoſitione S. Auguſtini in Pſal. 36. monaſterium ingreſſus eſt. Vitæ S. Fulgent.

Clauſtrum ingredi, non eſt res levis; aratro enim ſemel tacto, nefas eſt reſpicere, ne dicam regredi. *Bellum militum breve*, ait S. Ephraim, *ſed monachi pugna, quouſque migrat ad Dominum, durat.* Hoc diuturnum bellum, ut eò meliùs cognoſceretur, neque excuſationis locum haberet ignorantia, aut aliuš inanis prætextus, vel frigidum illud *Non putabam*, quidam patres cenſuerunt, Tyrones in ætate minori non eſſe ad hanc militiam legendos. In canonibus ad ſextam ſynodum generalem dicitur: *Quoniam Deo adhærere per ſeceſſum è vitæ ſtrepitu bonum eſt, oportet nos eos, qui vitam monaſticam amplecti cupiunt, non ſine delectu præter tempus admittere, ſed ſervare à Patribus ad hoc datum tempus, nempe ut profeſſionem religioſæ vitæ admittamus illam, quæ ſit facta ſcienter ac cum judicio poſt rationis complementum. Itaque jugum ſubituri monaſticum minor decenni non eſto; ita tamen ut & ſic in arbitrio antiſtitis ſitum ſit, an non ſit conducibilius terminum hunc ad monaſticen prorogare. Etſi enim magnus Baſilius in ſuis ſacris canonibus eam, quæ ſe ſua ſponte Deo offert, & virginitatem complectitur, ſi ſeptimumdecimum annum compleverit, in virginum ordinem referendam eſſe ſtatuit; verumtamen nos ſecuti exemplum de viduis & diaconiſſis, in prædictum tempus eos qui monaſticen non ſat rationabiliter apprehenderunt concluſimus.* In Oxonienſi concilio ſtatutum eſt, ut niſi evidens utilitas ſeu neceſſitas aliud ſuadeat, monachus non reciperetur minor decem & octo annis, ubi plenum rerum agendarum judicium eſt, quod ex magno Gregorio ſumpſerunt Angli, qui idipſum ſtatuit anno ſecundo ſui Pontificatus. S. Ephr. ſerm. ad pietat. exercen. Can. 40. can. 18. ep. ad Amphil. A. D. 1222. Vita S. Greg tom. 2. p. 2. Concil.

At quacumque quis ætate ad religionem quis acceſſerit; ad profeſſionem tamen nullus umquam admittebatur, quin prius

Digitized by Google

fuisset certo modo ac tempore probatus. Tempus apud plures in arbitrio erat. Paulus simplex intra paucos dies absolvit noviciatum suum. Citius Simeon Salus. Danieli stylitæ duodenni puero nonnisi regula prælecta est. In concilio Triburiensi præscribitur annus & dies. Joannes Episcopus Tusculanus per Germaniam, Bohemiam, & Poloniam legatus annum determinavit in suis constitutionibus, quod & Tridentinum decrevit, & observatur, præterquam à Societate, quæ suos novitios cum Essæis per biennium probat, juxta decretum Gregorij magni. S. Pachomius ante triennium neminem ad professionem admisit.

Pallad. vitâ Pauli Leont. vita Simeon. Metaphr. vita Daniel. A. D. 895. c. 24. In tom. Conc. cap. 19. Trid. sess. 25. c. 15. reformat S. Greg. l. 8. epp. 23. Pallad. vita Pachom. c. 38

Antequam verò novitiatûs tempus inciperet, debebant competentes olim extra cœnobium per aliquot dies sustinere mirabilem probationem. Tabennesiotæ nullum recipiebant ad monasterium, qui non prius decem dies aut plures pro foribus excubans omnium pedibus advolutus ingressum petijsset, ut sic humilitas, patientia & constantia futuri militis Christi exploraretur. Quem ritum & Syri observabant, ut B. Ephraim scribit. *Frater,* inquit, *si ad certamen ingrederis, sobrium ac vigilantem te prabe. Ergo quicumque cupit esse monachus, ad fortiter sustinendum se promptum exhibeat, ne ingressus dicat ignorasse se, quod ista sibi eventura essent. Ecce præscivisti ista frater, ut & tu cogitationem tuam componas, sciens quod in hoc manifestabitur tua probatio. Intellige quod dicitur frater, ne hodie pro foribus consistens interrogatusq; dicas, Omnia suffero, cras autem in verbis & operibus detrectes. Angeli enim Dei adstant, audiuntq; de labijs tuis procedentia.* Et alibi: *Nondum primum adscenderunt gradum, & jam super nubes æqualiter volant: nondum primam disciplinæ vocem auribus perceperunt, & jam velut magistri alios objurgant. Nondum in fratrum sodalitium aggregati sunt, & jam sibi auctoritatem usurpant: nondum portas monasterij ingressi sunt, & jam alios reprehendunt, molestant, condemnant. Vix à tribus diebus sæculo renuntiavit, & cum eo qui jam in habitu consenuit, contendit.*

Cassiã. l. 4. instit. cap. 3. Serm. ad piet. exerc.

Hunc ipsum morem pro monasterio expectandi S. Benedictus transtulit in Occidentem. *Per quattuor,* inquit, *aut quinq; dies foris maneat pulsans, & injurias patienter toleret. Postea sit per paucos dies in cella hospitum, inde ducatur ad cellam novitiorum, ubi comedat, dormiat &c. Detur ei magister. Post duos*

Regul. S. Bened. c. 58.

menses

Digitized by Google

menſes legatur ei regula, & iterum poſt ſex menſes, & denuò poſt quattuor, ſicq́; (anno abſoluto *) ſuſcipiatur.*

Vbi cònſuetudo pro foribus ſtandi non erat, aliter poſtulantium probatur propoſitum. *Novimus,* ait Caſſianus, *quemdam fratrem, ſecundum ſæculi hujus ordinem ſummæ familiæ: nam patre Comite, & ditiſſimo oriundus fuit. Qui relictis parentibus cùm ad monaſterium pervolaſſet, ad comprobandam eius humilitatem ſtatim ei à ſeniore præceptum eſt, ut decem ſportas grandes, quas neceſſe non erat tunc vendere, cervicibus ſuis impoſitas, diſtrahendas per plateas circumferret: adjecta conditione, quò diutius in hoc officio ipſe detineretur, ut ſi fortè unus eas emere pariter voluiſſet, non cederet, ſed ſigillatim eas quærentibus venderet. Quod ille tota devotione complevit, & omni verecundia pro Chriſti deſiderio calcata, ſportas humeris ſuis imponens, & per plateas portans, ſtatuto pretio diſtraxit, & pecuniam ad monaſterium reportavit.* Probata ergo ejus humilitate ſuſceptus eſt. Caſſian. ſup. c. 29.

Experimentum quoque futuræ obedientiæ capiebatur. *Cum quidam frater,* ait Sulpitius, *ſæculi actibus abdicatis, monaſterium magnæ diſpoſitionis ingreſſus, ſuſcipi ſe rogaret in congregationem, abbas multa cœpit ei proponere: graves eſſe illius diſciplinæ labores, ſua verò dura imperia, quæ nullius facilè poſſet implere patientia: aliud potius monaſterium, ubi facilioribus legibus viveretur, expeteret: & non tentaret aggredi, quod non poſſet adimplere. Ille verò his terroribus nihil permoveri, ſed magis omnem obedientiam ita polliceri cœpit, ut ſi eum abbas in ignem ire præciperet, non recuſaret intrare. Quam illius profeſſionem ubi abbas accepit, non cunctatus probare, jubet eum in clibanum, qui coquendis panibus parabatur, intrare. At ille non diſtulit parere præcepto: ſed ſtatim medias flammas nihil cunctatus ingreſſus eſt. Quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, ceſſerunt, & confeſtim fugit incendium.* Sulpit. 1. dial. cap. 12.

Quidam itidem frater in eodem monaſterio ad eumdem abbatem recipiendus advenerat. Cum prima ei lex obedientiæ proponeretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, caſu abbas ſtoracinam virgam aridam manu gerebat: hanc fixit in terram, atq́; illi advenæ id operis injunxit, ut tamdiu virgulæ aquam irriguam miniſtraret, donec (quod contra naturam erat) virga arida in ſolo arente vireſceret. Subjectus ille frater duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie convehebat, quæ à Ibid. cap. 13

Nilo flumine per duo fere millia petebatur. Jamq; emenso anni spacio labor non cessabat operantis. De fructu operis spes esse non poterat; tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vano labore tantum effectum fratris eludit. Tertio demum anno succedentium temporum labente curriculo, cum neque nocte, neque die aquarius ille cessaret, virga floruit.

Quid ad hæc Josippe? Numquid nostri scioli abbati huic obtrusissent illud suum, *Rationabile obsequium vestrum?* Sed nihil te moveat, Vnica obedientia cæca plus luminis & rationis habet, quàm mille ratiunculis humanis examinatæ. *Patres seniores,* ait abbas Joseph, *non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta; & si viderint, quia ea quæ distorta sunt faciunt, jam eis non loquuntur, nisi quæ expediunt, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt.* Nam vide, obsecro, mirabilem noviter conversi circa obedientiam probationem.

Rom. 12.

Paschas libell. 10. n. 30.

Climac. grad. 4.

Cum ad cœnobium quoddam aliquando devenissem, ait Climacus *animadverti judicis pastorisq; optimi terribile judicium. Nam dum illic moram traherem, contigit quemdam ex latronum ordine ad monasticæ conversationis gratiam venire. Quem optimus ille pastor, peritissimusq; medicus per dies septē quiete omni, perfrui jussit, vt monasterij statum, normamq; omnem perspiceret. Post diem verò septimum seorsum accitum pastor interrogat, Num censeret optimum cum illis una habitare? Annuente illo, rursus quid in sæculo iniquum operatus esset, interrogat? Cum omnia promptè & accuratè ediceret, volo, inquit abbas, ut hæc cuncta in præsentia omnium fratrum edisseras. Ille reverà sua detestans scelera, omniq; confusione calcata, & iam in Alexandriæ civitatis mediò inquit, id peragam. Itaq; collectis in ecclesia omnibus fratribus (erant autem numero ducenti & viginti) cum consumarentur divina mysteria, (erat enim dies Dominicus) lecto Evangelio inferri reum illum nihil contra querentem iubet, quibusdam illū ex fratribus trahētibus, modiceq; verberantibus, vinctū post terga manus, asperrimoq; cilicio amictū, conspersumq; cinere caput præferentem adeò ut ex ipso aspectu omnes stupefacti protinus exorto gemitu ingēti exclamarēt, ac mugitū redderent. Neq; enim quisquam illorum quid fieret sciebat. Cum verò iam ecclesiæ januis appropinquaret, magna illum, & terribili voce compescuit sacrum illud caput. Sta, inquiebat: es enim indignus, ut hujus loci limen attingas. Tum ille pastoris voce perculsus, quæ ad illum ex intima veri medici sa-*

pientis-

Digitized by Google

sima ratione sonuerat. (videbatur enim sibi ut nobis postea sub jurejurando firmabat, non vocantis hominis, sed terribilis tonitrui vocem audivisse) tremebundus, & omni pavore turbatus in faciem protinus corruit. Cum verò iaceret humi, & pavimentum madefaceret lachrymis, permittitur ab admirabili medico, qui cuncta ad illius salutem moliebatur, formamq; salutis ac certissimæ humilitatis omnibus dare cupiebat, cuncta quæ gesserat, singillatim & per species dicere. Ille verò cum horrore ingenti omnia singillatim confessus est (quæ audiens omnis cœtus supra modum exhorrebat) non tantum quæ per corpus præter naturam, ac secundum naturam in mutis ac brutis animantibus deliquerat, verùm etiam veneficia & homicidia, & similia quæ audire vel scribere horror est, nihil omnino reticens. Confessum igitur statim tonderi, fratribusq; aggregari fecit. Ego verò sancti illius admiratus sapientiam, seorsum interrogavi illum secretius, Cuius rei gratiâ tam peregrinam judicij formam exhibuisset! Ille autem ut verus medicus, duarum, inquit rerum gratia. Primum quidem ut confitentem per præsentem, temporalemq; confusionem æterna confusione liberarem, quod & factum est: neq; enim ex pavimento surrexit, quin peccatorum omnium remissione potitus esset: nec in hac re dubites: nam unus ex fratribus, qui illic aderant, mihi procerum quemdam ac terribilem se vidisse asseveravit conscriptam chartam ac calamum tenentem, & cum frater ille humi prostratus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo delebat. Secundò quia habeo nonnullos, qui peccata quidem necdum confessi sunt; quocirca iam & illos ad confessionem hoc exemplo provoco, qua sine nullus remissione potietur.

Quî sapit tibi hæc probatio? Deus me amet, si absolutissimus superior hæc tentaret, obedientiam non inveniret: ita nobis innatum est, *Rationabile obseqvium vestrum.* Et tamen videmus effectum, quem omnes desiderant, media nemo. Heroicus animus deest, & resoluta intentio, quam Patres nostri initio suæ conversionis habuerunt, sicut de Mutio legimus. *Qui tam diu pro foribus monasterij cum parvulo filio octo circiter annorum excubavit, donec tandem susciperetur. Recepti confestim ab invicem separati sunt, ne scilicet iugi visione parvuli reminisceretur pater quam abjecerat facultatem: & quemadmodum divitem se iam non esse sciebat, ita ut patrem se esse nesciret. Quod ut plenius probaretur, utrùm ipse plus faceret affectione sanguinis an* Cassian. sup. c. 27.

 obedi-

Digitized by Google

obedientiæ, negligebatur parvulus, pannis potius, quàm vestimentis indutus. Sed & colaphis atq; alapis expositus diversorum, quos plerumq; sub oculis suis pater innocenti parvulo etiam gratis cernebat inferri, ita ut numquã genas eius nisi lacbrymarum sordentibus vestigijs videret infectas. Cùmq; taliter infans sub oculis eius per singulos dies ageretur, ille pro amore Christi & obedientiæ virtute, rigido semper, & immobili viscere perduravit. Quod videns pater monasterij ad comprobandam magis eius constantiam, cum vidisset quadam die infantem plorare, simulans se iratum, præcepit patri eius, ut tollens eum iactaret in aquam. Tunc ille velut à Domino hoc sibi esset præceptum, confestim celeri cursu rapiens filium ad ripam fluminis iactaturus advexit. Quod profectò furore fidei & obedientiæ eius fuisset opere consumatum, nisi procurati fuissent ab abbate fratres qui solicitè ripam fluminis possiderent ad parvulum eruendum: proiectumq; iam quodammodo de fluminis alveo parvulum confestim rapuerunt, & cum summa devotione præcepto patris completo ab effectu operis revocaverunt. Cujus fides atq; obedientia & devotio intantum fuit Deo accepta, ut statim divino testimonio comprobata sit. Revelatum namq; continuò est Seniori, hac eum obedientia Abrahæ patriarchæ opus implesse. Cumq; brevi tempore exacto, idem abbas migraret de sæculo, hunc patrem Mutium pro obedientia cunctis fratribus proponens, successorẽ sui atq; abbatem monasterio reliquit.

Pallad. vitâ Pauli. Ruffin. l. 1. vitt. PP.

Quantis non monachis tentata est à S. Antonio patientia & obedientia Pauli simplicis? Sexagenarius senex ad illum magnum venerat, ut monachus fieret. Per triduum impransus & incœnatus expectavit sententiam ac responsum. Antonius tandem hoc ferreo proposito expugnatus, *Poteris*, inquit, *esse salvus, si habeas obedientiam, & quod à me audieris facies.* Faciam, ait Senecio, quæcumq; iusseris. Talemq; vitæ asperæ agendæ rationem suscepit illis diebus Antonius, qualem quando erat inprincipio iuventutis, cuius imitatorem in cunctis habuit suum simplicem tyronem. Itaq; ubi sanctus vidit mentem Pauli nil moveri adversis, cœpit eum tentare circa obedientiam, præcepitq; ei quæ ratio & causa non posceret. Haurire namq; eum aquam iussit ex puteo, & in terram toto die effundere: contextas sportellas resolvere & retexere: vestimentum dissuere & resuere, & iterum dissolvere: urnam mellis frangere, & mel effundere, effusumq; concha colligere, ne sordes simul colligerentur, quod erat difficillimum. Quid multa? In pluribus hujusmodi

juſmodi ſenex ſenem probavit, ut in nullo prorſus eorum, quæ etiam contra rationem videbantur, diſceret contradicere. Sed quo fructu? Deus ob ſimplicem obedientiam Paulo imperium tantum conceſſit in dæmones, quantum non dederat Antonio Poſtquam igitur poſtulantes olim ad monaſteria per ea quæ dixi probati, & conſtantes inventi ſunt, magiſtro tradebantur, ut eos per certum tempus in rebus monaſticis inſtrueret, quod fiebat in ſeparata habitatione, ut profeſſi cum novitijs non commiſcerentur. *Hactenus*, inquit S. Ephraim *in exteriore verſatus es tholo: nunc verò in interiorem tholum ac domum introiſti.* Pachomiani novitij integrum triennium extra adyta in cella novitiorum perſeverare debebant ſub duris laboribus & exercitijs, ac tum primum introducebantur in domum profeſſam ſeu ſtudium. Benedictinis annus præſcribitur in habitatione novitiatûs. Societas JESV ſimiliter tyrocinium in ſeparatis domibus exercet. Quippe multæ rationes ſuadent, ut novitij ſeparatim inſtruantur & habitent. Apud nos fratres uſq; ad presbyteratum ſeparati cum novitijs habitant ſub quotidiana inſtructione ſpirituali.

S. Ephr. paræn. 17.
Pallad. c. 38.

EPISTOLA XXV.

Quibus in rebus novitij ſingulariter quondam ſint inſtructi.



ANte omnia novitio magiſter eſt neceſſarius. Sapientis enim cujuſdam ſententia, *nihil eſt miſerabilius, nihil expugnabilius his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei. Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit*, ait S. Bernardus, *ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* Oportet autem magiſtrum hunc ex S. Baſilij doctrina eſſe *virum virtutibus ornatum, ſuis ipſis operibus teſtimonium perhibentem divinæ charitatis ſuæ, ſacrarum peritum ſcripturarum, tranquillum, non avarum, oſorem negotiorum, quietum, Dei pauperumq; amatorē, non iracundum, immemorem injuriarum, ædificationi proximorū aptum, vana gloria non elatum, tumenti ſuperbia non inflatum, adulationis inimicū, conſtantem, Deo nihil penitus præhabentē.*
Ἀγαθῶν γὰρ διδασκάλων ἀγαθὰ τὰ μαθήματα. πάντως· τὰ δὲ κακῶν κακά.
Quippe bonorum magiſtrorum bona doctrina eſt, quemadmodum prorſus malorum mala.

S. Doroth. doctr. 5.
S. Bern. ep. 87.
S.Baſil. de abdicat. rerum.

Primam

Primam doctrinam tyroni tradendam tradit S. Hieronymus, *Facere quod non vis: comedere quod juberis: vestiri quod acceperis: operis tui pensum perficias: subijciaris cui non vis. Lassus ad stratum venias, ambulansq; dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quaritur. Servias fratribus; hospitum laves pedes; passus injuriam taceas; Præpositum monasterij timeas ut Dominum, diligas ut parentem: credas tibi salutare quidquid ille præceperit: nec de majorum sententia judices.*

S. Hieron. ep. 4.

Sulpit. dial. 1. cap. 11.

Pleraque hæc nituntur fundamento obedientiæ, quæ præcipua semper & prima virtus est habita apud Religiosos. Neq; aliter adveniens quisquam ad monasterium olim ab abbate susceptus est, quàm qui tentatus prius fuerit & probatus nullum umquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile, indignumque toleratu abbatis imperium. *Senioris*, ait Cassianus, *hæc erit solicitudo, & eruditio principalis, per quam junior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa prævaleat, ut doceat eum primitùs suas vincere voluntates; quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo eius esse contraria.*

Cassian. l. 4. instit. cap. 8.

Habemus hujus rei memorabile juxtà ac utilissimum exemplum apud Joan. Climacum, ex quo apparet, quomodo magistri per obedientiam probare novitios, quomodo novitij magistris obsequi debeant. Isidorus vir apud Alexandriam primarius relicto sæculo venerat ad monasterium recipi postulans. Aspectus ipse indicabat hominem esse asperum, intractabilem, superbum ac sæculi dignitate tumentem. Quæ vitia ut abbas corrigeret ait ad ipsum: Si reverà tollere iugum Christi, Isidore, decrevisti, præ omnibus impero, ut te laboribus obedientiæ exerceas. Cui ille: *Sicut fabro ferrum subiectum est, sic & ego, sanctissime, meipsum obedientiæ expono.* Quo ille responso, gratissimoq; exemplo provocatus, continuò Isidoro exercitij manus admovit ut ferro, *Volo*, inquiens, *frater ut ingredientium & egredientium provolutus genibus, dicas, Ora pro me Pater quoniam peccator sum.* Sic autem ille obedivit, sicut angelus Domino. Itaq; cum septem annos illic peregisset, atq; ad profundissimam humilitatem, compunctionemq; pervenisset, voluit Pater post incomparabilem viri tolerantiam, cuius superiori

Clim. grad. 4.

tiori tempore aptum documentum dederat, hunc fratribus connumerare, &, ut reverà digniſſimum, etiam Ordinatione honorare. Verùm ille plurimis multorum precibus apud Patrem egit, ut ibidem illum ſineret, ſicuti hactenus fuerat, degere, curſúmq; ſuum perficere, intelligens, neque obſcurè his verbis ſignificans, finem ſuum jam, & vocationis diem imminere. Quod & factum eſt: nam cum in ipſo ordine illum permanere magiſter permiſiſſet, poſt decimum diem per abjectionem & ignominiam glorioſiſſimè migravit ad Chriſtum. Cujus ſanctitas, ut omnimodis conſtaret, prophetiæ ſpiritu ſuo ſocio ad januam prædixit, poſt ſeptimum diem à morte ſua illum ſecuturum, quod & factum eſt.

Arduus, inquis, ac per ſeptennium productus novitiatus eſt. Verum dicis: ſed cogitabis fuiſſe commenſuratum ſubjecto. Omnes quondam circa obedientiam exercebantur; ſed aliter ſimplices ac modeſti, aliter ſuperbi ac contumaces. Novit diſcretus magiſter modos frangendi proprias voluntates ſuorum. Olim in obedientia adeò accurati erant, *ut juvenes nec ad requiſita naturæ pro arbitrio irent.* Dato ſigno certatim è cubilibus prorumpebant, ita expeditè, ut is, qui opus ſcriptoris exercebat, quam repertus fuiſſet inchoaſſe litteram, finire non auderet; ſed in eodem puncto, quo ad aures ejus ſonitus pulſantis adveniſſet, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponeret, quantum cœpti apicis conſummaret effigiem: omnia enim obedientiæ poſthabenda cenſebant. Caſſian. ſup. c. 10. c. 12.

Nec minor cura adhibebatur ſanctæ paupertatis: *ſumma namque diligentia perquirebatur, ne novitio Chriſti militi de priſtinis facultatibus inhæreret vel unius nummi contagio: ſciebant enim ſub monaſterij diſciplina diuturnum eſſe non poſſe, ſed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehenſurum eſſe virtutem, nec illa cœnobij paupertate ac diſtrictione contentum fore eum, in cujus conſcientia pecunia quantulumcumque latitaverit.* Hinc ne ipſum quidem, quo operti erant, indumentum habere permittebantur ulterius, ſed monaſterij induti veſtimentis, ſua relinquebant œconomo cœnobij, ut in veſtiarium repoſita tandem cederent vel in uſum indigentium, vel in antiquum proprium, ſi fortè non placeret propoſitum, aut ob culpam dimitteretur. Idem c. 3. c. 5. & 6. S. Bened. in reg. c. 58.

Magna præterea ſolicitudine agebatur, ut novitij ſuas cogitationes revelarent inſtructoribus. *Humilitatis,* ait Caſſianus, Caſſian. col-lat. 2. c. 10.

Digitized by Google

hæc erat prima probatio, si universa non solùm quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum vel malum debeat judicare eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solùm per veram discretionis viam juvenem recto tramite docebit incedere; verùm etiam cunctis fraudibus, & inimici insidiis servabit illæsum. Nullatenus etenim decipi poterit quisque, si non suo, sed majorum vivit exemplo; nec valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit.

Ruffin. vit. PP. l. 2. n. 177. Abbas Pastor dixit: *In nullo sic gaudet inimicus, quomodo in illo, qui non vult cogitationes suas manifestare.* Adjungit Pelag. libell. 5 n. 13. alius: *Nec sic extædiat aliquid dæmonem, quomodo si revelentur* Lib. 1. vitt. PP. in vita c. 11. *stimulationes ejus, maximè fornicationis.* Legisti utique beati juvenis Astionis pugnam cum diabolo, quam, quoad celavit magistrum S. Epictetum, frustra pugnavit: ut verò immunditiam cordis aperuit, quasi factâ portâ & viâ erupit inimicus de sinu tentati in forma nigri pueri cum ignea facula. Vox eius erat, *Confessio tua, Astion, magnas meas hodie vires confregit.* Idem Cassian. sup. c. 11. contigit Serapioni tyroni, qui quamdiu celavit furtum panis, tamdiu serpentem infernalem fovit in sinu. Abjectâ tandem noxiâ verecundiâ ubi furtivum paximacium ad pedes projecit abbatis, unà cum pane lampas accensa de ejus sinu evolavit tanto cum fœtore, ut vix quisquam in loco manere potuerit. Non Ruffin. sup. n. 176. malè proinde S. Antonius: *Si fieri potest,* inquit, *etiam quot passus ambulavit monachus, vel quot calices aquæ in cella bibit, senioribus declaret, ne in ipsis deviet.* Denique S. Benedictus etiam S. Bened. reg. c. 4. in sua regula jubet cogitationes malas actutum patri spirituali patefacere: Etenim ut prudens legislator non ignorabat, cogitationes malignas illicò ut patafactæ fuerint, marcescere.

S. Basil. reg. fusior. q. 10. Juxta S. Basilij informationem attendendum insuper in novitijs est, utrùm defectus rotundè fateantur, & non ita facilè ad quodvis objectum erubescant, maximè si de vita splendida De abdicat. rer. venissent, quos vult ut se exerceant non in stratu molliori, aut vestimentis, calceamentisúe notabilioribus, aut in alternatione ferculorum, mensáve delicatiori, vel etiam in loco commodiore sessionis aut stationis, aut operis materia ornatiore. *Omnia hæc,* iquit, *si vel habeas, vel procures, malum ferent eventum: &*

nisi

Digitized by Google

niſi velociter inſidias diaboli agnoſcas, brevi te ad ſaculum retrahent. Novitius hoc in corde ſuo ponat, ſe omnium hominum eſſe deſpicabiliorem & ſceleratiorem, profugum item atq; hoſpitem ac peregrinum, & tantum ex miſericordia ſuſceptum à ſuis fratribus ſenioribus. Studeat omnium eſſe in cunctis ultimus, ac omnium ſervus.

S. Pachomij voluntas eſt, ut novitij ante Profeſſionem diſcant Orationem Dominicam, pſalmos, cum alijs diſciplinis cœnobij; & duabus epiſtolis S.Pauli. Certas horas quoq; conſtituit quibus ignari docebantur ſcribere & legere. S. Baſilius generatim præcepit, ut eam partem ſcripturæ diſcerent, quæ eſſet neceſſaria ad quotidianas collectas. Ad labores deniq; conſtringebantur etiam duriſſimos, ſic ut S. Chryſoſtomus dicat, Locupletiſſimorum parentum filios ad opera duriora fuiſſe miſſos, quàm ruſtici. Et tamen, inquit, ita conſtantes in arrepto propoſito fuerunt, ut maluiſſent contra ferrum, ignem, beſtias, & alia quæcumque perſiſtere, quàm ad priorem poſteritatem, divitias, mundique delicias remeare. Noſtri delicatuli vix aquam ferrent, aut ligna ad focum; quibus foret Herculeus labor ſi mundare triclinium deberent, lectos ſternere, aut ligna findere; quæ tamen in annis puellaribus factitabat S. Euphraſia nobiliſſimis orta natalibus. Quid ergo reſtat niſi ut ex mollibus novitijs fiant molliores profeſſi?

S. Pachô. reg. n. 26. & 80.

S. Baſil. reg. 3. breu. n. 95.

S. Chryſoſt. l. 2. adverſ. vitup. vit. mon. c. 3.

In eius vita.

EPISTOLA XXVI.

Quibus Novitij poſſint ſua bona relinquere.



BOna temporalia Religioſo novitio ante Profeſſionem eſſe dimittenda clara S. Scripturæ ſententia eſt. *Si vis perfectus eſſe,* inquit, *vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Ab omnibus ſpiritualibus id factum eſt, ait S. Auguſtinus. Vnde audacter S. Petrus nomine totius Capituli apoſtolici, *Ecce nos reliquimus omnia*, etiam quæ habere poſſemus, ut interpretatur magnus Auguſtinus. Valde laudatur à patribus juvenis ille, qui renuntians ſæculo, cùm pateretur inſidias cacodæmonis propter ſuas divitias, etiam veſtes abjecit, & nudus cucurrit ad monaſterium. Scrapion cum præter Evangelij codicem nil reſervaſſet,

Matth. 19.

S. Aug. enarr. pſal. 43.

Matth. ſup.

S. Aug. conc. 3. in pſal. 103.

Ruffin. l. 2. vit. PP. n. 67.

Idem. n. 70.

Digitized by Google

vasset, etiam hunc distraxit, & pretium dedit esurientibus dignam memoratu promens sententiam. *Etiam librum*, inquit, *vendidi, qui mihi jugiter obtrudebat, Vende quæ possides, & da pauperibus.*

A renuntiaturis, Josippe, cuncta ad novissimum quadrantem usque dimittenda sunt. Gravissima censura S. Antonij est: *Quicumq; renuntiant sæculo, & volunt adhuc habere pecunias, à dæmonibus lacerantur.* Hinc amplius placuit patribus vita cœnobitica, quàm anachoretica, aut ea quam quidam in suis ædibus ducebant; quia sine peculio hi esse vix poterant, maximè cum laborare manibus nollent, aut nequirent. Talis fuit Eulogius apud Palladium, qui modicum sibi ad necessariam sustentationem retinuit: Talis S. Marcellina, cui B. Ambrosius prædiorum suorum usumfructum concessit ad necessaria corporis.

Idem n. 68.
Pallad. Laus. c. 26.
Paulin. in vita S. Ambrosij.

Evangelium vult, ut qui perfectus esse desiderat, omnia relinquat, sicut fecit S. Augustinus, Paulinus, & principio omnis ecclesia Sanctorum, qui facultatibus venditis pretium deponebant ad pedes Apostolorum, ut pro arbitrio dividerent pauperibus. Extra Judæam quilibet ipse in egenos sua distribuebat, quod quomodo factum sit à S. Paulino docemur: narrat enim Alethium juvenem clarissimum ex ordine Senatorio defuncta conjuge Ruffina S. Paulæ filia cum Christo serviturus esset, omnes egenos in basilicam S. Petri Romæ convocasse, ijsque humi residentibus cibum, potum, vestes ac pecunias liberalissimè distribuisse.

S. Aug. ep. 225
S. Paulin. ep. 2. ad Sever.
S. Athan. vita S. Anton. c. 2.
S. Paulin. ep. ad Alethium.

Fuerunt tamen, qui non ab initio conversionis suæ, sed successiuè sua distribuerent. Melania iunior postquam 175000 aureos in pias causas impendit, plures sibi reservavit in futuram pauperum & monasteriorum indigentiam. Pammachius sua partim conversionis initio, partim à morte pauperibus elargitus est. Si personas, tempora & episcoporum discretam conniventiam aspicio, silentium teneo. Paësius & Isaias fratres fuêre, quorum alter cuncta dedit monasterijs, ecclesijs & custodijs, alter extructo parvulo monasterio paulatim cuncta dedit egenis, infirmis, senibus atq; hospitibus. Defunctis ambobus cum inter monachos orta fuisset quæstio, uter esset in cælo gloriosior? B. Pambo dixit: *Ante Deum vobis loquor, vidi utrosq; stantes in paradiso.* Apollonium lego aliqua sibi reservasse ad curam monacho-

Pallad. c. 90.
Idem c. 92.
Idem c. 15. & 16.
Idem in Apollon.

nachorum infirmantium. Quam plurimi de suis patrimonijs cœnobia extruxerunt, vel alia loca pia, quod approbat S. Augustinus. Multi se simul ac sua monasterijs à se erectis consecrarunt. Exempla sunt obvia. Non pauci se suaq; tradiderunt alienis phrontisterijs: alij semetipsos uni, sua monasterio alteri obtulerunt. Quid moror? Non pauci sua reliquêre suis. B. Fulgentius portionem suæ substantiæ non fratri Claudio, sed matri donavit, utiq; titulo honestæ sustentationis, quo etiam Apostoli sua retia non mendicis forensibus, sed indigentibus domesticis dimisêre, quem modum S. Pater Augustinus suis clericis commendat, atq; ex Apostolo probat dicente, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

S. August. serm. 2. de cōmun. vita cleric.

Vita S. Fulgent.

S. August. sup.

1. Thimoth. 5

S. Basilius quoq; tradit hæreditatē posse relinqui cognatis in suis regulis brevioribus. Vnde cum abbas Pastor negat monachum posse sua dimittere vel ecclesiæ, vel parentibus, causas addit, quæ Apostolicæ sententiæ non præiudicant. *Non ecclesiæ* inquit, *inde enim clerici convivia instituent: non parentibus; inde enim merces non est; sed pauperibus*, quo manifestè significavit, de parentibus copiosis, non egenis se esse locutum. Deniq; quod senior ille apud Pelagium noluit, ut frater sorori pauperi daret eleemosynam, affectum carnalem, qui adhuc in ipso erat, truncavit: cognitum est enim monachum quemdam suum fratrem carnalem suis eleemosynis pauperiorem effecisse, quàm prius erat.

S. Basil. reg. breu. 34.

Pelag. libell. 10. n. 5. 6.

Idem n. 101. & Libell. 13. n. 13.

Sed hoc latere te non debet, quod in Aquisgranensi concilio præcipitur. *Novitij facultates suas parentibus commendent, vsquedum novitiatum absolverint.* Multi frequenter impegerūt, dum antequam certi essent de professione, sua indiscretius alienarunt. Unde rectè in Tridentino statuitur: *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cuiuscumq; causæ piæ valeat, nisi cum licentia episcopi, sive eius vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum bujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.*

A. D. 817. cap. 34.

Trident. sess. 25. de regul. cap. 16.

Sancti Patres multis de causis consultum esse censuerunt, ut monasteria ab ingredientibus novitijs nihil reciperent. S. Basilius id vtile esse dixit ad cavenda scandala, & ad ædificationem

S. Basil. reg. brev. 304.

Digitized by Google

Cassian. l. 4. instit. c. 3. fidej: abscindentur etiam exprobrationes, occasio elationis, & non confundentur, qui nil habent. Pachomiani ideo nil capiebant, ne suscepti inde vel erigerentur, vel regressuri id iterũ exigerent. S. Bernardus dicebat: *Nos te, non tua diligimus. Tua sint, à quo sunt.* B. Euphrasiæ mater cũ in ingressu filiæ præberet monasterio auri libras 20 vel 30. abbatissa respondit, cœnobium non egere redditibus; se cuncta reliquisse, nec velle aliquid possidere. Si quid tamen dare velit, det pauxillum olei ad candelas, & thymiama ad oratorium.

S. Bern. ep. 107.

Vita S. Ephr.

Deinde professio cum debeat esse summè libera, cautum est, ne ante eam quidquam reciperetur, ne novitius timore futuræ egestatis eam emittat. Hinc Tridentini severissimũ mandatum est, *Ne ante professionem excepto victu & vestitu, novitij vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumq; prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit sancta synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant.* Cum Tridentino circa vestitum consentit concilium Oxoniense dicens: *Nihil extorqueatur pro ingressu ad religionem, adeò ut si præ paupertate domus debeat novitius vestire seipsum, prætextu vestium, ultra iustum pretium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.* Hinc doctores nostri communiter dicunt, si monasterium sit opulentum, nec aliquid ratione victus aut vestitus à novitio posse exigi: non enim contemnenda censura S. Thomæ est, qui ait, *Si sine gravamine monasterij possit recipi novitius, simoniacum est aliquid exigere,*

Trid. sup.

A. D. 1222.

S. Thom. 4. dist. 25. q. 3 art. 2. ad 7.

Atq; Simoniaca labes exterruit multos, ne quod fortè in ingressu oblatum fuit, videretur datum aut acceptum pro ingressu, sic ut S. Basilius nolit aliquid accipi à novitio causa amicitiæ vel cognationis. Et crede mihi, nisi pestis simoniaca hac in re sæpius observata fuisset, tot avocatoria mandata non extarent. *Nullus,* inquit concilium Aquisgran. *pro munere recipiatur in monasterium.* Et Melphitanum in Apulia: *Nullus abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversationem veniunt aliqua placiti occasione præsumat.* Londoniense II. ait: *Exactiones certæ pecuniarum pro recipiendis monachis, canonicis, sanctimonialibus non exigan-*

S. Basil. sup. reg. 305.

A. D. 817. c. 75.

A. D. 1090. c. 5.

A. D. 1127.

exigantur, etiam sub pœna anathematis, ut habetur in altero concilio ibidem habito. Turonense A. D. 1163 idipsum prohibuit cum Lateran. generali sub Alexandro III. cuius verba habes in Londoniensi A. D. 1200. Lateranense sub Innocent. III. apertè indicat labem Simoniacam esse, dum moniales nullam in sororem recipiunt absq; pretio prætendentes paupertatem suam. *Hoc si decetero*, inquit, *fiat & recipiens & recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis de monasterio in locum arctioris regulæ ad perpetuam pœnitentiam expellatur.* Verùm hic canon multum hodie patitur, dum passim in dotem aliquid etiam permissu Ecclesiæ accipitur. Quod quomodò fiat legitimè, ad epistolas non pertinet, sed ad disputationes Theologicas de Simonia.

A. D. 1175. c. 3.
Lateran. c. 10
Cap. 64.
Extr. de Simon. tit. 1.

EPISTOLA XXVII.

Cuius sit novitios ad Professionem recipere.



NOn cupis scire, quid in scholis hodie doceant Theologi, Sed quid antiquitas. S. Benedicti sententia est: *Abbas audito consilio fratrum faciat quod utilius judicaverit.* Non ergo sequi tenetur, sed solùm audire placitum Capituli, quod & de nostris quidam sentiunt. Contrà sunt qui professionem dicunt esse nullam, nisi habeatur consensus etiam fratrum maioris & sanioris partis, id quod consuetudo passim tradit, & exemplum S. Pachomij, qui de solo suo arbitrio non fuit ausus suscipere S. Macarium. Quare necesse fuit, ut ad id prius fraternitatem induceret, ne senectute eius gravaretur. De consilio quoq; fratrum susceptus est ad professionem S. Angelus Carmelita. S. Basilius etsi iubeat in hac re celebrari Capitulum, ut loquimur, ulterius tamen non exigit, quàm ut recipiendi habeatur notitia. Alibi redarguit chorepiscopos quidem, quod absq; consensu cleri maioris clericos efficiant, dū tamen eos in gradu relinquit, insinuat non nisi illicitè in Ordinem fuisse susceptos. Itaq; sicut hodie, sic & olim in nostro proposito diversitas fuit sententiarum. Si nosse desideras quid ego sentiam, dico in nostris Ordinibus, qui Generalibus carent, professionē esse nullam, in quam non maior pars fraternitatis consentit. Quid enim aliàs Prælati gemina sua vota prætenderent, si absolutam haberent potestatem? Idcirco verò ab antecessoribus

In reg. c. 3.
Pallad. in Macar. Alex.
Enoch. in vita S. Angel.
S. Basil. reg. breu. 112.
Idem epist. 181.

Digitized by Google

bus nostris plena potestas in hoc negotio Prælatis concessa non est, ne Conventum pro voluntate gravare possent. Vbi stabilitas loci (ut vulgò loquimur) non est, superiores liberius circa professionem disponere queunt: dum enim fratres hinc inde transferuntur, magna sæpe pars gravaminum tollitur.

EPISTOLA XXVIII.

De religiosæ professionis ritibus.



PRofessio religiosa, perquam se homo Deo offert ad vitæ purioris institutum sub tribus votis in approbata religione non est novum, Josippe, commentum. Id nostri Patres annunciabunt nobis. Græci appellarunt eam ὁμολογίαν. Ita loquitur S. Clemens Alexandr. ita Origines, Basilius, & eius synchroni sæpissimè, ita canones concilij VI. œcumenici.

S. Clem. l. 3. Strom. init. Orig. hom. 3. super Numer. S. Basil. ad Virg. laps. Conc. VI. can. 40. Cap. 14. S. Greg. Naz. epist. 201.

Eamdem appellarunt συνθήκην, nempe pactum: est enim contractus, non jam dico, inter profitentem & monasterium, sed inter Religiosum ac DEUM: nam ille pollicetur vitam sanctiorem, hic vitam æternam. Hinc votorum transgressor παραβάτης τῶν συνθηκῶν ἑαυτοῦ dicitur in concilio œcumenico VIII. S. Gregorius Nazianz. nominavit eam simili significatione πραγματείαν. Denique à promissione ἐπάγγελμα, seu ἐπαγγελία appellatur.

S. Ambr. l. 3. Virg.

Venio ad Latinos. S. Hieronymus in præfatione ad regulam S. Pachomij, de præcedentia loquens: *Non ætas inter eos,* inquit, *quæritur, sed Professio.* S. Ambrosius eadem voce utens; ait, sororem suam *Virginitatis professionem* fecisse. Et: *Ne mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in parvulis passionem.* In concilio Arelat. II. sub Siricio Papa A. D. 385. circiter, eadem locutio reperitur. *Post sanctam religionis Professionem.* Et in Carthag. A. D. 398. cui S. Augustinus interfuit: *Clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet.* Idem S. August. pulcherrimè docet, Quomodo vocatio ad monachismum & professionem sit donum DEI. Atque ab hac professione, qui eam emisêre dicti sunt Professi, vel Professæ, ut in concilio Tolet. 1. A. D. 400.

Can. 45.

S. August. in Psalm. 132.

S. Basil. reg. fusior. 15.

Res suo nomine non est recentior. Basilius, ut jam semel tibi dixi, vult, ut novitius ante professionem faciat exercitia spiritua-

spiritualia, quo medio nihil est efficacius ad insufflandum spiritum. Sic quoque deliberatio erit sincerior, quâ planè magna opus est ad negotium tale, à quo non modò regredi, verùm etiam respicere nefas est. Quippe *in professione angeli Dei adstant,* ait S. Ephraim, *audiuntq; de labiis tuis procedentia verba, vota, & juramenta.* Et S. Basilius: *Memento professionis tuæ, quam coram Deo, angelis & hominibus emisisti.* Tremebam toto corpore, cum in hoc loco primæ professioni adstiti, & audivi profitentem se non solùm voto, sed etiam juramento obligare ad servandum propositum. Recordabar S. Ephraimi tantum non auribus profitentis insusurrare: *Id noveris, frater, quod angeli in hoc momento voces tuas, & pacta tua, abrenuntiationemq; tuam describant, & in cælis usque ad horribilem illum judicij diem conservent. Non ergo pertimescis? non exhorrescis? In die judicij proferent angeli tuum chirographum, & verba oris tui coram formidabili tribunali. Tunc auditurus es, Ex ore tuo te judico.*

S. Ephr. serm. ad piet. exercend.
S. Basil. ad Virg. laps.
S. Ephr. serm de compunct.
Luc. 19.

Ex magni Basilij præscripto, Professio debet fieri manifestè, ut transgressor deinde puniri possit. Certè S. Ambrosius scribit ad suæ sororis professionem plures homines accurrisse, quàm ad Christum in eremum, quando 4000. virorum aderant exceptis parvulis & feminis. Olim ad eam singulariter adhibebantur testes, ut Patres indicant. Facienda est Prælato proprio, ut sciat professus cui obedire debeat. In appendice concilij Lateran. sub Alexandro III. dicitur. *Majori Priori,* id est, supremo Superiori, *professionem omnes laici faciant in manu ejus, promittantq; se castè, obedienter, & in paupertate victuros.* B. Bernardus subtilius rem considerans docet professionem non Prælato fieri, sed in ejus solummodò præsentia. Rectè: nam principaliter Deo fit; hic est enim cui promittimus. *Notum est,* inquit, *solemniter ac regulariter profiteri quemquam in præsentia abbatis. In præsentia ergo tantum, non etiam ad nutum ejus fit cujusque professio. Testis proinde adhibetur abbas, non dictator professionis; adjutor non fraudator adimpletionis, vindex non auctor prævaricationis. Quid igitur? Ponam in manu abbatis, quod absque ulla exceptione coram Deo & sanctis ejus propria manu & ore firmavi, audiens ex regula, si quando aliter fecero, à Deo me esse damnandum quem irrideo.*

S. Basil. ep. 2. ad Amphil. c. 19.
S. Ambr. l. 3. Virg.
Marc. 8.
S. Ephr. sup. & S. Basil. reg. fusior. sup.
Part. 17. c. 5.
S. Bern. ep. 7.

Atque hujus abbatis seu Superioris, præsentis, & loco Dei professionem suscipientis, & vice monasterij cum profitēte

contrahentis est benedicere novum Christi militem. Vbi quærit S.Ivo Carnot. an hæc benedictio sit omnino necessaria? Item an fieri possit ab alterius monasterij abbate, vel à monacho simplici? Ad quod respondet, *Illam solemnem benedictionem non esse simpliciter necessariam ad constituendum monachum, ut quem talem efficiat nulla exterior adjectio, sed mundi contemptus & plena Dei dilectio. S. Paulus primus eremita,* inquit, *monachus fuit, nec tamen ab ullo benedictionem accepit, sicut nec S. Antonius, nec alij plures per Ægyptum. Quod verò postea multiplicatis monachorum congregationibus professiones ab eis exactæ sint, & benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum, ut monasticus Ordo quanto firmius in conspectu Dei & hominum, & solemnius ligaretur, tanto robustius & devotius ab eis servaretur. Et si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur, & tamquam jurati in Christi sacramenta tyrones ad propositum suum reverti cogerentur. Quibus liquet traditiones hujusmodi nihil esse aliud, quàm quædam religionis vincula humanæ instabilitati provisa. Vnde in discretione abbatum hoc mihi ponendum videtur, utrùm debeant professiones coram aliis factas, vel benedictiones ab aliis datas in sua præsentia iterare; quia non est hoc ecclesiastica sacramenta iterando violare, sed pro instabilitate personarum vinculum vinculo superponere.* Addit: Cluniacenses monachos, qui ex alijs monasterijs ad eorum accedunt congregationem, iteratò benedici.

S. Ivo ep. 41.

Putat igitur Ivo ceremonias solemnes in professione cum ipsa benedictione, nec esse antiquas, nec necessarias: posse proinde vel dari vel omitti, vel iterari pro arbitrio abbatis, cum in ijs monachismus non consistat. Verum est; Nulla exterior ceremonia formaliter efficit monachum: Sed quòd olim nullæ benedictiones & ceremoniæ ad ineundum monachismum adhibitæ sint, id non possum credere. Ægypti monachi ab Essenis descenderunt, qui absoluto novitiatu professionem inter terribilia juramenta palam facere debebant, ut pridem tibi scripsi. Illis ipsis temporibus monachismus influebat in Græciam, & monachi solemniter consecrabantur. Vtiq; credis, Josippe, S.Dionysio Areopagitæ S. Pauli discipulo. Hic ait: *Propter sacram conversationem, & institutum monachorum concessit eis sacra legislatio consummativam gratiam, & quadam eos dignata est consecrativa invocatione; non tamen hierarchica, seu sacramentali, qua inaugurantur clerici.*

Epist. 13.

S.Dion. c.6. de eccl. hierarch.

Modus

Modus huius consecrativæ invocationis erat iste. Presbyter stabat in conspectu divini altaris, monachicam benedictionem psallens: consummandus autem retro ipsum, nec unum, nec utrumq; genu more diaconi, vel presbyteri ordinandi inclinans, nec sacra eloquia super caput habens instar episcopi consecrandi. Ergo solum sacerdoti adstat psallenti super ipso mysticam invocationem. Quo facto presbyter primò interrogat eum, utrùm abrenuntiet divisis, hoc est, vanis, & à Deo separantibus, non modò conversationibus, verùm etiam phanthasijs. Deinde perfectissimam ei vitã narrat, testimoniũ ei perhibens, quia oportet eum media superadstare, id est, perfectius vivere, quàm ceteri fideles laici, qui inter clerum & catechumenos, medij in ecclesia stant. Hæc autẽ omnia perficiente, intentiusq; confitẽte, seu promittente monacho, cruciformi similitudine signans eum sacerdos, tondet, trinamq; divinæ beatitudinis invocans substantiam, & vestem omnem exuens alteram induit, & cum alijs sacerdotibus, quicumq; adsunt, salutans eum, socium perficit divinorum mysteriorum per SS. Eucharistiæ communionem.

Post S. Dionysium, non evanuit in Ecclesia mos & consuetudo hæc, sed mansit constanter, manebitq; quamvis in nonnullis variata. Sozomen⁹ de viro & femina sub constantio Imp. loquẽs, (Sozom. l. 3. hist. c. 13.) ait eos virginitatem Deo promisisse κατὰ θεσμὸν ἐκκλησίας, ex norma ecclesiastica. Et cur professio Græcis ὁμολογία. dicitur nisi ab actu publico? Nam Homolagitas eos dicimus in Ecclesia, qui fidei confessionem palam coram tyrannis ediderunt. Metaphrastes ait Stephanum abbatem super Ioannicium solitas fudisse preces, sa- (Metaphr. vita S. Ioannic.) crasque recitasse orationes, eumque induisse veste monastica. S. Benedictus suis profitendi hanc præscribit formulam: *Suscipiatur,* inquit, *in oratorio promittens stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam coram omnibus sub scriptura, vel sal-* (S. Ben. reg. c. 58.) *tem sub signo certo, si alius pro ipso scribat. Dicat ter, Suscipe me Domine secundum eloquium tuum & vivam,* &c. Quem versum (Psal. 118.) etiam Canonici dicimus. Ante S. Benedictum B. Ambrosius formam nobilissimam benedicendi Virgines tradidit in professione Ambrosiæ Virginis Eusebij filiæ, *Hæc famula tua,* inquit (S. Ambr. instit. ad virg. fin.) ad Deum, *tuis assistit altaribus, non rutilanti cæsarie flavum deferens crinem flammeo nuptiali dicatum: sed illum crinem quo evangelica illa mulier sancta Maria pedes Christi sedula pietate detersit. Adest puella, quam non nuptiarum festa, non præmia, non onerati*

Digitized by Google

pondus uteri votiuo nupturis dolore sollicitent: sed quæ immaculatos sibi fidei partus, & pietatis exposcat, ut in utero accipiat de Spiritu sancto, & spiritum salutis DEO fœta parturiat. Sed ut ista procedere possit meritorum gratia, tu Deus pater omnipotens suffragia commendationis adjunge. Pergit prolixè super eam ambrosiam fundens orationem. Prælegebatur quoq; eis versiculus psalmi *Audi filia*, ut alibi dicit. Abbatis monasterij B. Euphrasiæ sub hac prece sacrarum virginum professionem absoluit. *Rex sæculorum, qui in ea cœpisti opus tuum, tu perfice hoc in pace: da ut ambulet secundum nomen tuum, & fiduciam inveniat in conspectu tuo semper.* Stephanus Grandimontensium pater Deo se in eremo consecraturus unicum annulum reservarat. Hac se B. Virgini despondens dixit: *Ego Stephanus abrenuncio diabolo, & omnibus pompis eius, & offero me ac reddo Deo Patri & filio, & spiritui sancto.* Scribensq; professionem suam posuit super caput suum, fundens quoq; orationem ad JESUM CHRISTUM Dominum, & ad matrem ejus Virginem.

Idem ad virg. lapſ. — Pſal. 44. — Vita S. Euphr. — Vitt. PP. Ovid. l. 5. vita

Verùm ad monachos Ægypti & Thebaidis regrediar, S. Pachomius nullum ad professionem admisit, nisi sub collecta cum fratribus præsentasset. Et licet non legamus S. Antonium & alios sub his aut alijs certis ceremonijs professionem emisisse; nullus tamen dubito ipsorum monachismum habuisse solemne initium, quale fuit S. Pauli simplicis, quem B. Antonius sub hac forma monachum effecit. *In nomine Domini monachus factus es.* Itaq; semper interueniebat aliqua benedictio & solemnitas, qualis qualis tandem fuerit: nec errabis, opinor, si dicas S. Paulum semetipsum Deo consecrasse & obtulisse ad vitam eremiticam, sicut se consecravit S. Stephanus Grandimontensis.

Reg. S. Pachom. n. 26. — Pallad. vitâ S. Pauli.

Nam omnino necessarium est, ut religiosus se in professione Deo consecret. Hinc oramus ter, *Suscipe me Domine* &c. *Donum nos obtulimus Deo*, inquit ad suos B. Ephraim. Et iterum: *Qui se verè Domino consecrare cupiunt ob futuram regni promissionem.* Et *Totas Deo se devoverunt monachi.* Hinc dicti sunt *Sancti*, seu sanctificati, & *Deo devoti*, & *anima monachi desponsata Christo.* Quapropter ad peculium Dei pertinemus ex quo professionem fecimus. Et ideo in vita S. Iuliani lego, diabolum ea solùm de causa non potuisse nocere monacho cuidam, quod Domino consecratus esset.

S. Ephr. adhort. 1. & serm. ad piet. f. 73. & 580. Serm. de beat. Paræn. 1. & de 2. advent. Dom. — S. Ephr. fol. 752. — Reg. S. Pach. n. 95.

Præter tria vota Pachomiani in professione promittebant obser-

observantiam regulæ, nos obedientiam secundum regulam. S. Gregorius Naz. requirit insuper *propositum tolerandi omnia mala: Memento*, inquit, *quid in professione propositi tibi fixeris*, *nempe omnia mala æquanimiter tolerare*. Aliqui ordines quartum votum addunt carnisprivij, aut obedientiam Papæ ad quasvis missiones. Esseni, & alij plures, sicut & nos voto addimus iuramentum super evangelia, quo trensgressor & votifragus & simul periurus fit, quod patribus in concilio Cabilonensi non placuit, hinc sustulerunt à professione iuramentum. Deniq; scripto faciendam Professionem præter S. Benedictum docet concilium Tolet. X. Item Alexander III. in appendice ad concilium Lateranen. Nos & viva & scripta voce profitemur. Deniq; Benedictinis in specie præcipitur, ut facta professione per triduum caput opertum cuncullâ habeant.

S. Greg. ep. 200.

A. D. 813. c. 13.

cap. 4. & 5.

Part. 21. c. 2. & 3.

In Conc. Aquisgr. A. D. 817. c. 35.

Si quæris, quomodo se religiosus post professionis actum erga Deum gerere debeat, respondet S. Basilius: eo modo quo ille qui dicebat, *Quis sum ego Domine mi, & quæ est domus mea, quod dilexisti me?* Adiungit professum etiam meminisse debere moniti S. Apostoli, quo dicit, *Gratias agentes patri, qui sufficientes nos fecit ad portionem sortis Sanctorum in luce, qui liberavit nos ex potestate tenebrarum, & transtulit ad regnum filij dilectionis ipsius*. Magnum beneficium hoc: ut melius esset tantam gratiam non accepisse, quàm post eam indignè vivere.

S. Basil. reg. brev. 167.

Ephes. 5.

EPISTOLA XXIX.

Tria vota semper annexa fuisse vitæ religiosæ.



NOn tibi scrupulum moveat, quod in actu professionis nonnisi votũ exprimamus obedientiæ. Hoc ipso quo religiosam vitam ducere intendimus in vera religione, ad tria vota constringimur velimus nolimus, licet nec in professione obedientiam exprimeremus: nam absq; tribus votis religiosus status est nullus; inducit etenim necessitatem tendendi ad absolutissimam vitæ perfectionem, cuius proin obstacula nisi omnimodis removeantur quo pacto poterit acquiri? Spinæ divitiarum; carnis illecebræ; fallacia, amor, & infirmitas propriæ voluntatis nil nisi imperfectum sapiunt. Contraria igitur contrarijs curanda sunt, & opponenda est opibus paupertas voluntaria, carnalibus desiderijs

Digitized by Google

castitas, & propriæ voluntati sui abnegatio per sanctam obedientiam. Sic itur ad astra.

Ab institutione status verè religiosi per Christum Dominum non invenies Ordinem religiosum ullum, neq; talem personam, quæ se non obligarit ad obedientiam, castitatem & paupertatem. Primi fuerunt Apostoli. Hi dimissis omnibus obedientiæ Christi se submiserunt. Si audis *Omnibus* etiam vxores intellige; sic namq; dicitur: *Siquis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, non potest meus esse discipulus.* Ab Apostolis proximi fuerunt Esseni. Hi nihil antiquius habuerunt, quàm obedire maioribus, colere castimoniam, atq; in communi vitam traducere, ut in epist. 13. narraui. Monachos Græciæ abrenuntiasse divisis, usq; ad phantasias ac desideria, nuperrimè tibi ex S. Dionysio ostendi. Surrexit exinde S. Pachomius pater multorum monasteriorum ac monachorum, cujus *monita* satis anunciant una cum vita, quemadmodum Pachomiani sub tribus votis vixerint. Idem fecisse Antonij & Hilarionis discipulos ipsorum vitæ demonstrant. Ijsdem temporibus regulam sanctimonialibus S. Athanasius composuit, in qua quàm sollicitè agit ut sint pudicæ & castæ in moribus, pauperes in vestibus, obedientes matribus. *Væ*, inquit, *Virgini quæ nulli regulæ subest: est enim velut navis carens gubernatore. Beata virgo quæ sub obedientiæ regula est.* In Syria nullus umquam monachus absq; tribus votis fuit. *Votorum, pactorum, fœderum* S. Ephraim frequenter meminit. De vita spirituali ait: *Nos qui discimus alijsq; subjecti sumus, ab omni inobedientiâ alienos esse oportet.* Et *Thesaurus monachi est obedientia, quam qui possederit, exaudietnr à Domino.* Item: *Non sum mei juris in monasterio.* Quin & Solitarios fuisse sub episcoporum obedientia docet in vita S. Abraami. De paupertate ait: *Thesaurus monachi paupertas est voluntaria, divinissimus est monachus in hac exercitatus.* Et alibi: *In cœnobio vivis? cogita id quod scriptum est, Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam eorum, qui possidebat aliquid, suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* In alio loco cum suis ait: *possessiones reiecimus, reliquimus domos, non adsunt opes.* Quantopere verò paupertas ad profectionem faciat alibi aperit dicens: *Paupertas facit tranquillitatem mentis ut sine ulla distractione queas in orationes incumbere, ac lachrymas, fervorem, charitatem*

Matt. 19.
Luc. 14.
Tom. IV. Bibl. PP.
S. Athana. de Virg.
S.Euphr. hom. in Melius est.
Et serm. ad frat. qui excidit.
Idem de virtute.
Paræn. 24.
Serm. in Attende tibi
Paræn. 47.
Act. 4.
Serm. ad vitiosè viv.
In hypomnistico.

tem, ac Dei contemplationem habere. Deniq; de castitate, quam non semel appellat *Sanctificationem*, ait: *Nuptias sprevimus.* Et *Corporis tui pudicitiam serva, quemadmodum Christo pactus es.* Atq; iterum: *Sanctificatio nobis sit curæ: siquidem hæc potissimum requiritur à vitæ monasticæ sectatoribus.* In sermone de varijs inferni tormentis ait: *Alij in solitudinibus, & montibus atq; speluncis in jeiunio & virginitate decertarunt, ac iam quidem contendunt non tantum viri, sed & mulieres.* Serm. de patient. Ser. adu. vit. viv. Serm. in Attende. Paræn. 3.

In Cappadocia, Ponto, vicinisq; provincijs servabatur idem institutum. S. Basilius illorum monachorum rector generalis, *Aures habe*, inquit, *ad obediendum patulas, manusq; promptas ad exequenda mandata.* In constitutionibus docet, *Obedientiam esse caput vitæ monasticæ.* De paupertate verò ait: *Monachum oportet ante omnia paupertatem colere.* Et in regulis fusioribus: *Abesto penitus à fratrum contubernio Meum ac Tuum.* In asceticis dicit: *Pauper tibi vivatur vita: liber sis & solutus omni cura sæculari: non te stimulet feminæ cupiditas, non cura liberorum: hæc enim impossibile est consistere cum hac nostra militia.* Et de ascesi: *Ante omnia oportet monachum abstinere à congressu mulierum.* Gregorius Nyssenus Basilij frater, *Virginitatem*, ait, *esse clavem & ianuam vitæ spiritalis:* Per mundam quoq; & incorruptam vitam perveniri ad incorruptionem, & ad similitudinem incorruptibilis Dei; nec aliter. Et adiungit, Idcirco excogitatam esse virginitatem, ne mentis nostræ sublimitas deprimeretur ad voluptates, & pro eo quod mentis intuitum sursum figere debeamus, respiceret ad carnem & sanguinem. Deniq; ut per eam perveniremus in oblivionem motuum & affectuum corporalium, dum præscindit necessitates, ad quas nos trahit infirmitas carnis. S. Basil. de abdica rer. ca. 19. Serm. de Ascesi. reg. 32. In præfat. S. Greg. Nyss. de Virgin. c. 5. cap. 11. cap. 5.

Ex Oriente & Ægypto transfretemus in Occidentem, Africam, Septentrionem. In quibus locis etsi nomen Monachi serius innotuerit, sub nomine tamen philosophiæ non adeò defuit. S. Hilarius non ignobilis Ecclesiæ Doctor suo tempore *voluntarios eunuchos* in Gallia novit, quibus præscribit esse relinquenda bona temporalia ad exemplum Apostolorum, & quidem ex voto Deo faciendo. *Omnia*, inquit, *superstitionum genera condemnat hic psalmus 64. Plures enim sunt in demersissimo erroris profundo locati, qui doctrinæ suæ perversitatem quadam inanis laboris probitate commendent. Cernimus namq; nudis philoso-* S. Hilar. in c. 19. Matth. In psal. 64.

phos

phos (ethnicos) *algere corporibus: ipso etiam coniugiorum usu magistri abstinent. Hæretici sicco panis cibo vivunt. Sed quis tandem ociosi hujus propositi profectus est? Totum hoc inane atq; ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo vovenda sunt contemptus corporis, nempe paupertas, castitatis custodia, jeiunij tolerantia, atq; ideo ait: Et tibi reddetur votum in Hierusalem: vota enim tantum ecclesiastica religionis utilia sunt, quæ cum & dignis Deo cantionibus, & proposita in Ecclesia observantiæ studio probantur.*

Sustulit hic sanctus ante episcopatum ex legitimo coniugio filiam Abram nomine. Hæc se DEO consecrarat; nihilominus absente patre à nobili iuvene sollicitabatur ad nuptias, quod ubi vir sanctus revelante DEO cognovit, per epistolam vehementer institit, ut maneret in proposito, dum rediret ab exilio, addito hymno quem caneret, in quo notanter hæc verba sunt:

Epist. ad Abram.

Probrosas mentis castitas
Carnis vincat libidines,
Sanctumq; puri corporis
Delubrum servet spiritus.

Admonuit insuper illam, ut paupertatem coleret in habitu. *Sufficit mihi* ait, *lana ovis meæ: sufficit mihi color, quem natura attulit: sufficit mihi textus insumptuosus.* De obediẽtia non dubites: monasteria enim ædificata non essent, nisi certus superior ea rexisset: Cassianus autẽ scribit suis temporibus in Gallia fuisse cœnobia ingenti numero fratrum repleta, quibus etiam præscripsit vitæ normam ad ritum Orientalium, in qua si non invenies tria vota, non inspexisti.

Cassian. præf. coll. 11.

Eodem ævo florebat S. Augustinus magna per Africam tuba monastici ordinis utriusq; sexus. Hic sanctimonialibus præscripsit regulam, in qua non longè ab initio spiritûs paupertatem præcipit: *Non dicatis,* inquit, *aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Castitatem docet in sequentibus: *Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquem, figantur in nullum: abominatio enim est Domino defigens oculum.* Quem locum ex Proverb. 27. LXX. interpretum accepit. Obedientia postremò ait: *Præpositæ tamquam matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur DEUS.*

S. Aug. ep. 109

Post hos venit S. Benedictus, cujus hæredes & filij hodieq; testantur, se numquam caruisse tribus votis. Intuere ipsorum

S. Bened. reg. c. 5. 33. 58.

Digitized by Google

rum regulam, & invenies *obedientiam ſine mora, converſionem morum* per caſtitatem, *communionem rerum ſine murmure.* S. Gregorius quoq; conqueritur monachos quoſdam contra proprium inſtitutum uxores ducere, peculiaritati ſtudere, & à propria abbatis regula abſcedere, quos vult proinde corrigi. Atque hic ipſe Gregorius per ſanctos monachos non ſolum fidei veritatem, verùm etiam monachiſmum in Angliam immiſit, ubi multis temporibus laudabiliter admodum floruit. S.Greg.M.l.1. epp. 40.

Hiberniam vicinam S. Columbanus illuſtravit. Hic in monaſtica ſua regula nihil magis inculcat, quàm ſacram obedientiam. *Si quis,* inquit, *verbum audiens non ſtatim ſurrexerit, inobediens judicandus eſt: qui autem contradixerit, contumaciæ crimen incurrit, & ideo non ſolum inobedientiæ reus eſt, ſed etiã contradictionis aditum aliis aperiens deſtructor æſtimandus eſt multorum.* Et paulò poſt: *Nihil recuſandum eſt obedientibus veris Chriſti diſcipulis.* De paupertate ſic decernit: *Monachis quibus pro Chriſto mundus crucifixus eſt, & ipſis mundi cupiditas cavenda eſt, nimirum dum non ſolum ſuperflua eos habere damnabile eſt, ſed etiam velle, quorum non cenſus, ſed voluntas quæritur: qui relinquentes omnia & Chriſtum Dominum cum timoris cruce quotidiani ſequentes in cælis habeant theſauros. Idcirco dum in cælis multa ſint habituri, parvo & extremo neceſſitatis cenſu in terris debent eſſe contenti, ſcientes lepram eſſe cupiditatem monachis imitatoribus filiorum prophetarum, ac diſcipulorum Chriſti proditionem ac perditionem, Apoſtolorum quoq; dubiis ſectatoribus mortem. Ideo ergo nuditas & facultationis contemptus prima perfectio eſt monachorum.* De caſtitate ait: *Caſtitas monachi in cogitationibus judicatur. Cui nimirum cum diſcipulis ad audiendum accedentibus ad Chriſtum dicitur: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Dum enim vultum illius conſiderat, ille cui conſecratus eſt, verendum eſt, ne in anima inveniat quod abominatur. Ne fortè juxta ſententiam S. Petri habeant oculos luxuriæ plenos atque adulterij. Et quid prodeſt, ſi virgo corpore ſit, & non ſit virgo mente: Deus enim ſpiritus in ſpiritu habitat, ac mente, quem immaculatum viderit, in quo nulla ſit adulterina cogitatio, nulla ſpiritus coinquinati macula, nulla peccati labes ſit.*

Reg. S. Columb. 1. p.c.1. c.3. c.6. c.8. Matth.5. 2. Petr.2.

Ad propinquiora tempora te non duco: antiquitates enim ſcribo. Si regulas & libros recentiores non vacat legere,

R circum-

circumfer modò oculos in omnes religiosos Ordines, & primo intuitu apparebit in hoc omnes convenire, quod obedientiam, castitatem ac paupertatem quilibet pro sua vocatione observet.

EPISTOLA XXX.

De voto Obedientiæ.



Bedientiam Josippe, SS. Patres in Religioso semper censuerunt esse primam ac maximam virtutem. A S. Augustino incipio. Is *obedientiam*, ait, *esse virtutem tamquam radicalem, atque ut dici solet matricem & planè generalem.* Item: *Obedientia*, inquit, *mater quodammodo est omniumq; custos virtutum.* Atque iterum: *Obedientia maxima est virtus, &, ut sic dixerim, omnium origo, materq; virtutum.* Severus Sulpitius Augustino paulò senior in colloquio de monachis ait: *Hæc illorum prima virtus est parere alieno arbitrio.* Et pòst: *Præcipua ibi virtus, & prima est, Obedientia.* Sic & Cassianus: *Obedientia inter ceteras virtutes primatum tenet*: quia juxta S. Gregorium, *sola illa est, quæ ceteras menti inserit, insertasq; custodit.* Valde bene episcopus ille ad S. Abraham Solitarium: *Ecce*, inquit, *totum mundum reliquisti, & quæ in eo sunt, & vitam crucifixam amplexus es: attamen cum hæc universa compleveris, agnosce te obedientiam, quæ cunctis virtutibus eminet, non habere.* Senioris cujusdam aureæ sententiæ sunt: *Obedientia salus est omnium fidelium: Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni cælorum inventrix est. Obedientia cælos aperiens, & homines de cælo elevans est. Obedientia cohabitatrix angelorum est. Obedientia sanctorum omnium cibus est: ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.* Et quidem per compendium. S. Dorotheus de suo Dositheo memorat, quod in una se obedientia, & abrenuntiatione voluntatis potissimùm exercuerit. Et consummatus in brevi à Seniore visus sit inter catervas sanctorum. Optimè igitur S. Antonius: *Si quis cupit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi ipsi fiat magister, nec proprijs voluntatibus obediat, etiamsi rectum esse videatur quod velit; sed secundum mandatum Salvatoris ante omnia abneget semetipsum, & renuntiet*

S August. l. de bono conjug. c. 24.
Lib. 14. Civit. c. 12.
Lib. 1. contr. adverf. leg. c. 14.
Sulpit. 1. dial. c. 5.
c. 11.
Cassian. l. 4. instit. c. 30.
S. Greg. l. ult. moral. c. 12.
Vita S. Abrah. erem. c. 4.
Pelag. l. 14. fin.
S. Doroth. doctr. 4.
Ruffin. l. 1. Vitt. PP. c. 31.

tiet

Digitized by Google

tiet proprijs voluntatibus; quia & Salvator ipse dixit: Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Matth. 26.

Joannes Climacus docet per obedientiam non modò velociter, sed & faciliter ad perfectionem veniri. Ait enim: *Obedientia est confectum dormiendo iter.* S. Dorotheus totum se in iuventute huic tradidit. Qui cũ anxius aliquando esset, quod nihil adversitatis sentiret, à Joanne abbate audivit: *Illos esse pacatissimos, iucundissimos ac quietissimos, qui se in Patrum obedientiam tradidissent.* Atq; hæc est illa mortificatio, quam S. Columbanus ait esse maximam partem regulæ monachorum, quibus per scripturam præcipitur, *Sine consilio nihil facias.* Sed licet duris dura videatur hæc disciplina, ut scilicet homo semper pendeat de ore alterius; ceteris tamen Deum timentibus dulcis ac secura invenitur, si ex integro & non ex parte conservetur; quia nihil dulcius est conscientiæ securitate, & nihil securius est animæ impunitate, quam nullus sibi ipsi potest tradere, quia propriè aliorum est examinis. Climac. grad. 4. S. Doroth. sup. S. Columb. 1. p. reg. c. 14 Eccli. 32.

Quid plura? Obedientia reddit hominem immortalem. Non occurrit tibi Acacius durorum imperiorum per novennium infatigabilis executor? Cuius obitum cum vultuosus ejus magister significasset vicino abbati, negavit hic Acacium potuisse mori. Illo autem seriò affirmante omnino esse mortuum, controversia delata ad ipsum Acacium est. Ventum ergo ad eius tumulũ; ubi cum abbas inclamaret Acacium an defunctus esset, Acacius etiam post mortem obediens respondit: *Et fieri potest Pater, ut moriatur homo deditus obedientiæ?* Nil ergo mirum, si quod monachus continens haud potuit, obediens fecit, scilicet ut mortuus rediret ad vitam, sicut narrat Ruffinus: nam iuxta S. Syncleticæ opinionem *cuilibet continentiæ obedientia præponenda est; quoniam continentia arrogantiam habet, obedientia humilitatem.* Deinde ex sententia S. Augustini cum venitur ad orandum sive pro vivis, sive pro defunctis, *Citius exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris vel arrogantis. Ministerium monachi,* inquit Hyperichius, *est obedientia, quam qui possidet, quod poscit, exaudietur & cum fiducia Crucifixo adstabit: etenim sic Dominus venit ad crucem, factus obediens usq; ad mortem.* Climac. sup. Ruffin. sup. l. 2. n. 145. Pelag. sup. n. 9. S. August. l. de oper. monach. Pelag. n. 11.

Quocirca electo uno in superiorem, cessent de cetero, ait S. Basilius, omnes singulares voluntates, intendaturq; in S. Basil. serm. 2. instit. mon.

Digitized by Google

Rom. 13. eius unius qui reliquis præest, iuxta verbum Apostoli, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et, *Qui resistunt, iudicium sibi acquirunt.* Ad vitæ autem monasticæ perfectionem tam accuratam hic sanctus Doctor requirit obedientiam, ut nec

Idem serm. 1. Idem De const. mon. c. 2. 7. liceat refragari voluntati superiorum. Et quid dico *refragari?* Perfectus obediens absq; nutu maiorum nec movet se, similis instrumento mechanico. Quàm exulto in obedientia S. Anselmi Cantuariensis episcopi, qui ab Edinero magistro in lecto positus, absq; eius iussu nec latus invertit. Quippe ex S. Basilio novit, *furtum esse ac sacrilegium, siquid inscio magistro fiat, etsi bonum videatur;* id quod & S. Benedictus confirmat, dum ait, *Tribuendum esse præsumptioni vanæq; gloriæ, non mercedi, si monachus absq; abbatis præscitu quid boni faciat.* Cui doctrinæ consentit quoq; B. Columbanus dicens, *Quicumq; semper interrogaverit, numquam errabit; quia si alterius erraverit responsio, fides credentis, & labor obedientis numquam errabunt, neq; mercede interrogantis carebunt: nam si per se aliquid discusserit qui debuit interrogare, in hoc ipso arguitur errasse, quod iudicare præsumpsit, qui debuit iudicari. Et si rectum fuerit, pravum illi reputabitur, dum per hoc à recto declinavit: quia nihil audet per se iudicare, cuius officium est tantum obedire.*

Wilhel. Malmesb. de Pont. Angl. l. 1.
S. Basil. de abdicat. rer.
S. Bened. reg. cap. 49.
S. Columb. in reg. sup.

S. Basil. instit mon. serm. 2. Quamobrem perfecta ac vera iuxta M. Basilium obedientia in hoc apparet, si ad superioris nutum non modò fugias inhonesta, sed etiam laudabilia omittas: tametsi enim temperantia & corporis mortificatio sint utilia; si tamen ea ex proprio arbitrio exerceas, tanti non erunt, quanti merces est obedientiæ. A. D. 1547. mortuus est F. Andreas Assisinas vir inter Capucinos admirabilis sanctitatis & austeritatis. Hic post septimum ab obitu diem nosocomij præfecto apparens dixit, eousq; se in purgatorio fuisse. Sciscitanti causam subjecit, *Quod in rigore corporis suo potius sensui, quàm Superiorum paruisset.* In eodem Ordine novitius à magistro frequenter est monitus, ut præter obedientiam nec etiam oraret. Verùm negligens instructionis de nocte nihilominus in oratione pervigil solebat insistere. Contigit autem ut aliquando deprehensus graviter reprehenderetur, & ablegaretur à choro ad cellam. Ivit, sed obmurmurans, quod nec sacræ contemplationi vacare liceret, & in cella preces reassumpsit. Mercedem quam non speravit accepit: nam cacodæmon tanta in eum vehementia irruit, ut ipsum constricto

Bover. annal. Capuc.
Idem A. D. 1571.

Digitized by Google

cto collo suffocasset, nisi ad eius clamorem Pater advolasset, eumq; vix demum hosti nefario subtraxisset. Didicit hinc nec bonum facere absq; nutu superioris.

Hoc præterea mirum tibi videbitur, quod cum aliàs antè & retrò pleni oculis esse debeamus in sola obedientia cæcos nos esse oporteat. Sunt multi pseudofratres, quibus cum à superioribus aliquid præcipitur, intendunt oculos non in præceptum, sed præcipientem, hominem forsan vitiosum atq; imperfectum, ac dicunt: *Hic autem quid?* Sed audiant quod sequitur, *Quid ad te? tu me sequere.* Alij de superioribus submurmurant, quasi alligent onera gravia alijs, quæ ipsi nec digito velint attingere. Quibus idem Dominus respondet, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis servate & facite; secundum opera verò illorum nolite facere.* Alij deniq; causas præceptorum examinant, nec facilè parent, nisi pateant iustæ. At *vera obedientia nec præpositorum intentionem,* ait S. Gregorius, *nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.*

Ioan. 21.
Matth. 23.
S. Greg. in 4. l. 1. Reg. l. 2.

Verus obediens non respicit vitia præcipientis, non personam, non causas, sed solum ut satisfaciat Deo, qui per ministros suos loquitur, cui etiam principaliter obedimus. *Obedientia* inquit S. Benedictus, *quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur, qui solus obedientem coronat.* Itaq; sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumq; tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, ait S. Bernardus, pari reverentia deferendum. Et: *Quidquid vice Dei præcipit homo, haud secus accipiendum est quàm si præcipiat Deus.* Quid enim interest, utrùm per se, an per suos ministros, sive homines, sive angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus. De monachis Orientis Cassianus ait: *Universa præcepta, quæ eis ab abbate fuerint imperata complere festinant tamquam si ex Deo sint cælitus edita.*

S. Bened. in reg.
S. Bern. l. de præcept. & disp.
Cassian. l. 4. instit. c. 10.
Climac. grad. 4.

Cum aliquando inquit Climacus, ad mensam consedissemus, summus ille magister inclinans suum sanctum os ad aurem meam. Vis, inquit, tibi ostendam in extrema profundaq; canitie divinum sensum atq; prudentiam? Cumq; id summis precibus orarem, advocat ex proxima mensa quemdam Laurentium nomine, qui quadraginta fere & octo annos in monasterio

degerat, ſedenſq; erat ſacrarij presbyter. Qui cum veniſſet, atq; abbati genibus flexis adſtaret, ab illo quidem benedicitur: ſed cum ſurrexiſſet, nihil illi penitus dixit, ſed ſic ante menſam ſine cibo ſtare permiſit. Erat autem tunc prandij initium. Itaq; prolixam horam, atq; fortaſſe duas immobilis ſtetit, adeo ut ipſe quoq; erubeſcerem: neq; enim in illius faciem præ verecundia intueri potui. Erat enim canus totus, octogeſimumq; iam agebat annum. Manſit autem ſine reſponſo ullo uſq; ad refectionis finem. A qua cum ſurgeremus mittitur à ſancto illo, ut Iſidoro diceret pſalmi 39. initium. Hic ſenex poſtmodum rogatus à me, quid interea cogitaſſet? Chriſti, inquit, imaginem paſtori impoſui: neq; enim ab illo hoc penitus præceptum exiſſe, ſed à Deo exiſtimavi. Quare non coram menſa hominum, ſed coram altari divino adſtare me putans orabam, nullamq; penitus malignam cogitationem adverſum paſtorem admittebam.

S. Baſil. conſtit. cap. 23. Climac. cit.

Hæc eſt obedientia cæca Joſippe, per quam ſine diſquiſitione ulla parendum eſt, ut ait S. Baſilius. Qua etiam ſecurè nos credere debemus in Domino ijs, qui curam noſtri ſuſceperunt, etiamſi quædam, ut Climacus docet, imperent, quæ contraria, ac ſaluti noſtræ videantur adverſa. Tunc enim fides noſtra ad illos veluti in fornace humilitatis comprobatur: hoc eſt enim veriſſimæ fidei indicium, ſi contraria quàm ſperabamus aſpicientes præcipientibus abſque ulla hæſitatione obtemperemus.

S. Doroth. doctr. 1.

Memoria eſt de S. Baſilio, qui cum cœnobia ſua inviſeret, ex uno Superiore rogavit, num quem inter ſuos haberet, quem confideret ſalvandum? Reſpondente autem illo, ſperare ſe omnes ipſius orationibus ſalvos fore; rurſum idipſum interrogavit: nec antè deſtitit, quàm ille ex optimis meliorem ſibi offerret electum. Quem pater ſanctiſſimus à ſimplici obedientia probare cupiens imperavit ei, ut aquam ad abluendos pedes afferret. Abijt incunctanter; tulit, lavit. Juſſit ſedere ac lavari pariter: paruit ille ſimpliciter, & à beatiſſimo Epiſcopo lavari ſe ſuſtinuit. Quo facto introduxit eum in ſanctuarium, & celebranti diſcipulo miniſtravit nulla in re diſſentienti ad quodcumque mandatum. Vnde eum poſtmodum ſocium ſibi ac perpetuum comitem aſſumpſit, ut qui præditus eſſet ſimplici ac cæca obedientia.

S. Bened. reg. cap. 5.

Verùm niſi & prompta ſit, nondum perfecta eſt. S. Benedictus, *Obedientia,* inquit, *debet eſſe ſine mora, non trepidè, non tarde,*

Digitized by Google

tardè, non tepidè. S. Bernardus: *Verus obediens*, ait, *mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Marcus monachus ad vocem abbatis imperfectam litteram reliquit, tam promptus ad obediendum fuit. Cellarius S. Columbani à beato patre vocatus relicto dolio aperto cucurrit. S. Odo cum scriberet compendium vitæ S. Martini, & pulsus inciperet ad Vesperas, relicto libro aperto perrexit ocyus ad chorum. Approbavit Deus utriusque promptum obsequium: nam ex aperto dolio nec gutta effluxit cerevisiæ, & cum absente Odone pluviæ irruerent in cubiculum, cuncta præter librum vastaverunt. S. Simeonis spiritum, & inusitatum vivendi modum explorarunt Episcopi per promptitudinem obedientiæ: Si parum cunctatus fuisset, de columna & proposito eum deturbassent: nunc verò quia jussus descendere, alacriter obedire voluit, approbata est ejus intentio, jussusq; perseverare. Simili modo S. Bernardus probavit B. Joannem de monte mirabili, quem cum audisset solis fabis, herbis, ac pane nigerrimo famem domare, experiri voluit, utrùm hæc tanta abstinentia ex Deo, an à proprio placito esset. ergo ei coctum piscem misit, mandans in virtute S. Obedientiæ ut comederet. At beatus ille, ut erat ad obediendum promptissimus, non solum piscem, sed & ossa cum spinis ex toto comedit. Et cum omnes ex hoc ejus vitæ timerent, ille nec dolorem sensit; adeo gratia Dei obsequentem servavit. Ex cujus sepulcro liquor instar lactis ad multorum medelam manavit. Nempe hi Sancti prius periculum damni spiritalis subijssent, quàm obedientiam perdidissent ex M. Basilij doctrina.

S. Bern. serm. de obedient.

Pelag. libell. 14. n. 5.

Vita S. Columb. cap. 16.

Vita S. Odon. l. 3. cap. 10.

Euagr. lib. 1. hist. eccl. c. 13

Vita B. Ioan. l. 4. vit. PP. Occid.

S. Basil. constit. cap. 26.

Denique præter hæc omnia requiritur ut obedientia sit fortis & constans. *Oportet imprimis*, ait S. Basilius, *ut is qui se ad vitæ hujus rationem contulit, stabili, firma, immobiliq; voluntatis constantia sit, judicioq; tali, ut à malignis spiritibus neque concuti, neque loco pelli possit. Deinde animi firmitate tanta, ut ad mortem usque constantiam martyrum exhibeat, tum divinis præceptis retinendis, tum obedientia ergo magistros suos conservanda: hoc enim totius vitæ & instituti est caput.* Alibi ait: *Verus Christi amator nil grave detrectat, sed potius ultra quid appetit.* Erat in atrio monasterij acervus lapidum: volens autem abbatissa tentare S. Euphrasiam, & ad matris provocare obedientiam, dixit

Idem cap. 20.

Idem in reg. brevior 121.

Vita S. Euphras. c. 16. & 17.

Digitized by Google

xit ei: Veni filia mea, istos lapides transporta hinc, & pone eos juxta clibanum. Euphrasia verò, etsi tam grandes essent lapides, ut multi vix à duabus sororibus portarentur, rem illicò aggressa, sine adjutorio ullius lapides humeris impositos ad locum tulit. Nec dixit, *Adjuvet me alia soror;* nec dixit, *Grandes sunt lapides, non prævaleo;* nec dixit, *Jejuna sum, & deficio, & opus hoc grande est.* Sed cum fiducia jussionem per obedientiam adimplevit. Alia die venit iterum abbatissa ad eam, &: *Non decet,* inquit, *ut lapides hîc jaceant, reporta eos in locum pristinum.* Fecit; nec semel; sed per viginti admodum dies. Numquid heroicè?

S. Doroth. sup. S. Dorotheus refert: Cum essem aliquando apud abbatem Seridum, venit ad eum monachus missus ab abbate suo cum mandatis: Imperatum autem ei erat à Seniore, ut ad vesperam rediret. Interim oborta est immanis tempestas, imber maximus, horrenda tonitrua, videbaturque torrenti similis ea inundatio: nihilominus ad iter se frater accingebat. Nos cohortabamur eum ut expectaret serenitatem, proponentes ei periculum ab inundatione, sed frustra: Decrevimus itaque eum ad flumen usque prosequi, sperantes, si id vidisset, reversionem. At postquam eò venimus, exutus ille vestes, eas collectas cervici imposuit, & accinctus scapulare suum sese conjecit in torrentem, & natare cœpit. Timentibus autem nobis ne mergeretur, subitò ad littus oppositum appulit, & resumptis vestibus à nobis impetratâ veniâ discessit.

Miraris absque dubio tam fortem obedientiam: Sed apud antiquos monachos nihil novi erat ad exemplum Christi usque ad mortem obedire, non extensivè dumtaxat, verùm etiam intensivè, quod præstandum probat S. Basilius ab exemplo Apostolorum, qui promptè ad pericula, forum, tribunalia, contumelias, lapidationes, ignominias, cruces, & ad varias mortes inclinata cervice obedientiæ tanta alacritate processerunt, ut etiam gauderent ista pro Christo pati.

S. Basil. reg. brev. 103. 116. 119. 152. 303 Et in constit. mon. c. 19. & 23.

S. Columban. reg. c. 3. Quærit S. Columbanus in sua regula, *quis terminus sit obedientiæ?* & respondet, *usque ad mortem:* quod probat exemplo Christi, atque ex Apostolo dicente, *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu* &c. Additque mentem suam explicans, *Nihil recusandum est obedientibus veris discipulis Christi, quamvis durum & arduum sit, sed cum fervore & lætitia arripiendum. Quod*

Philip. 2.

si talis

si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo, qui ait: Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Match. 10.

Et propter hanc absolutam ac perfectissimam obedientiam multi usque ad periculum vitæ decertarunt. Atque unus quidem jussus ab abbate conjecit se in ardentem clibanum: alter ad crocodilos accessit: tertius adducere jussus leænam intrepidè perrexit. Alij impossibilia aggressi rigarunt arida & emortua virgulta; movereque conati sunt ad multum tempus ingentia saxa. Sic patres olim probarunt suos discipulos, scilicet ut etiam extrema tentarent. Sedulò quippe instruebant ipsos, quod perfecta obedientia, ut S. Bernardus ait, legem nesciat, nec terminis arctetur, neque contenta angustijs professionis largiori feratur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur Spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans in infinitum extendatur. Inveniuntur & hodie, qui latitudinem horum terminorum observant. Vnde regula Minorum præcipit, *ut fratres obediant in omnibus, quæ non sunt contra regulam vel animam.* Et constitutiones Societatis IESV: *ut subditi obediant in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum.*

Sulpit. 1. dial. c. 12. Pelag. l. 14. n. 17. Idem n. 4. Cassian. l. 4. instit. c. 25. & 25. S. Bern. de præcept. & disp. In reg. Minor. c. 10.

Quamplures tamen terminos obedientiæ suæ nonnisi secundum regulam extendunt; non præter, non ultra. Vnde *oportet eum qui præest,* ait S. Bernardus, *non fræna laxare suæ voluntati super subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, & sic demum imperia sua moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit: nec quodlibet rectum, sed hoc tantum, quod auctor regulæ instituit, aut certè quod sit tantum quod instituit: sic se quippe habet professio: Promitto, non quidem regulam, sed obedientiam secundum regulam, non ergo secundum voluntatem Præpositi. Proinde si Professo secundum illam regulam abbas aliud fortè imponere tentaverit, quod non sit secundum regulam, aut etiam quod non sit secundum ista instituta, verbi causa, Basilij, Augustini, Pachomij, quænam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe à me id posse exigi arbitror, quod promisi.* Et infrà: *Quisque Professus in quovis genere salutiferæ vitæ, nec ultra obedientiæ legem cogendus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio, quanto minus contrà.* Et: *Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi: nec plus exigat quàm promisi. Vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.*

S. Bern. sup.

Digitized by Google

cessitate. Ceterùm subjectus bujuscemodi obedientiam noverit esse imperfectam, quæ voti finibus cobibetur: nam perfecta obedientia legem nescit.

EPISTOLA XXXI.

De inobedientiæ scelere.

Sozom. l.6. hist. c.28.



SOzomenus ait: οὐ γὰρ θέμις αἰγυπτίοις μοναχοῖς, οἶμαι δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, ἀπειθεῖν τοῖς ἐπιτεταγμένοις. *Nefas est Ægyptiis monachis, puto & aliis similiter, non obtemperare mandatis.* Nam resistere, & detrectare Superioris jussum infirmæ fidei est, ambiguæ spei, superbiæ, & morum insolentiæ, ait S. Basilius: neque enim quis inobediens est, qui non prius præcipientem despexerit, aut qui in fide & spe non vacillet, quantumvis gravia sint, quæ jubentur. Alibi dicit: *Esse inobedientem multorum magnorum malorum radix est.* Ruit, uno verbo, religio, ubi fundamentum vacillat obedientiæ.

S.Basil. reg. fusior. 28.

Ibid. reg. 119.

S. Pachomius ita castigat inobedientes. *Si quis* inquit, *lectionem vel aliud, obedientiæ prætulerit, in synaxi prostratus in terram ad finem manebit, quoad eum abbas iusserit surgere.* S. Columbanus rigidius. *Qui non citò*, inquit, *ad portum requiei bumilitatis Dominicæ confugerit, nimiæ contradictionis aditum aliis aperiens, in superbia verbo persistens de libertate S. Ecclesiæ, in cellula ob pœnitentiam agendam separetur, usq; dum bona eius voluntas cognoscatur, atq; per bumilitatem denuò sanctæ congregationi inseratur.* Et infrà: *Si quis frater inobediens fuerit, duos dies uno paxmate & aqua castigetur: Si quis dicit, Non faciam: tres dies uno paxmate & aqua: Si quis veniam non petit; aut dicit excusationem, duos dies uno paxamatio & aqua.* *Adhuc* gravius Patres Ravennæ congregati in synodo. *Statuimus*, inquiunt, *& arctius probibemus, ne quis Religiosus de cetero contra Prælatum suum se debeat superbè erigere, sed in iis quæ Dei sunt, maximè debeat bumiliter obedire: & qui contra fecerit, & tertiò monitus non destiterit, cum Datban & Abyron, quos propter inobedientiam terra vivos absorbuit partem consequatur & sortem. Et nibilominus durante contumacia, postquam publicè denunciatus fuerit ab omnibus & in omnibus evitetur, & ab officio & beneficio donec resipuerit, & plenariè satisfecerit & ad mandata Prælatorum suorum*

Cassian. l.4. instit. c.16.

S. Columb. p. 2. reg. c. 6.

Conc. Raven. A.D. 1311. Rubr. 21. & Raven. III. rubr. 6.

rum

rum redierit, sit suspensus. Mordax, inquis, lixivium: sed contumaci capiti nullum congruentius. Esseni suos inobedientes abijciebant.

Frater quidam laicus in Ordine Capucinorum per integras septimanas laborabat in horto: diebus verò Dominicis mittebatur cum Patribus concionatoribus de monasterio. Cujus ille pertœsus hoc intra semet cogitavit: Totis hebdomadibus in opere discrutior, & cum diebus festis quiete corpus reficiendum esset, novis iterum fatigationibus infestor. Ubi hoc iterum contigerit, non parebo, sed potius religionem deseram. Proximo festo cum concionatori socius alter assignaretur, hic peracto prandio timens, ne tum fortè mitteretur, relicta consueta oratione, qua patres quinque Pater & Ave in ecclesia recitare solent, subduxit se confestim ad cellam, nihili curans sacrilegum propositum. Interim maxima horribilium corvorum multitudo ad cœnobium advolat, rostris ac pennis omni conatu in cellam fratris penetrare laborans. Cum tam insolitis crocitationibus omnes terrerentur, & quid hoc nigrum agmen vellet perquirerent, Guardianus: Non hi, inquit, corvi, sed dæmones sunt, habentq; potestatem in unum ex nostris, ut ipsum secum ad orcum avehant. Cumq; omnes (excepto illo fratre, qui satis negotij habebat, ut corvos arceret) ad Sacramentum pœnitentiæ confugerent, Guardianus accito fratre periculum ei exposuit, monuitq; simul, ut examinatâ conscientia Confessario, si quid reperiret, detegeret. Vix persuasus est. Percepta igitur absolutione corvi admirando cum strepitu evanuerunt. Zacch. Bover. Annal. Capuc. A. D. 1559.

Josippe, si hic frater in faciem superiori restitisset, & mandata retrectasset. Tam atrox periculum ex solo malo proposito venit. Sed Deus impunitum non sinit quidquid juratæ obedientiæ vel ad modicum contrarium est. Displicet supremo Numini etiam inconsulto superiore, quod rectum videtur facere. Frater quidam, & si necessitas exigebat, inconsulto abbate tempus phlebotomiæ non semel prævenit. Qua re non leviter contristabatur S. Odo, facilè suspicans etiam tantillum fastum & obedientiæ neglectum habiturum sinistrum eventum. atq; ita accidit: nam cum denuo pro solita libertate venam incidi curaret, ea nescio quo casu paulò pòst ita contumaciter rupta est, ut occludi nullis remedijs potuerit. Quid fit? Exijt cum In vita S. Odonis c. 3.

Surius vitâ S. Amati c. 9. XIII. Sept.

ſanguine anima. In monaſterio S. Amati monialis abſq; obtenta licentia comedit pomum, & illicò à dæmone inſeſſa pœnas dedit graviſſimas neglectæ obedientiæ.

S. Ephr. ſerm. de Obed. Et ſerm. 2. de Compunct. Reg. S. Colũb. 1. p. c. 3.

S. Aug. de oper. mon. c. 16.

Nonnulli tametſi exequantur mandata, ſubmurmurant tamen. At *verus obediens*, ait S. Ephraim, *patrem non deſpicit, nil carpit, non murmurat.* S. Columbani cenſura eſt: *Si quis murmuraverit & ipſe tamquam non ex voto obediens, inobediens putandus eſt: idcirco opus eius abijciatur, donec ipſius bona voluntas cognoſcatur.* S. Auguſtinus quoq; iubet obedire ſine murmuratione præpoſitis in labore.

Bover. ſup. A. D. 1566.

Idem A. D. 1569.

S. Colũb. p. 2. c. 8. reg.

Sunt qui ſuam inobedientiam varijs excuſationibus palliant. Sed Deus non irridetur. Frater quidam, cum quidquid iubebatur, excuſando, varijsq; coloribus interpretando negligeret, ſuamq; in omnibus voluntatem ac placitum ſequeretur, ad vitæ extremum pervenit. Motus ut Sacramenta perciperet: Nil opus eſt, inquit, Sacramentis: Damnatus ſum. Non feci, quàm quod volui: hæc cauſa meæ ruinæ. Territi præſentes, cum hortarentur eum ad pœnitentiam, dum adhuc viveret: Deum eſſe clementem. Ille ad hæc & alia nihil aliud reſpondit, quàm Juſto Dei iudicio damnatus ſum, donec efflaret animam. Alius cum ab omnibus crederetur vitæ eſſe laudabilis, in morte conſtitutus ad quodvis nihil aliud reſpondit, quàm, Non opus eſt Sacramentis, quia damnatus ſum. Geminam ſuæ damnationis cauſam aperuit, quarum altera erat, quod ad ſingula mandata excuſationes prætenderit, remq; ſuperioribus aliter quàm erat propoſuerit, ut euaderet imperia. Simplex obedientia nec leviſſimam admittit excuſationem. Hinc S. Columbanus: *Excuſationem proferens cum ſimplicitate, & non ſtatim veniam petẽs, mea culpa, Pœnitet me: 50. percuſſionibus caſtigetur.*

Bover. A.D. 1576.

Finirem epiſtolam, niſi unum adhuc occurreret, quomodo Deo diſpliceant bona opera ex propria voluntate facta. Breviter narro. Fulginij inter Capucinos frater laicus erat monaſterij oſtiarius. Huic ſingulis penè diebus continuata jeiunia in pane & aqua, cilicium perpetuum; nudis incedebat pedibus, omniaq; fere ſolus in domo infatigabili labore peragebat: interim, quod mirum erat, nullus in corpore defectus, nullus inter tot onera in vultu pallor, quin potius præter reliquos bene habitus & rubicundus erat. Nemo minus illo quid ocium & quies eſſet, ſciebat, ſic ut fratres cum Guardiano eius ſæpe miſerti,

Digitized by Google

ferti, hominem monerent, quò mitius secum ageret. Quibus ille nil aliud respondit, quàm, se non gravari laboribus: sibi cuncta pro nihilo esse. Inter hæc ad locum venit P. Thomas Generalis Ordinis minister: cui cum omnes mira narrarent de Ostiario, is eum ad se accitum benevolè monet, velit aliquid de tanta austeritate remittere. Nihil, inquit, frater, mihi molestiæ facessunt omnia quæ ago. Mos erat, ut ad initium prandij fratres omnes suas culpas ante generalem dicerent. Inter illos accessit & ostiarius, cujus pertinax voluntas sat iam perspecta Generali erat. Ergo dictâ culpâ iniunxit ei, ut quidquid hactenus proprio arbitrio fecisset, imposterum perageret ex obedientia. Vix verba finierat, & frater in terram corruit: marcescit illicò facies, pallor invadit vultum, nigrescit aspectus, hebescit lingva, totusq; viribus exhaustus ac tantum non exanimis defertur ad locum infirmorum. Intellexêre cuncti amissum robur ac ruborem corporis à dæmone fuisse, qui in propria ipsius voluntate sibi sedem fixerat. Vbi convaluit, exemplo fuit alijs, ne etiam sancta exercitia anteferrent obedientiæ.

EPISTOLA XXXII.

De Paupertate religiosa.



Optatus Milevitanus schismaticos Donatistarum monachos perstringens, *Cum adhuc pacem retinerent*, inquit, *fuerunt lumen mundi; & sal terræ meritò appellabantur; paupertas autem spiritus pars erat condimenti.* S. Basilius hanc paupertatem vocat *nutricem veræ philosophiæ*. S Chrysostomus: *Paupertas*, inquit, *asylum est tutissimum, portus tranquillus, continua securitas, voluptas carens omni periculo, sincera suavitas, vita imperturbata, & influctuosa, rerum abundantia inexpugnabilis, philosophiæ mater, arrogantiæ frænum, cohibitio appetitus, radix humilitatis.* Quidam sanctus interrogatus, An paupertas esset bonum perfectum? respondit: *Magnam rem esse voluntariam egestatem, qui eam possideat, tribulationem quidem carnis habiturum, sed inventurum animæ suæ requiem.* Abbas Hyperichius *eam* dixit *esse monachi thesaurum.* Quid multis? Christus ipse primam beatitudinem assignavit pauperibus spiritu. Atq; hanc S. Paupertatem tamquam infallibile medium ad perfectionem beati Apostoli ex-

Optat. Milevit. l. 7. fin.

S. Basil. ep. 169.

S. Chrysost. hom. 1. in Append.

Rufi... l. 2. vitæ PP. n. 169.

Pelag. l. 6. n. 12

Matth. 5.

Euseb. l.3.demonstr. c.7. Cassian. collat. 5.c.8. osculati sunt, ut Eusebius loquitur, & tamquam sponsum coluerunt omnes veri religiosi, sic ut Cassianus dicat: Multa millia monachorum sunt, qui post abrenuntiationem nec denarium habent; nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblati fuerint.

Euseb.l.1.hist. c.ult.& l.2.c.1 Abagarus rex Edessenus vel Osroëorum, cum à S. Thaddæo Apostolo curatus esset, obtulit ei titulo gratitudinis multum signati rudisq; auri. Quod omne Thaddæus respuens dixit: *Si nostra reliquimus, aliena quomodo accipiemus?* Leont. vitâ S. Ioã. Eleemos. c.23. Alius, cum centum numismata ei porrigerentur à S. Joan. Eleemosynario, dignum memoria verbum ad Patriarcham locutus est dicens: *Ego hoc non postulo Domine: monachus enim si fidem habet, horum non indiget: si autem horum eget, fidem non habet.* Cum vir nobilis Rurisius B. Iuniano eremitæ multas pecunias offerret, vir sanctus dixit: Bern. episcop. Lodon. in vita *Non est iustum, ut qui sua propter Deum sponte reliquit, ditescat alienis.* Sulpit. dial. 1. c.2. Posthumianus apud Sulpitium seni monacho pauperrimo decem aureos obtulit: at ille refugiens, *Ecclesia*, inquit, *non struitur, sed destruitur auro.*

Pelag. sup. n. 19. Vin' plura! Vir admodum dives venerat in Scithi deferens secum plurimum auri, ut id loci presbyter distribueret monachis indigentibus. Cui cum diceret presbyter: Non indigent fratres pecunijs, & ille nollet acquiescere, mandavit senior, ut omne aurum poneretur ad foras ecclesiæ, quò quisq; monachus acciperet, quantum vellet. Mirum, cum omnes ingrederentur, & audirent præconem; nullus tamen ex omnibus fuit, qui obolum acciperet: immò nonnulli explicatam pecuniam nec respexerunt. Simile fere de S. Amato legitur, Surius de S. Amato. cui cum loci episcopus in sustentationem non raró præberet pecunias, eas vir amandus semper reiecit. Tandem cum eas episcopus clam altariolo, in quo sanctus eremita solebat sacrificare, impositas reliquisset, Amatus easdem manè deprehendit, & in profundam vallem abjecit. Iactet iam suum Cratetem antiquitas.

Vt hi peculium, sic multi sanctorum de suis cœnobijs census rejecerunt. Blasius Melan. vitâ. Venerat quidam conversionis gratia ad monasterium deferens secum in charta suum totum patrimonium, quod habebat amplissimum. Id ut S. Joan. Gualbertus intellexit, ab abbate loci chirographum poposcit, acceptumque minutatim discerpsit, *satius esse judicans cum exiguis vivere, quàm multiplicatis opibus superbire.* Deinde valde commotus zelo pauper-

Digitized by Google

paupertatis, DEVM & apoſtolum ejus invocat, ut ulciſcatur ipſum de illo cœnobio. & confeſtim iratus diſceſſit. Quo non longè digreſſo; repentinus ibi accenſus eſt ignis, qui monaſterium magna ex parte combuſſit.

Eodem paupertatis ſpiritu æſtuavit S. Cæleſtinus, qui numquam in ſuis monaſterijs ærarium amplum haberi voluit, numquam divitias ſupra neceſſitatem augeri permiſit; ſed quod frugali fratrum victui ſupererat, pauperibus erogabat, nolens in multos annos cum Evangelico divite opes reſervare, aut de craſtino ſollicitus eſſe. Amputavit itaque omnem luxum & ſuperfluitatē. Id quod etiam de S. Lupicino legimus, cujus monaſterium cum inopia premeretur, acceſſit ad Chilpericum regem Burgundiæ petens pro fratribus neceſſaria victus & veſtitus. Cui cum rex juſſiſſet dari agros & vineas, is bona ſtabilia renuens annuos fructus flagitavit. *Neque enim decet*, inquiebat, *monachos facultatibus extolli mundanis.* Itaque rex ex fiſco ei quot annis dari præcepit trecentos modios tritici, tot urnas vini, ac centum aureos pro indumentis. Pro quibus ille gratias agens receſſit.

Bened. Godō. c. 18. de S. Cæleſt.

S. Greg. Turō. de vitis SS. c. 1

Chilperici factum ſecutus eſt Manuel Comnenus Imperator, qui cum intelligeret monachos poſſeſſionibus, & negocijs turbatos, & tranquillitate animi, & DEI cultu excidere, nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones, quas nec eorum profeſſio admittit inquit Choniates, aſſignavit: ſed ex fiſco tantum pendi juſſit, quantum ad victum & cultum opus eſſet, ſic ut ſanctionem Nicephori Phocæ olim abolitam de non augendis monaſteriorum latifundijs, quaſi poſtliminiò revocaverit.

Choniat. l. 7. annal.

Sed falleris Choniates, quod profeſſio monaſtica non admittat bona immobilia in communi poſſidenda. Error hic etiam Wicleffi fuit damnatus in concilio Conſtantienſi, quem Hus ſecutus eſt, qui docuit ejuſmodi bona renuntianda eſſe brachio ſæculari. Inſtitutum S. Franciſci, quod S. Clara rigidiſſimè obſervavit, ſicut laudandum eſt, ita non eſt vituperandum propoſitum illorum, qui etſi poſſeſſiones in communi habeant; verè tamen dicere poſſunt, *Nihil meum eſt.* Si hoc intellexit S. Carilephus, ſanè ſenſit: ſin autem; in exceſſu mentis locutus eſt. Vidit paupertatem ipſius monaſterij Vltrogoda regina, atq; ideo detulit ei omnes fines Modoalenſes. Vir autem Dei incenſus amore ſanctæ paupertatis reiecit omnia dicens: *Renuntiate*

Art. 44. in Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. Art. 9. & 11. ſeſſ. 15. Reg. S. Franc. c. 6.

Surius vitā S. Clara, c. 4.

ate

ate reginæ; Monachum in terris possessiones habere non debere. Verum est de monacho privato: de monasterio patitur regula exceptiones. Idem sentiendum de responso S. Isaaci, cui cum offerrentur possessiones ad alendos fratres, dixit: *Monachus qui in terris possessiones quærit, monachus non est.*

Surius de S. Casil. c. 4.

In nostris cœnobijs non prohibetur *Nostrum*, sicut *Meum ac Tuum*. Frigidum hoc verbum, invehens in vitam nostram quidquid malorum est, innumeraq; gignens bella. *Meum ac Tuum*, ait S. Gregorius Nyssenus, esse verba perniciosa, & materiã luctus, cum in paradiso non fuissent. Vnde & S. Martinus Dumiensis ait: Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba à natura omnium rerum tollerent, *Meum & Tuum*. Neq; enim aliud quàm pestis æstimantur à SS. PP. Abesto penitus à fratrum contubernio, ait S. Basilius, *Meum ac Tuum*. Et inter Pachomianos ne verbo quidem quis audebat dicere absq; magno crimine, *Codicem meum, tabulas meas, graphium meum, caligas meas*, ita ut puniretur, si tale verbum vel ignoranti ex ore processisset. In constitutionibus monachorum post regulam S. Benedicti statuitur, *Numquam esse dicendum Meum sed Nostrum, nisi in culpis, vbi proferendum Mea culpa.* Ex Ethnicis verborum horum malitiam agnovit Plato vnde docebat omnia debere esse communia, sublatisq; duobus his verbis *Meum ac Tuum* de medio, nullas inter homines futuras contentiones.

S. Greg. M. l. 3. dial. c. 14. S. Chrysost. hom. de S. Philog. S. Greg. Niss. hom. 6. in Eccl. Mart. Dum. l. de morib. S. Basil. reg. fusior. 32. Cassian. l. 4. Instit. c. 13. Tom. VI. Bibl. PP. part. 1. Plato de repub.

Quare *nihil* dicatur *Meum, nihil tuum, nihil proprium*, sed sint nobis omnia communia. *Ascetam convenit*, ait S. Basilius, *ab omni privata rerum materialium possessione omnino liberum esse.* Constantissimæ, securissimæ, & alijs omnibus meliores divitiæ sunt, ait S. Greg. Naz. nihil possidere præter Deum, & quæ supra nos sunt. S. Ambrosij brevis, sed nervosa sententia est, *Si iustus esse cupis, habeto communia pro tuis, tua pro communibus.* Tali paupere nihil tutius, nihil est locupletius: nã *quibus nihil est proprium, nihil deest: nec scit egere optima disciplina.* Denique in concilijs sæpe inculcatum legimus: *Monachi nihil proprium habeant. Abbates non patiantur monachos habere proprium,* sed eorum necessitatibus de communi provideatur, ne aliunde, quæ necessaria sunt, sibi comparare contra paupertatem debeant. Vnde S. Augustinus & Benedictus in suis regulis ex Apostolica doctrina decernunt, dandum de communi singulis, quod cuiq; sit opus.

S. Basil. const. ascet. c. 34. S. Greg. Nyss. in iamb. 18. S. Ambr. l. 1. Offic. c. 25. S. Greg. Iambic. 19. S. Ambros. de Viduis. Conc. Mogunt. 1. c. 14. Tolet. XVIII. Rhem. A. D. 1148. c. 1. S. Bened. reg. c. 34. & 55. S. Aug. ep. 109 Actor. 4.

Quamo-



Digitized by Google

Quamobrem cum Religioſus omnem proprietatem abnegare debeat, nec nummum tamquam proprium retinere poterit. Ingenioſè S. Baſilius Syncletico ex Romano ſenatore monacho effecto dixit: *Et ſenatorem Syncleticum perdidiſti, & monachum non feciſti:* ex priſtinis enim paucula ſibi reſervarat. Caſſianus paupertatis acerrimus vindex, nec obolum concedit monacho, eo quod impoſſibile ſit victum in exigua ſtipe, non majoris deſiderij incendio conflagrari. Idipſum S. Ephraim ſuos Syros docuit. Hinc ſiquis olim rem leviſſimi pretij perdidiſſet, aut deſtruxiſſet, tamquam votifragus graviſſimè puniebatur. Cuidam fratri culinam adminiſtranti inter lavandum tria fortè grana lenticulæ inter manus deciderant, & ab abbate tamquam interverſor, & ſacri peculij neglector ab oratione ſuſpenſus eſt: nec aliter remiſſionem conſequi potuit, niſi peracta publica pœnitentia. Vaſa, & ſupellectilem monaſterij tamquam ſacroſancta tractabant, utpote non ſolum diſpenſatori, ſed etiam Deo pro ijs rationem reddituri. S. Benedictus non modò vaſa, verùm etiam omnem ſubſtantiam monaſterij habendam eſſe decernit, ac ſi altaris vaſa conſecrata eſſent. Quapropter corripi primò, & niſi ſe emendaverit regulari diſciplinæ juſſit eum ſubdi, qui aliquid ſordidè ac negligenter tractaſſet.

Caſſian. l. 7. inſt. c. 19. S. Baſil. apud Caſſian.

Caſſian. c. 21. & 30.

Idem c. 19.

S. Bened. reg. c. 31.

Deus bone! quid ſi quis quampiam rem occultaſſet? Noſſe cupis, quàm hoc etiam Deo diſpliceat? Quidam de familia S. Franciſci ante viſitationem cellæ quædam abſconderat; & eadem nocte ab alio viſus eſt in inferno pendere de patibulo, habereque pendula de pedibus quidquid occultaverat. Quod viſum cum deinde occultator intellexiſſet, vitium correxit. Vnde S. Baſilius nimis clemens tali ſolummodò Eulogias ademit.

Bover. annal. A. D. 1579.

S. Baſil. in delinquent. n. 9.

Dare vel accipere clanculò aliquid longè quàm occultare gravius eſt. Quod judicamus eſſe materiam levem, ſeveram ultionem infert. Frater, de quo ſibi nuper ſcripſi, geminam cauſam ſuæ damnationis habuit, una erant excuſationes; altera quòd plura munuſcula ſpiritalia abſque majorum ſcitu, tam dare, quàm accipere fuerit ſolitus, veritus repulſam ſi licentiam accepiſſet. Et adhuc, inquit, ſub pulvillo capitis latet canabis faſciculus clam acquiſitus ad reſarciendam tunicam. Alium quinque Roſaria ad infernum detulerunt, quæ clam

Bover. ſup. A. D. 1569.

Id. A D. 1551

Digitized by Google

comparata destinarat cognatis. Et licet ob id conscientiæ stimulis agitaretur; nihil tamen umquam significavit Confessario, cogitans rem esse admodum levem. Inventa sunt à morte ejus rosaria hæc in ejus genuflexorio abscondita. Denique idem F. Junipero contigit, quod multa vana accumularit, quæ præter licentiam clam aut propinquis mittebat, aut domi habebat, de quibus nec in morte pœnitentiam egit, credens se ob tam levia non fore damnandum. Sed dirus, Josippe, DEVS exactor votorum est. Vovete & reddite.

Idē A.D.1570.

S. Basil. reg. breu. 87. 99. 100.


Magni Basilij decretum est, religiosum privatum ne vetus quidem vestimentum, aut calceum egenti posse donare, etsi vel nudus sit. Alibi dicit: *Si des panem sine facultate, tamquam eversor disciplinæ judicator.* Prohibitum erat apud Capucinos panem de mensa auferre. Contigit autem ut fratri cuidam satan appareret sub specie B. MARIÆ semper Virginis, postulans panem. Frater errore delusus tempore prandij panem furtivè in manicam inijcit, finitaq; mensa expectanti phantasmati porrigit. Quo facto dæmon repentè mutata formâ hominem pedibus corripuit, & verò abripuisset, ni unus audito fratris clamore advocasset reliquos, qui fusis ad DEVM precibus furtivum eleemosynarium tandem hosti eripuerunt.

Bover. A.D. 1573.

Breviter absolvo: Religiosus privatus vi voti paupertatis nec exiguam rem tamquam suam, etiam in sola voluntate, habere potest. *Quid enim proderit,* ait Cassianus, *pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi?* Ad nutum quoque omnia relinquere debet: nihil potest alienare, nihil accipere, nihil expendere, nihil abscondere. In libris præterea, vestibus, vasis, supellectili eam servabit munditiam, curam, ac diligentiam, ac si sacri altaris paramenta sint. Deniq; in omni re cunctam abscindet superfluitatem.

Cassian. l.7. instit. c.21.

Hoc si fecerit, vivet.



EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIII.

De Proprietatis vitio.

NIhil est quod in religione me terreat magis quam virus (vitium volebam scribere) proprietatis. Plurimis involutum excusationum vanissimarum technis est. *Non dantur*, inquiunt, *sufficientia. Quid si valetudo mala carnis emerserit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? Præstatio monasterij pertenuis est, & negligentia erga ægrotantes maxima. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, moriendum est. Ipsum etiam vestimentum non sufficit quod præbetur, nisi procuraverim unde aliud valeat exhiberi.* Hi proprietatis prætextus iam Cassiani temporibus à maleferiatis proferebantur. Nos adderemus inveteratam saltem pauca habendi consvetudinem securi & ascia visitationum abscindendam, quia nonnisi excusationes in peccatis sunt. Proprietas subtile malum, sic ut teste S. Gregorio Nysseno ij, qui in omnia vitia dominium tenuerunt clari virtutibus, huic tamen vitio obviare satis haud potuerint. Iuxta Cassianum oritur ex torpidæ mentis ignavia, & initio abrenuntiationis malè arepto, & in Deum amore tepido. S. Basilius addit etiam diffidentiam erga Deum, quasi in nomine suo congregatos non velit enutrire. S. Benedictus appellat *nequissimum vitium;* Cassianus, *receptaculum vitiorum, malorumq; omnium radicem, & inextricabilem nequitiæ fomitem.* S. Gregorius magnus ait, Proprietatem maximè testari, *proprietarium cor monochi non habere,* & ubi locorum hoc vitium se insinuarit, ibi concordiam & charitatem manere non posse. In veteri testamento à Giezi, in novo à Juda proditore, & Anania sumpsit initium, quorum pœnâ fundatores religionum perterriti, id omni conatu nisi sunt expellere pœnis in reos gravissimis constitutis.

Cassian. l. 7. instit. c. 7.
S. Greg. Nyss. hō. 8. in Eccl.
Cassiā. sup. c. 1
S. Basil. constit. mō. c. ult.
S. Bened. reg. c. 33.
Cassian. sup. c. 6.
S. Greg. M. l. 10. epist. 22.
Cassian. c. 26. & 14.
Basil. instit. mon.
S. Greg. Naz. carm. 3.
Oresies. tract. de Tabennes.

S. Pachomius statuit sacrilegium eum committere, qui aliquid in propriam vertit requiem, talemq; perire. Vnde sæpius præcipit, Ne quis ad cellam aliquid deferat, ibiq; abscondat. S. Augustinus furti condemnat, qui aliquid celaverit. Corripiendum S. Benedictus decernit. Basilius proprietarium Judæ comparat, furemq; appellat. Hinc in inferno suspenduntur, ut nuper indicavi. Aliàs præcipit, ut possidens aliquid vel

S. Pachō. reg.
S. Aug. in reg.
S. Bened. in reg. sup.
S. Basil. constit. c. 34.
In decision. pœnit.

Digitized by Google

intra vel extra monasterium sit excommunicatus: auferens, vel occultans, permutans, donans, amittens, inveniens, dans aut accipiens, careat eulogijs, hoc est cibis quibusdam benedictis, qui fratribus nunc ante, nunc post mensam distribuebantur, ut panis, caricæ, fructus, aut dulciamina.

c. cum ad monast. De Statu monach. At nihil seuerius in proprietarios jure canonico, quod omnibus recipiendum est. *Prohibemus*, inquit, *districte in virtute obedientiæ sub obtestatione divini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habet proprij, totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione prævia de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B.Gregorius narrat* S.Greg.l.4. dial. c.55. *in dialogo se fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed abbati, vel Priori, vel cellario assignetur.*

Mirari potes Josippe, quod contra transgressores votorum ceterorum tam dura pœna non statuatur. Sed cogita *malorum omnium radicem esse cupiditatem*, quæ semel ingressa communitatem tamquam cancer serpit, alios facillimè corripiens, tantoq; peius, quanto latentius, & in specie dulcius, quapropter haud immeritò maiori cum terrore ei resistendum est. Censura iuris canonici non est recens, antiquitus iam observata est. 1. Timoth. 6.

S. Hieron. ep. 22. Quid Nitriæ gestum sit, inquit S. Hieron. referemus. Quidam ex fratribus parcior magis quàm avarior, & nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinque millia diversis cellulis habitabant) quid facto opus esset? Alij pauperibus distribuendos esse dicebant; alij dandos Ecclesiæ; nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo & Jsidorus, & ceteri quos Patres vocant, sancto in eis loquente spiritu decreverunt in fodiendos esse cum eodem dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nec hoc crudeliter quisquam putet factum. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis.

Sed

Digitized by Google

Sed video quid sentias. Centum solidi notabilis summa est, meritâ severitate castigata: modicum pro nihilo reputatur. Falleris: unus solidus crimen, hoc est lethale peccatum facit, ut tota decrevit Ægyptus post lamentabilem illam sepulturam. Si & hoc durius tibi videtur, audi de materia leviori. Tempore S. Leufridi Lerinensis abbatis contigit fratrem mori, cujus corpus cum tractarent monachi, inuenerunt in vestibus absconditos ternos nummos. Quod cum patri sancto indicassent, valde infremiscens iussit cadauer defuncti fratris seorsum extra cœmeterium commune proijci, coniectisq; in id nummis à fratribus clamari, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Qui abierunt, feceruntq; sicut præceperat eis vir sanctus. In vita S.Leufrid. c. 23. Chron.Lerin.

Senti de hoc facto quidquid placet. Ego audio concilium Anglicanum. *Pro proprietarijs*, inquit, *in morte, nisi egerint pœnitentiam, non signa pulsentur, nec salutaris hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliantur.* Ivo Carnotensis vult fratrem, qui eiusmodi sacrilegium abscondit, & obit, ac cum reliquis sepultus fuit, effodi, & abijci ad terrorem aliorum, quod etiam in iure canonico statutum est in causa defuncti canonici regularis proprietarij. Concil. Anglic. A. D. 1075. S.Ivo epist. 57 c. super quodam. De statu monach.

Quàm graviter autem Deus proprietarios castiget ex S. Gregorio perspicere potes. Quadam die, inquit ex monasterio S. Andreæ duo fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterij utilitate debuissent: unus iunior qui prudentior videbatur; alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt utriq; & de pretio quod acceperunt, ipse qui custos missus fuerat, nesciente altero furtum fecit. Qui mox, ut ad monasterium sunt reversi, atq; ad oratorij limen venerunt, arreptus à dæmone is, qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimissus autem à dæmonio, concurrentibus monachis requisitus est, num forsitan de eo quod acceperat furtum fecisset? negavit, iterum vexatus est. Dimissus atq; iterum requisitus negavit, atq; iterum vexatus est. Octo itaq; vicibus negauit, octo vicibus est vexatus. Post octauam verò negationem, nec non vexationem confessus est quantos nummos furto abstulerat. Et agens pœnitentiam, prostratus se peccasse testatus est: ulterius verò ad eum dæmonium non accessit. S.Greg.l.9. epist. c. 38.

Officiales cœnobiorum, qui ex commissione Prælati tractant pecunias, in magno sunt periculo & sæpe à philargyria

 vin-

Digitized by Google

Vincent. Bel-luac.l.29.c.11 vincuntur. Eram aliquando, inquit B. Christianus, in Gastineto iacens in lecto pleno paleis in solario quodam, & cum vellem repausare, sentiebam nescio quid moveri sub renibus meis. Dixi hoc magistro meo, sed illa motio non quievit. Quodam autem die inspirante Domino cœpi evertere paleam lecti mei, & eversa palea cum nihil invenirem, levavi unum de asseribus solarij, sub quo inveni unum pedulem & in eodem magnam massam denariorum. Id ut magistro indicavi, jussit ut ad se ferrem. Quo accepto omnes iussit fratres adesse, reumq; tanti criminis ab omnibus pariter excommunicari. Quod cum audisset Carpentarius frater laicus, accessit, suamq; culpam fassus pœnitentiam condignam accepit, sacrilegis denarijs in egenos distributis.

Zacch. Bover. in annal. A.D. 1569. At obsecro te, ne graviter feras, si epistolam longiorem fecero. Delectamur uterq; historijs. Contigit A.D. 1569. ut ex fratribus, quos minores de observantia vocamus octo simul ad Capucinos transirent. Rogati causam, dixerunt, Guardianum ipsorum haud ita pridem tam horrenda morte defunctum esse, ut nisi sibi melius consulerent, non immeritò similia timerent. Cum enim ex confectis à se flabellis pavonaceis, alijsq; curiosis sericis signaculis multum pecuniæ corrasisset, ita tandem fœtere cœpit, ut eius præsentiam nemo tolerare potuerit. Seiunctum ergo cum fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atq; à monstrosa fele ad collum graviter lacerari ac suffocari. Cum fratres in abactione felis se multum fatigarent, ægrotus, non cum fele, inquit, sed cum dæmone vobis res est: hoc supplicium mihi vitæ turpitudo, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta regulæ observantia peperit. Discite vos meo exemplo meliora. Damnatus à Deo ad tartara rapior. Queis dictis inter horrendum stridorem à fele præfocatus amisit animam.

Idem loco cit. Capucinus quidam allectus alterius Breviario, id clam subtraxit, & abscondit, sperans brevi se locum mutaturum, ubi eo absq; suspicione uti posset. Qui Breviarium amiserat, Guardiano indicavit, rogans ut fratres moneret de restitutione. Nequidquam id aliquoties factum. Unde concitatior Guardianus per sacram obedientiam edixit, ut quicumq; Breviarium abstulisset, antiquo possessori redderet. Sed & hoc frustra fuit. Iam dies declinabat in vesperam, & sacrista templum clausurus descendebat ad ecclesiam. Nondum ad fores venerat, cum ecce

qui-

Digitized by Google

quidam in nigri monachi habitu ingreditur, qui converſus ad Sacriſtam, Obſecro te, inquit, frater, relinque tantiſper apertas fores, dum quod meum eſt, tollo. Sacriſta miratus nigri advenæ, dictum, rem detulit ad Guardianum, ſecumq; duxit ad eccleſiam. Qui conſpecto peregrino, Quid inquit, hîc loci repetis? Et niger: Eſt inter tuos, qui, quod meum eſt poſſidet, jube omnes adeſſe, & oſtendam. Guardianus accitos omnes Melandro propoſuit, qui ut conſpexit Breviarij furem, momento pedibus arreptum per aëra vivum in omnium oculis auexit ad orcum Breviario de manica excuſſo. Ita cognitum fuit, quis hic niger, quis fur, & quæ pœna debeatur violatoribus paupertatis.

Verè Joſippe, judicia Dei verenda ſunt, maximè ubi de votis decernitur. P. Otho de eodem Ordine poſt mortem amico apparens dixit, ſe quidem ſalvum ac beatum, ſed poſt tam exactum examen, ut judex Deus etiam de candela in locis communibus ardente examinaverit. Quid fiet proprietarijs, dum tantilli paupertatis exceſſus non negliguntur? Idē A.D.1578.

EPISTOLA XXXIV.

De Religioſorum ſupellectili.

SVnamitis illa, Joſippe, nobis oſtendit omnem habitationum noſtrarum ſupellectilem. *Faciamus*, inquit, *ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum.* Sufficiunt hæc pauperi Chriſti ad neceſſitatem. Ad pietatem addi poſſunt devotæ quædam imagines non ſumptuoſæ; ad cõprimendam carnem inſtrumenta mortificationum; ad inſtructionem codices. S. Benedictus concedit præter hæc cultellum, graphium, acum, & mappulam menſæ & librorum appendices, vel ſi quid in veſtimentis parum reſarciendum ſit. Cultellos permittit ad latus habere, ſic tamen ut noctu deponantur, ne ſe fratres dum dormiunt vulnerent. Aliàs in Nicæno concilio lego, ne tam monachi quàm moniales ferant crumenam ad latus, neq; cultellos, ſicut ſolent milites & homicidæ, quando eunt ad bellum & ſicut ſolent mercatores, cum iter faciunt, portare crumenam ad oſtentationem, ut faciunt magnates populi.

4. Reg. 4.

S. Bened. reg. c. 55.

c. 22.

Conc. Nicæn. I. can. 86.

Sed intereſt noſſe S. Benedicti cultellos neq; homicidis,

neq;

neq; militibus usui esse potuisse. De grandioribus cultellis sicariorum loquuntur patres, clericis non semel prohibitis. Ita in synodicis Odonis Episcopi Parisiensis habes: *Sacerdotes nec* A.D. 1011. *portent cultellum cum cuspide, nec clerici eorum.* Item in concilio Bambergensi: *Nullus cum calcariis, quos sporones rusticè vocamus, & cultellis extrinsecus dependentibus Missam cantet.* De crumenis etsi idem quod de cultellis censeat concilium Nicænum: si tamen in vestibus desit receptaculum, crumenam ad latus portare pro rebus necessarijs, sicuti peram, illicitum non semper fuit. Non legisti in vita S. Coletæ, quod cum ad Papam Benedictum Nicæam venisset, crumenulam ad latus habuerit de zona pendentem, in qua chartula erat, cui inscripserat, quæ Papæ volebat proponere, quam etiam Pontifex sua manu excussit?

Steph. Iuliac. in vita S. Coletæ.

Cassianus supellectilem monachi recensens nominat sportellam, saccellos, codices, mattam, & psiathium, quod simul pro sella & lecto erat. Si separatim edebant, ut in eremis, & clausis pro aqua *Gillonem* insuper habebant *fictilem*, vel *suriscula*m, vel vas quod *cauchium* appellabant, ex quo edebant & bibebant, quemadmodum eadem olla servire debebat pro oleo lucernæ simul & cibis, quod suis temporibus S. Bernardus monachis abbatibus exprobravit dicens: *An non posset eodem vasculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi?* Elesbaan ex tam victorioso rege pauper anachoreta in tota sua supellectili nihil habuit præter stoream & poculum. Poterat hîc ex animo dicere cum S. Hieronymo; *Habeant sibi ceteri, si velint, suas opes, gemma bibant, serico niteant, plausu famulorum delectentur, & per varias voluptates suas divitias vincere nequeant. Nostræ divitiæ sint in lege Domini meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panes trinitatis accipere, & sæculi fluctus Domino præeunte calcare.*

Cassian. l. 4. collat. c. 21. Idem l. 4. instit. c. 16. Pelag. l. 4. nu. 69. S. Ephr. vitâ S. Abrah. S. Chrysost. l. 1. de compūct. c. 4. S. Bern. apol. ad Wilhelm. Metaphrast. vitâ S. Elesb. S. Hieron. ep. 155.

S. Paulinus vir clarissimi generis monachus effectus *buxeis scutellis, vasisq; fictilibus* usus est. Nunc surgunt mendici, fiunt monachi, tandemque abbates & rectores monasteriorum. prô supellectilem! Omnia nitent auro & argento, radiant digiti annulis, & contra dignitatis statum censeretur, si de buxea scutella vel vase fictili se reficerent. Scilicet sic impletur quod præcipit S. Augustinus: *Non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.* Adstant ad mensam molossi, vel molles catelli

S. Paulin. ep. 1. ad Sever.

Epist. 109.

catelli, inter quos si fortè veniret mendicus, flagris expelleretur. Sumitur ergo panis filiorum, & datur canibus, sæpeque in extremis jacet, qui ejusmodi projectis reficeretur. Eduardus rex Angliæ tolerabilius egisset, si lege cavisset, ne quis monachorum auream, argenteam, vel sericam supellectilem emeret, quàm dum prohibuit emere prædia. Conc. Londō. A.D. 1291.

Sed fortè scivit id jam olim fuisse prohibitum: nam in concilio Nicæno ab antiquis temporibus statutum erat, *Ne monachi sigillis aureis obsignarent*, nisi dicas abbates monachos non esse, aut gemmas esse infra argentum & aurum: Vel denique licere monacho, quod illicitum est clericis, quibus in generali synodo Romana dicitur, ut fibulas, fræna, calcaria, corrigias auratas aut argenteas, vel annulos non habeant, nisi sint Episcopi. In concilio Oxoniensi monachis, monialibus, & canonicis regularibus interdicitur usus Zonarum sericarum auri vel argenti ornamenta habentium. Frisingæ similiter ordinatum est, ne clerici cingula & monilia auro vel argento splendentia portarent. Hodie pauci dicere cum S. Petro possunt, *Argentum & aurum non est mihi:* si quid non habent in loculis, habent vel in cingulis, vel libellis, vel in catenulis & capsulis de collo pendentibus, vel rosarijs. Subditi majorum exempla sequentes congerunt in cellas, quidquid possunt, quæ si quis digito tangat, profectò demonstrant, quanta mentis resignatione ea possideat. *Nos miserabiles*, ait Cassianus, *quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac sub abbatis cura & solicitudine constituti; peculiares circumferimus claves, omniq; professionis nostræ verecundia, vel confusione calcata, etiam annulos quibus recondita præsignemus, in digitis palam gestare nos non pudet; quibus non solum cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reservavimus condenda sufficiunt? Quiq; ita nonnumquam pro vilissimis, nullisq; rebus accendimur, eas duntaxat velut proprias vendicantes, ut siquis vel digito quidquam ex his contrectare præsumpserit; tanta contra eum iracundia suppleamur, ut commotionem cordis nostri ne à labiis quidem, ac tota corporis indignatione revocare possimus.*

Conc. Nicæn. sup.

Conc. Later. sub Innoc. III. A.D. 1215. c. 16.

A.D. 1222.

A.D. 1440.

Act. 3.

Cassian. l. 4. instit. c. 15.

De doctrina S. Ephraimi taceo, qui vult, *ne inutiles exornemus parietes ac muros; cùm cella ornatior patientiam non præbeat. Quæ ad necessitatem*, inquit, *sunt, quæramus: superflua enim & distractiones pariunt, & sunt perniciosa.* Hoc silentio involuere S. Ephr. in sentent.

 voluere

Digitized by Google

voluere non possum, quod aliqui rebus odoriferis plusquam mollissimæ feminæ delectentur, qui si scirent, quàm graviter SS. PP. hunc luxum detestentur, cane pejus & angue vitarent. In concilio œcumenico VII. etiam episcopi jubentur puniri, qui odoriferis unguentis utuntur. S. Ephrain *rem* appellat *femineam*. S. Clemens ait, *studium redolentiæ esse hamum inertiæ procul attrahentem libidinis faces.* Et infrà: *Ex hoc inani studio,* inquit, *à sapientibus cognosci homines libidinosos.* Vnde S. Cyrillus Hierosolomyt. *Exterminetur à vestibus suffimentum voluptatis inescativum. Suffimentum tuum sit intus in omnibus oratio boni ordinis, & bonorum & corporis sanctificatio.* Doleo in ea me tempora reservatum, quibus hæc tam modicè curantur ab aliquibus. Sub nomine paupertatis abundantiæ student, & nihil habentes omnia possident: nec audire volunt S. Franciscum non modò de pecunia, verùm etiam de omni superfluitate clamantem: *Superfluitas servis Dei nil aliud est, quàm satan & virulenta vipera.*

can. 16.
S Ephr. so. 116
S. Clem Alex. l. 2. Pedag. c. 8.
Vide Euseb. l. 4. demonstr. evang c. 14.
S. Cyrill. catech. 12.
Vita S. Franc. c. 7.

EPISTOLA XXXV.

De voto Castitatis.



MArcellus Scithiota Abbas monasterij Monidion apud Joan. Moschum ait: *Nihil ita Deo monachos familiares efficit, ut pulchra, & honesta, & Deo gratissima castitas,* quæ sicut sanctus & divinus spiritus attestatur per B. Paulum, honestatem & perseverantiam jugiter vacandi Domino sine distractione præstat. Qua de causa SS. PP. ab initio monachismi eam censuerunt ad perfectionem unicè necessariam: nam *mulier exactissimum instrumentum est, quo mores boni viri corrumpi, vitæ severitas & rectitudo molliri solet,* ut jam semel ex Philone tibi dixi. Ex S. Augustini doctrina castitatem primò omnium Christus Dominus docuit, atque ab eo tempore, ait Eusebius Pamphili, apud Christianos necesse est ijs, qui Deo consecrati sunt, vacantque ejus cultui ac ministerio, ut abstineant nuptiali commercio, illisque solis dicitur, *Honoratum conjugium, & thorus immaculatus,* qui se Deo non consecraverunt.

Prat. Spirit. c. 42.
1. Cor. 7.
Epist. 13.
S. Aug. hō. 33
Euseb. l. 1. demonstr. c. 9.
Hebr. 13.

Eunuchiam, Iosippe, quæ propter regnum cælorum est,

est, non omnes capiunt. *Qui eam possederit in terra honorabitur, & in cælis ab Excelso coronabitur*, inquit unus è SS. PP. sed, ut dixi, pauci per hanc viam rectè ingrediuntur, quia supra modum ardua est maximè juventuti. Christiana mirabilis incredibili ejulatu sæpius deplorabat, totum fere genus humanum corporis pollutione corruptum, eaque de causa iram Dei, & animadversionem universo orbi Christiano imminere. S. Chrysostomus ait: Audivimus hoc nostro sæculo, nonnullos ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices montium currentes, & in continuis vigilijs, ac inedia summa viventes, & omnem disciplinæ severitatem ostendentes, & omnibus mulieribus ingressum in domunculā & tugurium suum interdicere, atque hac ratione seipsos castigantes; ægrè tamen concupiscentiæ furorem comprimere. At tu dicis, quod licet videas cohabitantem feminæ, & alligatum, & deliciantem, non suspiceris aliquid mali. *O admirande, non eorum qui cum hominibus, sed qui inter lapides vivunt, hic affectus est.*

Pelag libell. 4. n 48.

Thom. Cantiprat.

S Chrysost. contra eos qui subintr. habent c. 5.

Horreo toto corpore dum in S. Anastasio Sinaita lego: Vidi, inquit, viros centum annos natos, imbecilles, & toto ferè corpore trementes, qui tamen non potuerunt abstinere à peccato corporali. Climacus narrat fuisse juvenem, qui propter virtutum merita prius onagris imperabat, cælestique pane nutriebatur: sed hunc tandem (heu dolor!) lapsum in peccatum molliciei, unde non solùm pristinam gratiam amisit, verùm etiam cum post lapsum occultum suum delictum amarissimè defleret, nihilominus audire debuit S. Antonium de se dixisse (nam ejus ruinam divinitus cognorat) *Magna columna cecidit.* Dummodò addidisset, *Et surrexit.* Tertium addo eum, qui ex gravissimis morbis & senio dicebat se habere corpus præmortuum, nec esse posse de se suspicionem lapsus; & tamen cecidit. Patheticè admodum S. Basilius ait: *Quàm sæpe factum est, ut qui triginta aut viginti annos se in castitate, jejuniis, continuis precibus: in multis item lacrymis, & corporis macerationibus discruciarunt, tandem collapsi sint, & in portu, sicut aiunt, naufragium fecerint miserabili prorsus spectaculo.*

S. Anast. q 8. de pollut. t. 6. p. 1. Bibl. PP.

Climac. gr. 15.

Pelag. l. 5. nu. 35.

S. Basil. princip. proverb. t. 4. fol. 473.

Verè S. Paphnutius in concilio Nicæno dixit: *Non omnes ferre possunt ascesin hujus apathiæ.* Triplici namque cum hoste nobis colluctandum est, quorum nullus cessat carnem pro viribus inflammare. Primus ipsa natura est: alter cibus & potus: tertius

Socrat. l. 1. hist. c. 11.

Pelag. sup. n. 1.

tertius dæmon. Magni Antonij hæc sententia est. Accedit ferme severior Cassiani dicentis: *Impossibile est extingui ignita corporis incentiva, priusquam ceterorum principalium vitiorum fomites radicitus excindantur.* Tactus præcipuè insidijs suis allicit, quo sæpe fit, ut, teste Climaco, corpus inquinetur. Admoneat te is, qui matris manui pallium circumdedit, atque ab ijs, quæ vel naturalia, vel præter naturam sunt, à proprio atque alieno corpore comprime manum. S. Ludovicus Archiepiscopus Tolosanus adhuc adolescens, nec matrem, nec sorores osculari voluit: Dicenti autem matri, *Numquid ego non sum mater tua?* respondit: *Sed etiam femina, quas Dei servi osculari non debent.*

Cassian. l. 5. instit. c. 11.

Climac. sup. Pelag. l. 4. n. 68

Vitt. PP. Occid. l. 7. c. 10.

De carthusiano quodam legi, qui tribus integris annis inhonesta corporis nullo casu, nullaque necessitate contrectavit, quæ res ita commovit S. Godefridum Episcopum Ambianensem, ut episcopatu relicto voluerit intrare Carthusiam: erat enim tantus amator pudicitiæ & castitatis, tantus osor incontinentiæ, ut scyphum suum, ex quo concubinarius biberat, illicò vendi jusserit, & pretium dari pauperibus. S. Nicetius Episcopus Lugdunensis allatum ad se puerum S. Gregorium, pòst episcopum Turonensem, cum in lectum ad se sublevasset, prius pueri collum ex omni parte contexit, ne nudum contingeret. Præceptum S. Ephraimi est, si qua necessitate alter contrectandus sit, id cautè, reverenter, & cum timore faciendum: *Religiosius enim res sancta, & templum Dei est, inquit.*

Surius vita S. Godefr. l. 3. c. 23. Nov. 8.

c. 15.

Surius vitâ S. Greg. Turon. Nov. 17.

S. Ephr. de vita Spirit. n. 75. & 77.

Fugienda est, Josippe, omnibus modis etiam levissima libidinis occasio, & ut ait Abbas Dumiensis, *igni ac ferro abscindenda à mente luxuria.* Atque hoc fuit quod apud Lydos & fere apud ceteros Barbaros pro magno probro ducebatur etiam virum conspici nudum. Placet supra modum factum S. Dominici, qui cum fortè certum negotium tractaret cum fratribus, ingressus est Sacrista, & uni in aurem in susurravit, *Pulchra mulier adest, petens confiteri.* Audivit in Spiritu sanctus pater Sacristæ dictum, & acerbissimè flagellavit dicens: *Vade jam & disce feminas intueri, & de colore judicare.*

Mart. Dum. l. de morib.

Herodot. l. 1

Vitt. PP. Occid. sup.

Remedia contra hunc pertinacissimum hostem præscribit S. Gregorius Nazianzenus, Timorem, & amorem Dei, vigilias, preces, lacrymas, & dormitiones super pavimentum. quæ cum alijs pluribus aureis versibus decantat S. Orientius Episcopus.

S. Greg. exhort. ad Virg.

Tom. V. p. 3. Bibl. PP.

Accipe

Accipe tela quibus cordis pia mœnia serves,
Crux tibi sit clypeus, crux tibi sit gladius.
Supplicibus lacrymis, gemitu, prece, pectore tunso
Quære salutiferum nocte dieq; DEVM.
Respicis ad formam? sed sævas respice pœnas.
Respice quid laudes; respice quid timeas.
Internisq; oculis, & vero lumine cerne
De terra ad cælum, deq; homine ad Dominum.
Hic brevis est fine exiguo claudenda voluptas,
Illic perpetuo sulphure flamma vorax.
Ergo puellares formas vultusq; decentes
Aut verso, aut merso despicies capite.

Quoniam verò *duo ista dæmonia,* ut loquitur Tertullianus, *conspirata, & conjurata inter se sunt, Ebrietas & libido:* sic omnium maximè crapula fugienda est, tamquam Veneris hamus. Scivit hoc Crates Thebanus, ideo statuit vehementissimorum libidinis motuum emplastrum esse famem: sin autem; laqueum, quod loquebatur tamquam ignarus gratiæ Dei, quæ laqueis non indiget. Immo nec fames, nec aliæ corporis mortificationes infallibile medium sunt. *Ego novi,* inquit Climacus, *ad summum jejunantes validè fuisse quassatos carnis motibus.* Non in his, sed in Deo præcipua spes ponenda est: qui secus fecerunt, nihil effecerunt, ut habes apud Pelagium. Cassiani regula utrùm adeò certa sit non ausim affirmare. Dicit, posse aliquem per gratiam Dei intra sex menses pervenire ad castitatem, si ad esum contentus sit per diem duobus paximacijs; ad potum aquâ modicâ, ad somnum tribus aut quattuor horis. Verum est; tam tenui diæta corpus multũ exsiccabitur. Sarra Amma seu abbatissa sine dubio lautius non vixit, nihilominus per annos tredecim gravissimè fuit impugnata. Ejus ad Devm oratio erat. *Da mihi fortitudinem.* Tandem per Dei voluntatem liberata est. Moyses ex grandi latrone major athleta Christi, quid non incepit, ut per carnis edomationem veniret ad castitatem? Frustra fuit. S. Jacobus eremita dum pectus feminæ infirmitatem mentientis dextra ungit, sinistram interim per tres horas in igne tenuit. Vtinam hoc ipsum sub altera tentatione repetijsset, & tam miserabiliter haud cecidisset.

Tertull. l. de spectac.

Apud S. Clem. Alex. l. 2. Strom. fo. 413

Clim. gr. 15.

Pelag. l. 5. n. 40.

Cassian. coll. 12. n. 15.

S. Ephr. Apophtheg. c. 15 Pelag. n. 10. 11. sup.

Pallad. c. 22.

Metaphr. vita Iacob.

Quapropter nisi mortificationes corporales fulciantur singulari spe & auxilio divino securi esse non possumus. Con-

ferunt tamen; alioquin S. Bernardus non se in undas gelidas immersisset; nec S. Franciscus in nives; nec S. Benedictus in vepres; nec denique S. Martinianus in ignem intrasset. Plerique subsidium quæsiverunt à flagellis, cilicijs, jejunijs, vigilijs, chameunijs, lacrimis ac precibus. Præ ceteris ad castimoniam facit fuga feminarum. Meus sacer poëta canit:

Metaph. vita S. Martin.

S. Orient. sup.

Da studium curans, & semper providus opta,
Ut tibi sit nulla femina juncta nimis.
Amittent vires, si non sint obvia, venti:
Pabula si desint, irritus ignis erit.

Atq; iterum:

Nemo feret rutilos intactis vestibus ignes:
Nemo inter lituos non trahet aure sonum.
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus assiduam non metet vngue rosam.
Nemo diu sitiens, & multo sole perustus
Incumbet gelidis, nec potietur aquis.
Nemo vias pedibus brumali tempore carpens
Conspersus pluvia, nec madefactus erit.
Nemo licet medijs muris sub tempore belli
Aut bene securus, aut bene tutus erit.
Congressus præstat visum, mox lumina visu
Concipiunt flammas, parturiuntq; nefas.
Dum veluti iacto piscantis fraudibus hamo,
Primò animus capitur, pòst etiam moritur.

Bover. in annal. A. D. 1581

Vitus Hyrmiensis Ordinis Capucinorum laicus frater parentum meorum vixit temporibus. Hic ut carnales impetus frangeret rigente hieme nudum se conjecit in profundam aquæ foveam: ne verò ex conspectu feminarum denuò resurgerent, ita suos compressit oculos, ut licet cum Imara Ruffa Hybliensium principissa annis septemdecim familiariter conversaretur, in faciem tamen ejus numquam aspexerit. Ex eadem familia F. Joannes Navarreus per undecim annos in nullius feminæ vultum suos oculos conjecit. Sed utrumque hunc superavit Franciscus à Darocha, qui cum Quæstuarius esset, per annos admodum viginti sex feminam numquam aspexit, qua de causa communiter appellabatur *Feminifuga*. Nempe genuinus discipulus S. Francisci erat, qui suis identidem inculcare solebat, ut mulierum familiaritates, colloquia & aspectus summo studio devitarent: per

Idem in vita A. D. 1593.

Idem A. D. 1607. Vita S. Franc. l. 5. vitt. PP. Occid.

hæc

Digitized by Google

hæc enim debilem frangi, & fortem sæpenumerò infirmari. Qua in re ipse S. Pater tam cautus erat, ut socio aliquando dixerit, *se nullam feminam de facie nosse*.

Ejusmodi femini fuga sanctus quoq; Thomas Aquinas fuit, quem cùm semel nobilis quædam matrona percontaretur, *Ecquid ita fugiat feminas, cùm tamen ex una natus sit*, respondit breviter: *Et ideo cæteras fugio.* Rectè: nam *ignis cum ferro nequaquam bene convenit*, ut ait S. Martinianus ad Photinam virginem, & D. Cyprianus: *Nemo diu tutus est periculo proximus.* Certè S. Ambrosio teste ex congressu feminarum si non lapsus, saltem suspicio & scandalum oritur. Unde Cassianus: *Omnimodis*, inquit, *monachus fugere debet mulieres & episcopos.* Nec satis est, ait S. Basilius, cogitationes de feminis comprimere, nisi vitemus etiam congressus, maximè eos, qui tentationes excitant & motus, quiq; rationem confundunt. Et illa quidem bella quæ nobis invitis insurgunt necessitate fortè tolerabilia sunt: spontanea autem excitare nobis ipsis prorsus irrationabile est. In illis etsi vincaris, fortè ignoscendum: in his verò ut ignoscendum non est, insuper & risu dignus es. Itaq; congressus cum feminis penitus vitandi sunt, nisi necessitas cogat inevitabilis, qua urgente, nihilominus tibi tamquam ab igne cave, ac stude quàm citissimè recedere. Abscondet quis ignem in sinu suo, & non comburetur? Quod si dicas ex his confabulationibus nil sentire in carne tua, tu vel expers es naturæ virilis, vel ita passionibus & cupiditatibus obrutus, ut instar phrenetici morbum haud sentias. Porrò esto nihil sentias: unde verò scis, nec illam ex tuo accessu tentari? Itaq; oportet esse hos congressus vel breues, vel nullos. Quod non ideo definimus, quasi sexum damnemus, sed ne temerè nos in periculum conijciamus.

Vitt. PP. Occid. l. 7. c. 10.
S. Martinian. vita sup.
S. Cypr. ep. 62
S. Ambros. l. 1. Offic. c. 20.
Cassian. l. 5. instit. c. 17.
S. Basil. constit. mon. c. 3.

Josippe hac occasione perierunt infiniti: & utinam non adhuc perirent. Abbas Paulus apud Cassianum, nec vestem muliebrem voluit aspicere. Et cum fortè iter ageret cum abbate Archebio, & obviaret femina, curriculò ad cellam redijt tamquam in leonem incidisset. S. Theodorus studita in testamento suo prohibuit, ne sui in monasterio umquam haberent, non dico feminam hominem, sed nec jumentum sexus feminei, adeò à religiosis abesse voluit omnem phantasiam mulieris. Sed inquis, femina sancta est, & integerrimæ famæ. At ego quæro quis tu sis? Enimverò non negabis te hominem, & ab ea diversi sexus

Cassian. col. 7. c. 26.
Apud Baron. A.D. 826.

Tom. VI. Biblioth. PP. Lib. 7. vitæ PP. sup. si sexus esse. S. Marcus eremita non frustra scribit monachum nec sanctis feminis familiarem esse debere. Delatus est quidam fratrum in Capitulo, quod mulieri dextram dederit. Qui cum dixisset, *Feminam esse sanctam.* Præsidens ait: *Pluvia bona est & bona terra; tamen ex earum commixtione fit lutum, quo homo* Ivo ep. 240 *fœdatur.* S. Ivo Carnot. monachum cetera bonum gravissimè objurgat, quòd devotæ mulieris confabulationi frequentius vacet. Quid sanctius sanctimonialibus esse debet? Et tamen quantopere prohibetur ad ipsas accessus? In Foroliuiensi synodo archimandritis nec in causa visitationis aut prædicationis conceditur ingressus ad monasteria puellarum sine permissu episcopi, nisi compellente necessitate: nec tamen hoc absq; idoneis testibus, ne angelicus ordo sanctæ ecclesiæ infametur. In concilio Turon. solis celebraturis permittitur aditus; sic tamen ut absoluto sacro confestim exeant, quod etiam in concilio Arelatensi & Epaunensi statutum est. Patres secundæ synodi Nicænæ, nec admittunt colloquium inter monachum & monacham, ne dicam familiaritatem aut pernoctationem in Parthenone quam in concilio œcumenico VI. interdictam lego.

A. D. 791. can. 12.

Turon III. A.D. 813. c. 29

Arel. A D. 813. c 7.

Epaun. A. D. 517. c. 38.

can. 20.

A. D. 860. can. 47.

Habemus exempla, quibus ostenditur nec sanctitatem, nec consanguinitatem satis tutam esse. Quidam à persecutoribus suspensus, & amputatus missus erat in carcerem, ait S. Macarius; ministrabat autem ei quædam de nostris canonica, nempe castimonialis, cui cum paulatim fieret familiarior, tandem cum ipsa cecidit. Ruffinus narrat quemdam monachum habitasse in eremo: venisse autem ad eum consangvineam, cum qua tandem peccaverit cum ingenti dæmonum tripudio. Planissimè bellè S. Dorotheus: *Melius*, inquit, *est tibi lethiferam æruginem comedere, quàm edere cum muliere, etiamsi mater, vel soror tua sit. Præstat cum serpente sedere, quàm cum meretrice, etsi soror tua sit: nam etsi nec cum matre, nec cum sorore aut consanguinea peccares; hæ tamen ipsæ in mentem transferent personas sexus muliebris.*

S. Macar. Ægypt. hom. 27. q. 6.

Ruffin. l. 2. vitæ PP. n. 14.

S. Doroth. doctr. 20.

Quamobrem cum tantum sit periculum à sanctis, & cognatis, quantum erit ab extraneis? Pars testamenti S. Theodori studitæ est: non ineas amicitiam cum canonica; neq; ingrediaris monasterium feminarum; nec solus colloquare cum monacha aut sæculari, nisi necessitas trahat, idq; cum duabus, aut utraq; parte personis adstantibus: unius enim, ut aiunt, facilis est ca-

Baron. sup.

Digitized by Google

eſt calumnia. Non aperies oſtium monaſterij ad intromittendam feminam ullam ſine magna neceſſitate: Non ſtatues tibi diverſorium in quo ſint etiam mulieres; ſed apud religioſos viros potius diverſare, & tranſitoriæ viæ ſubſidia capere ſtudebis. S.Auguſtinus unum de ſuo collegio ab officio presbyteratus removit, quod diverterit & pernoctarit in domo famoſæ mulieris. In œcumenico concilio VII. decernitur, ne monachi aut ſacerdotes comedant cum feminis, quamlibet cognatis, niſi neceſſitas poſtulet, ſic tamen ut præſentes ſint honeſti viri ac feminæ. S. Ephraim rationem aſſignat, cur in eadem menſa Dei ſervus eſſe non debeat cum feminis. Nam monachum, ait, *inter epulas cum feminis verſari, idem eſt, ac ſe in ignem conijcere. Qui autem earum fugit conſuetudinem, fugiat tamquam dama ex retibus, & velut avis ex laqueo.* Rectè proinde reſponſum eſt fratri ad ſuos pergenti, quærentiq; An cum ijs edere liceret; *Cum mulieribus non manduca.*

S.Aug. epiſt. 236.

Nicæn. II. ſup. can. 22.

S.Ephr. de humil. acquir. c.82.

Ioan. Subdiac. l. 4. n. 19.

Quod dixi S. Theodorum Studitam in morte ſtatuiſſe, ne qua femina monaſterium virorum ingrederetur, id ex S. Baſilio deſumpſit. Turonenſis quoq; concilij II. decretum eſt: *Ne mulier intra ſepta monaſterij ullatenus introire permittatur. Si abbas in hac parte, aut præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non ſtatim eiecerit, excommunicetur.* Concilij Antiſiodor. ſententia eſt: *Abbas permittens mulierem intrare in monaſterium etiam ad ſpectandas feſtivitates, tribus menſibus in alio monaſterio in pane & aqua vivat.* Deniq; canonicis etiam regularibus concilium Aquiſgran. interdicit, *Ne feminas intra clauſtra ullo pacto admittant; quia valde hoc à SS. PP. legitur inhibitum: extra clauſtra verò locus conſtituatur, ubi neceſſaria cum eis agantur.* Maiores ſiquidem noſtri docti varijs caſibus feminas à viris tamquam peſtem dimoverunt, gnari noſtræ fragilitatis, & vehementiæ paſſionis, quæ ſi vel ſemel nacta eſt aditum, homo nequit ad Deum reſpicere, nec aliquid ſapere Deo dignũ, ut quidam ſanctorum dixit. Principijs obſta, alioquin *concupiſcentia ubi conceperit, parit peccatum.*

S. Baſil. inſtit. monaſt. t. 2. fol. 394.

A. D. 567. can. 17.

A.D. 578. can. 26. Tom. 1. Conc. Gallic.

A. D. 816. c. 144.

Ioan. Subdiac. l. 1. n. 6.

Iacob. 1.

Climac. gr. 15

Aiunt quidam nulla re ita delectari dæmones, ut libidinis fœtore, qua de cauſa meliores religioſi omnibus viribus involuntariæ etiam paſſioni quæ dormientibus contingit, reſtiterunt, vocantes eam *ſocordis animi indicium*: cenſueruntq; probato monacho eam non niſi ter per annum debere obrepere, & qui-

S. Iſid. Pelus. ep. 7.

Caſſian. collat. 2. c. 23. Et l. 6. inſtit. c. 7.

Digitized by Google

Idem collat. 7 dem ſine pruritu, & illuſione imaginum. Novi Chriſti tyrones, ut miſeriam hanc abſcinderent, laminis plumbeis renum loca contexerunt, ut rigor metalli calorem carnis extingueret. S. Cæleſtinus in hanc rem ferrea catena uſus eſt. Serenus abbas cum longo tempore inſtantius à Deo nocturnis diurniſque precibus poſtulaſſet, ut ad maiorem puritatis gratiam incentiuis libidinis nec in ſomno inquietaretur, de nocte demum ei angelus apparuit, apertoq; eius latere ſtrumam extraxit de eius viſceribus, illaq; proiecta ſanavit uterum dicens, *Ecce incentiva carnis tuæ abiecta ſunt, & obtinuiſſe te noveris hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſciſti.*

In ejus vita Gonon. c. 17.

Caſſiā. coll. 7.

Rara hæc, Joſippe, gratia eſt; quia pauci eam debito deſiderio ſollicitant. Deinde multi propter alia vitia in pœnam traduntur dæmoni impuritatis. Libidinoſos monachos ſacri canones acriter caſtigant. Iuxta concilium Aurelian. 1. *Monachus ſi pellici vel uxori fuerit ſociatus, tantæ prævaricationis reus, numquam eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Canon. 44. concilij generalis contra Monothelitas eſt: *Monachus in fornicatione deprehenſus ſubijciatur pœnis fornicantium.* Satis clementer; quia monachi fornicatio votifragium adjunctum habet. Unde ſynodus ſive Auguſtana, ſive Ratisbonenſis ſub S. Bonifacio ſeverius. *Statuimus* inquit, *ut quisquis ſervorum Dei, vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua: & ſi ordinatus presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat antea flagellatus: ſi autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus unum annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis eius.* S. Baſilius monachum ob carnis lapſum tamquam adulterum puniendum decernit. B. Auguſtinus clericum deprehenſum in hoc Flagitio abjeciſſet. Sed de clericis & monialibus alius dicendi de hac re locus eſt. Interim mi Joſippe age quod agis, pugna vt vincas: nam *voluptatem viciſſe*, ait quidam, *voluptas eſt maxima: nec ulla maior eſt victoria, quàm quæ refertur de cupiditatibus.*

Can. 23.

S. Baſil. ep. 3. ad Amphit. c. 60.

S. Auguſt. ep. 127.

Lib. de bono pudicit inter. opera S. Cyprian.



EPIST-

EPITSOLA XXXVI.

De Humilitatis virtute.



GRato animo, Josippe, meas ad te epistolas de tribus votis accepisti, ut intelligo: nunc exigis audire de humilitate & religiosa patientia nonnihil, cum in his non minus atq; in votis monachi quondam fuerint instructi & exercitati. Meritò: nam ubi hæc non sunt, vita communis vana est. S. Marci abbatis firma sententia fuit, *Absq; humilitate nullum bonum posse attingi.* Alius dicebat: *Humilitatem esse charitatis præcursorem,* hoc est, initium perfectionis. Est & comes; nam, secundum S. Prosperum, *virtutum omnium inexpugnabilis fortitudo, & quædam suorum vita membrorum est. Huic te* proinde, ait S. Augustinus, *ut tota pietate subdas velim; nec aliam tibi ad capescendam, & obtinendam veritatem* (ac perfectionem) *viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem, non quò alia non sint præcepta quæ dicantur; sed nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.* Quocirca vides quàm necessaria sit Religioso humilitas. Pœmenis sententia certissima est: *Monachum ita incessanter respirare debere humilitatem, sicut flatum respirat ex naribus.* Breviter: *Humilitas,* S. Agathone teste, *magna salus est animæ,* possétque ex ipsis dæmonijs angelos facere, si se dæmones humiliare possent, ut retulit Joannes à Raythu.

S. Doroth. doctr. 1. Paschas. vitt. PP. l. 5. c. 13. n. 7. S. Prosper. ep. ad Demetriad. S. Aug. ep. 56. Pelag. libell. 15. n. 32. Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 21 Apud Climac. in scholijs.

Cum S. Antonius videret aliquando totam terram inimici laqueis refertam ad capiendas animas, ingemiscens exclamavit: *Et quis superabit illos?* Dictumque est illi, *Humilitas.* Profectò si diligenter attenderis, inquit S. Ephraim, ubique inimici laqueos, tamquam mellis dulcedine circumlitos, voluptatis illecebris extensos deprehendes, ut siquis illius gustare dulcedinem velit, laqueo capiatur. Humilitatem diligito, & numquam diaboli laqueis capieris: velocissimis enim humilitatis

Ruffin sup. n 170. S. Ephr. de recta vivendi ratione.

alis semper sublevatus sublimior eris, quàm ut inimici retibus capi possis.

Quot novi bonos religiosos ex defectu tandem humilitatis in præceps ruisse. Contigit, ait S. Macarius, ut quidam de fratribus inter orandum divina virtute sublevatus esset, videretq; supernam illam Hierusalem, in eaque fulgentes personas ut lumen infinitum. Audivit autem vocem dicentem sibi, Hunc esse locum requiei justorum. Paulò verò pôst æstimans ille sibi illud dictum, suumque se vidisse locum in cælis, in superbiam elatus est, miserabiliterque in gravissima peccata, & infinita mala corruit. Si hic tantæ sanctitatis & sublimitatis homo cecidit, quis præsumat dicere se sanctum, etsi jejunijs, & hospitalitati deditus sit, etsi omnia sua pauperibus distribuerit? Vir nobilis dimissis omnibus, servisque manumissis, vitam religiosam intravit; in qua cum valde nominatus esset, cœpit paulatim se erigere, circumspicere, efferri, donec caderet in peccatum propriæ immunditiæ, & alia infinita mala. Alius erat asceta non imprudens. Hic unà mecum in domo & orationibus adeò divina gratia repletus erat, ut prope me positus compungeretur in precibus, ita ebulliebat in eo gratia. Porrò habebat etiam gratiam sanitatum, ut non solum ejiceret dæmones, verùm etiam sola manuum impositione omnis generis morbos, & mala curaret, quo factum ut ab omnibus celebraretur & coleretur. Quod cùm ille negligeret, gloria vana prostravit eum, ceciditque in ima peccatorum.

S. Macar. hō. 17.

Idem hom. 17. q. 6.

Ibid.

Quanto cautior erat ille Senior, qui cum curaturus ægrotum eremum egressus videret sibi populum cum lampadibus occurrere, simulata fatuitate se nudum conjecit in flumen, & lavit, quod videns populus velut ab amente recessit. Ipse verò ad suam cellam reversus majorem gloriam de prostrata ambitione retulit, quàm si mortuos ad vitam revocasset. Simili fatuitate sapientissimè texerunt suam sanctitatem Emesæ Simeon Sales, in Cœlesyria Thomas monachus, in Thebaide Isidora monialis. Nam & Devs suos fatuos habet, ijsque delectatur. Quidam anachoreta videbatur sibi magnus, unde Devm rogavit, ut quidquid vellet, juberet. Jussus ire ad quemdam abbatem, ejusque imperata sedulò perficere. Ivit, venit, & quæsivit quid mandaret? Accipe, inquit abbas, flagellum, & pasce porcos. Pavit. Id cum vidissent ejus noti, dixerunt: En iste magnus delirat,

Ruffin. sup. n. 118.

Evagr. l. 4. hist. eccl. c. 33. & 34. Pallad. c. 41. & 42.

Pelag. l. 15. n. 52.

rat, obsessusque à dæmone pascit porcos. Quod ille audiens patientissimè tulit majori apud DEVM merito, quàm si summis interibi contemplationibus vacasset. Sapienter Ammon, cum à femina fatuus appellaretur, respondit: *Quantos labores putas, sustinui in diversis solitudinibus, ut acquirerem hanc fatuitatem?* Ad abbatem Moysen cum pergerent aliquando multi cum gubernatore provinciæ, ut eum venerarentur: is re intellecta diffugit: sed casu illis obviam factus, Quid, inquiebat, videre & colere vultis hominem stultum, & hæreticum? Quo illi audito delusi recesserunt. Denique alius cum audiret senatum provinciæ venire ad se pro benedictione, tulit panem & caseum in manibus, ascenditque ad portam ac divaricatis pedibus sedens cœpit manducare. Quod videns judex cum officio suo hominem tamquam fatuum aversatus est.

Idem n. 12.

Ruffin. sup. n. 119.

Paschas. sup. c. 12. n. 8.

Josippe hæc sancta humilisque fatuitas etiam debita peccatorũ dissolvit. Climacus refert, fuisse monachum quemdam Seniori nimis mansueto in disciplinam traditum: malens autem magistrum severiorem obtentâ licentiâ ad aliud migravit monasterium. Ibi prima nocte per somnium exigebatur ratio exactissima ab ipso, intelligebatque se debere centum auri libras. Experrectus ubi visum dijudicavit seipsum allocutus, Humilis Antioche, inquit, verè gravi ære alieno oppressi sumus, ac plurima restant solvenda. Sic igitur, ait ipsus, in cœnobio permansi tribus annis, omnibus obediens, nihilque discernens, cum me omnes spernerent, atque injurijs varijs tamquam peregrinum afficerent: neque enim erat ibi præter me peregrinus monachus. Post triennium verò rursus in somnis aspicio quemdam, qui decem debiti mei libras abolitas ostendit. Expergefactus itaque intellexi visionem & dixi: Humilis Antioche, (hoc ei nomen erat) decem solummodò libras persolvi, & quando impleturus sum reliquum debitum? Ampliore labore, & ignominia opus habes. Ex tunc itaque me amentem, & fatuum simulare cœpi; nihil tamen omittens penitus de meo ministerio. Quocirca in tali me ordine atque alacritate cernentes immites patres, cuncta mihi monasterij gravia opera injungebant. Cùm verò in hoc instituto tredecim annis perdurassem, vidi eos, qui mihi antè apparuerunt rursus ad me venire, totiusque debiti solutionem impletam ex integro ostendere. Cùm ergo me in aliquo vexabant monachi debiti mei statim reminiscebar, atq; ita

Climac. grad. 4.

Digitized by Google

fortiter ferebam. Fatuitas ergo tredecim annis absolvit, quod aliàs vix triginta diluissent.

Sozom. l. 3. hist. c. 15. Per similem fatuitatem S. Ephraim effugit ordinationem episcopalis dignitatis. In forum enim procurrit, fatuumq; se simulans incompositè hinc inde se jactavit, vestem ridiculè trahendo, palamque vorando. Quod cum viderent qui eum apprehensuri venerant, & ducturi ad ordinationem, suspicati à mente alienatum esse recesserunt: ipse autem nacta occasione aufugit occultans se donec percepit alium electum & ordinatum esse. Petrus Damiani narrat S. Romualdum sui decaluatione, & in compositâ comestione mortem evasisse, dum insidiatores stultum rebantur. Sic (Vita S. Romuald.)

Stultitiam simulare loco sapientia summa est.

1. Reg. 21. David Rex simili astu periculum mortis declinavit; Monimusq; Syracusanus apud herũ suum tamdiu simulavit insaniam, donec abjiceretur, & sic cupita philosophia frui posset. Nostrâ ferè memoriâ Vitus Hyrmiensis, de quo sibi nuper, in festo Assumptionis B. Mariæ semper virginis totum se denudans exceptis femoralibus, ut haberetur delirus, in ecclesiam inspectante omni populo cucurrit. Alia vice collectis de macello ossibus urbem irridentibus pueris transivit. (Laert. l. 6. vit. Philosoph. — Bover. Annal. A.D. 1582.)

Hi ergo voluntariâ stultitiâ humilitatem mentis demonstrarunt. Alij aliter: S. Macarius ante monachatum erat camelarius nitrum vehens: id cum jam monacho probri loco objiceretur, non aliter accepit, ac si laudaretur probra judicans encomia. Carolomannus princeps Franciæ Caroli Martelli primogenitus, Pipinique regis frater, in monte Cassino monasticen professus ad culinæ ministerium detrusus est. Ibi cum à coco alapis etiam cæderetur, humillimè sustinuit, nec aliud dixit, quàm *Indulgeat tibi Dominus & Carolomannus.* Crede mihi mi Josippe, Omnes vires diaboli emarcuerunt hac patientissima humilitate: Sicut ego ipse audivi (dicebat alter quidam monachus) dæmones inter se loquentes, *Quando perturbamus monachos, & unus ipsorum se humiliat, destruit omnem virtutem nostram.* Quippè duo fratres uterini in eodem habitaculo sese exercebant in monachismo, inter quos cacodæmon seminaturus discordiam lumen everso candelabro extinxerat. Quâ re concitatus major natu adversus juniorem ipsum cæcidit. Qui inter verbera aliud nihil dicebat, quàm *Habe patientiam in me frater,* (Paschas. c. 12. — Regino in chron. A. D. 576. — Ruffin. sup. n. 18.)

& iterum

Digitized by Google

& iterum accendo lucernam. Humilitas hæc in tantum cruciabat dæmonem, ut dolorem perceptum non ſatis deplorare potuerit.

B. Berchtoldus Abbas Garſtenſis non diſſimili humilitate dæmonem flagellavit. In Feſto S. Jacobi fratribus piſces deerant, unde poſtero die tanta criminatio, tantuſque ſtrepitus monachorum tumultuantium in Capitulo contra eum extitit, ut vir ſanctus coactus fuerit ad pedes cunctorum proſternere ſe, ac veniam petere. Cum ne ſic quieſcerent, ac nimis importuni ultra modum tumultuarentur, ipſe adeo non excanduit, ut leniſſimis etiam verbis ſatisfactionem promitteret, quantumvis ipſi conſtabat in toto monaſterio nullum piſcem inveniri. Confiſus ergo de benignitate Dei cum paulò poſt egrederetur de cœnobio, occurrit ei homo cum immani coracino, quem ille acceptum fratribus ad menſam propoſuit. Quo exemplo dubitare poteris, majórne fuerit ſuperbia monachorum, an abbatis humilitas. De Romano Græcorum Imperatore Luitprandus memorat, quod cum à proprijs filijs ſolio dejectus ad vitam monaſticam in vicinam inſulam deportatus eſſet, rigorem novæ vitæ adeo patienter & humiliter toleraverit, ut cum fortè ob lentis purgationem objurgaretur nihil aliud reſponderit, quàm *Luculentius regnare qui ſervorum DEI humilitatibus deſeruit, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperat.*

Auctor anonym. in vita ejus.

Luitprand. l. 5 hiſt. c. 9.

Ab honoribus quantum refugerit S. Chryſoſtomi animus, nemo ipſo melius ſignificare poteſt. Cum domi perciperet ſe quæri ad ſacerdotium adeò expavit, ut timore propemodum expiraret. Nam cum apud me, inquit, conſiderarem Chriſti Sponſæ gloriam, ſanctimoniam, venuſtatem ſpiritualem, prudentiam, ornatum; tum verò animi mei vitia expenderem, fiebat, ut aſſiduis tam illam, quàm meipſum gemitibus, luctibuſque proſequerer. Quo in dolore, angoreque mentis ſic me ipſe alloquebar: Quis quæſo conſilij hujus auctor fuit? Quid tandem adeo peccavit Eccleſia Dei? Quid ejus Dominum eò impulit, ut eam mihi omnium mortalium abjectiſſimo vellet aſſignare cum tanta ejus ignominia? Hæc ſæpe mecum reputans, reique indignitatem ne cogitare quidem valens, tamquam attonitus hiabam ſine viſu, ſine auditu. Ceſſante verò hac difficultate mentis (ut ſolebat interdum) ſuccedebant lacrymæ, & abjectio animi: poſt ſatietatem autem lacrymarum iterum timor

S. Chryſoſt. l. 6. de ſacerdot. c. 12.

acce-

Digitized by Google

accedebat conturbans, commovens, ac concutiens mentem meam. In tanto æstu vivebam hactenus: tu verò ignorabas, meque in tranquillitate vivere autumabas. Quid ad hæc amice dicis? Nos pusilli ambimus honores per omnes modos & tempora: hic autem vir tantus colubrum potius, quàm sacerdotium fuisset amplexus. Quà in re penè mihi similis videtur S. Serapioni, qui rogatus, qualis sibi ipse videretur? respondit: *Homini similis sum super turri existenti, qui nutu significat accedentibus, ne ad se venirent.*

Esaias orat. 26.

Qua verò humilitate S. Chrysostomus sacerdotium acceptare renuit, ea Michaël Oxyta successor ejus resignavit. Itaq; ultrò cessit, & in Oxyam insulam abijt, in qua vitam admodum religiosam à puero vixit. Cum eò venisset, in templi vestibulo prostratus, singulis monachis collum calcandum præbuit, accusans se, quod contra, quàm sibi expedierit, adamatam à primis annis quietem repudiasset, nulloque cum fructu thronum sublimem ascendisset. S. Anselmus jam Archiepiscopus vitæ suæ moderatorem petijt, & accepit. S. Anno sidus Germanorum monachos in Fructuaria venerabatur ut dominos; nec solùm Abbati, sed decanis etiam monasterij ita subditus, dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet gravibus publicæ seu privatæ rei negotijs implicitus teneretur, illicò ex occupatis manibus surgeret, & omne quod jussissent instar vilis mancipij exequeretur. Cibos summa industria confectos, quotidie dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse reficientibus ad omnia obsequia famulo promptior, paratiorque assistebat. Silentium quoque ac ceteras monasterij consuetudines, dum inter eos diversabatur, ita attentus, sollicitusque servabat, ac si pro excessibus suis ipse quoque quotidie in Capitulo eorum causam dicturus, & sententiam accepturus foret.

Niceta Choniat. l. 2 Anal. Baron. A.D. 1147.

Ediner. vita S. Anselm. Lambert. Schafnab. A. D. 1075.

En mi Josippe surgunt Archiepiscopi, & tantopere mentis humilitatem amplectuntur; & nos, ut vix tondemur, aut tria verba de philosophia vel Theologia blatterare possumus, alios præ nobis superbè contemnimus, in multis ægrè nostris Superioribus subditi. Petrus igneus, ex monacho Tarantasiensis Episcopus de familia Aldobrandinorum, non erubuit, dum adhuc monachus erat & sacerdos, vaccarum, asinorumque curam habere, sicut Carolomannus ovium. Herlembaldus ut habitum religio-

Baron. A. D. 1063.

Leo Ostienf. Chron Casfin. l. 1. c. 7. Baron. A. D. 1061.

religioſum petijt, à S. Arialdo juſſus eſt contra hoſtes in caſtra ſe conferre. Egit ſtrenuiſſimum ducem in tanta humilitate, ut pauperibus pedes lavaret, eorumque veſtigijs ſuum caput ſupponeret. Similem penè actum exercuit S. Odilo Cluniacenſis Abbas in monaſterio Caſſinenſi, ubi omnium fratrum pedes humillimè exoſculatus eſt: nec induci ab abbate Theobaldo potuit, ut inſequenti die Miſſarum ſolemnia celebraret ritu celebriori. Denique ut negotium hoc tandem finiam S. Antonius de Padua cum ſacram ſcripturam fratribus explicare deberet, pro eo curam purgandæ culinæ petijt. Mundabat ergo quotidiè vir tantus & primus Ordinis profeſſor humili ac devoto corde res culinæ, & fratrum domicilia. Ita majores noſtri jugiter ſe extenderunt ad infima, ut apprehenderent ſuprema.

Leo Oſtienſ. l. 2. c. 54.

Surius in vita ejus.

EPISTOLA XXXVII.

De Patientia religioſa.



ASceram Chriſti eſſe; nec velle quidquam adverſitatis pati, in terminis, ut loquuntur, implicat. Aſceteria ſcholæ patientiæ ſunt, in quibus à manè ad veſperam religioſus nihil expectare debet aliud, quàm vexationes, ac moleſtias: ſed ventriculus boni athletæ hæc omnia digerit. Aurea doctrina Martini Dumienſis eſt: *Admoneberis libenter, reprehenderis patienter: ſi meritò objurgavit aliquis, ſcito quia profuit; ſi immeritò, ſcito quia prodeſſe voluit.* F. Archangelus noſtri temporis Alexius ſolebat eadem brevitate dicere. *Si aurum es, probaris; ſi ſcoria, purgaris.* Beatus qui propter DEUM quotidie maledictis & convitijs laceſſitus vim ſibi fecerit, ait S. Climacus; hic enim cum martyribus tripudiabit, & angelis parem confidentiam & gloriam merebitur. Beatus monachus, qui ſeipſum omni ignominia, omnique abjectione dignum horis ſingulis exiſtimat. Beatus qui voluntatem ſuam ad finem uſque mortificavit, ſuique ipſius curam omnem atque diligentiam magiſtro ſpirituali commiſit: nam ad Crucifixi dexteram conſtituetur. Si quis increpationem ſive juſtam, ſive injuſtam à ſeipſo abjicit, hic ſalutem ſuam abnegavit: qui verò hanc ſive cum labore, ſive ſine labore

Mart. Dum. L. de virtut. card. c. 3.

Fauſtin. Dieſt in ejus vita.

Climac. grad. 4.

Digitized by Google

suscipit, citò suorum delictorum venia & remissione potietur.

Paschas. c. 9. n. 5. vitt. PP. Perfectus patiens ex mente S. Antonij sicut lapis est. Sed ad hunc gradum tam citò non venitur. Initium bonæ tolerantiæ secundum Climacum est, in amaritudine & dolore animæ ignominias suscipere: medium verò eas tolerare sine mœrore: finis autem & consummatio summam illas laudem existimare. Gaudeas prior, valeas secunde; sed tu felix ac beatus tertius, quippe qui in Domino exultas. Vidi ego tres unà monachos injurijs affectos, ex quibus unus mordebatur quidem injurijs, atque perturbabatur; sed tamen silentio premebat iracundiam: alius verò gaudebat quidem ex lucro suo; sed ejus qui se maledictis insectatus fuerat peccato angebatur: tertius verò proximi tantum damna secum voluens vim ardentium lacrymarum profundebat, eratque suave spectaculum timoris, mercedis, & charitatis operarios aspicere.

Climac. grad 8.

Tolerantia ergo suos gradus & spacia habet. Orare pro eo, qui te contristavit, patientia est: illum insuper muneribus afficere, major patientia est. denique ad mensam eum perducere, adhuc perfectior patientia est: at cum cognita illius aliqua calamitate, sive corporali, sive spirituali, quasi ipse eam perpessus fueris, ita te angi dolore, atque illacrymari perspexeris, hæc demum perfectissima patientia est, & plena victoria contra vitium recordationis injuriarum, quod Græci appellant μνησικακίαν.
Idem grad. 4. Eodem modo patris objurgationem fortiter ferre, nondum absoluta patientia est; sed cum à cunctis hominibus contempti, ac verberibus affecti constanter toleraverimus: nam patrem idcirco toleramus, quia reveremur, illique pro impensa nobis cura debitores sumus. Patiens non respicit personas, inferiores, æquales, an superiores sint, boni vel mali. *Bibe*, inquit Clima-
Idem ibid. cus, *summa alacritate objurgationes, atq; irrisiones à quovis homine tibi propinatas, non aliter quàm aquam vitæ: potare enim te quærit salubri potione, & per quam omnis animi lascivia & luxuria purgetur: nam reverà hujusmodi haustu orietur intima & profunda castitas in anima tua, luxq; DEI candidissima ex corde*
Idem grad. 9 *tuo non deficiet.* Laboribus se quidam ac doloribus, ut veniam peccatorum suorum mererentur exposuerunt; hos tamen vir,
Ruffin. l. 2. qui injurias obliviscitur facilè anticipavit. Hinc senex ille fra-
vitt. PP. n. 74. tris dexteram in morte suaviter exosculatus est, dicens sperare

se eam

ſe eam manum ſibi aperturam januam cæli; quia eâ frater ipſi in vita panes ſubtraxerat, quod vir ſanctus conſtanter toleravit.

Sunt qui adverſa perpeſſi ſunt æquanimiter ex conſideratione paſſionis Chriſti. Memoria namque hujus curat animam impatientem, ait Climacus, dum in illius clementiam ac tolerantiam intuens validè confuſa erubeſcit. Alij timore gehennæ ſuſtinuerunt adverſa. Senex quidam per multos annos in ſummo rigore vixerat in eremo. Quem fratres admirati rogaverunt, quomodo tantam vitæ aſperitatem tot annis tolerare potuerit? quibus reſpondit: *Omne ſuum exantlatum onus non eſſe comparandum uni horæ cum doloribus inferni.* Alij intuentes in Dei voluntatem cuncta proſpicientis & ordinantis graviſſimis moleſtijs haud ceſſerunt. S.Franciſcus cum ſemel in tolerandis doloribus premeretur, ſimplex quidam frater ad eum dixit: Ora frater, ut Devs mitius tecum agat: ejus enim manus te nimium gravat. Ad quæ S. pater lamentans exclamavit: *Niſi tua pura ſimplicitas mihi cognita eſſet, ex nunc te à mea fraternitate abijcerem, eò quòd judicia Dei circa me ſuggilles.* Cumque à morbo gravius urgeretur, debilia membra ad terram alliſit, quam oſculans dixit: *Gratias tibi Deus & Domine pro cunctis doloribus, & obſecro, centuplica illos, ſi ita placet: hoc enim mihi gratum erit, ſi me doloribus afficiens non parcis mihi; quoniam impletio voluntatis tuæ ineffabile meum gaudium eſt.* Abbas quidam, cum in extremis ejus doloribus acciperet corporale remedium, dicebat: *Verè dico, quia volebam, ut me dimitteret Deus in hac infirmitate eſſe per triginta annos.* Alius cum ſingulis annis infirmaretur, uno ſemel anno manſit incolumis, quare graviter ingemiſcens ajebat: *Dereliquit me Deus, & non me viſitavit.*

Climac. gr. 7.
Ruffin. n. 3.
S. Bonav. in vita ejus c. 14.
Pelag. l. 4. num. 65.
Idem l. 7. n. 41

Fuerunt prætereа, qui alta mente cunctas injurias magnanimiter deſpicere potuerunt. Horum non extremus eſt S. Dorotheus, qui à fratre æmulo multis quotidie convitijs & contumelijs proſciſſus, numquam verbum contra ipſum dixit. Quin & cum id reſciſſet abbas, neſcio quo referente, decreviſſetque illum objurgare, procidi ego, inquit ipſe B. Dorotheus, ad pedes patris obſecrans per Iesvm Chriſtum id ne faceret, quod videlicet meum fuiſſet peccatum, & non fratris. Alter quoque vel ex tentatione, vel ſimplicitate, vt novit Devs, obſervato noctis tempore urinam ſuam in caput meum effudit, ita ut lectulus

S. Doroth. doctr. 4.

meus totus maderet. Alij quoque fratres convenêre per diem, ut psiathia sua excuterent ante cellam meam, quo facto tanta cimicum multitudo in èam commigravit, quantam ego nullo modo satisfuissem interficere: erant enim infiniti præ æstu. Cum ego igitur cubitum concessissem, in me omnes facto agmine irruêre, cumque diutius dormivissem præ labore, ut eram fessus admodum in die, tandem excitatus à somno offendi meum corpusculum omne depastum. Neque tamen illorum cuiq; verbum aliquando ullum feci, aut ut id amodò facerent, aut quod malè fecerint. Et ut prædicta repetam, *me numquam memini quidquam aliquando locutum, quod vel molestiam, vel afflictionem ulli afferret.*

Petr. Damian. in vita.

Magna hæc, Josippe, philosophia est, & pauci in ea magistri creantur. S. Romualdum adhuc novitium valde suspicio, qui cum sub Marino psalterium disceret, & sæpius erraret, virga magistri ad aurem sinistram identidem percussus est. Diutissimè toleravit. Tandem Marinum respiciens: *Obsecro*, inquit, *si placet, ad dexteram deinceps me feri: læva namque auris auditus funditus perit.* F. Archangelus, de quo antè, neutro horum inferior fuit. Vt enim de ejus humilitate sileam, qua solitis horis, ignorantibus alijs, solebat mundare locum secretum, in tantum erat patiendi avidus, quod cum semel ipsi adhuc novitio aliquid criminis imponeretur, cujus tamen reus non erat, propter quod quilibet aliàs dimittendus fuisset, si tale quid fecisset; ipse tamen quantumlibet innocens, numquam verbulum unum in subsidium suæ innocentiæ protulit; numquam se excusavit; sed patienter agens innocentiæ suæ defensionem omnem commisit Deo. Obijt A. D. 1606. ex regio genere Scotorum marchio Huntlæus. Qui relictâ sponsâ Virgine ab epulis nuptialibus in agrum procedens vestes mutavit cum opilione, quasi patri ludum facturus; sed dimissis omnibus clam profugit in Belgium vivens in magna paupertate & tolerantia.

Faustin. in vita c. 10. 17. 18.

S. Hilarius serm. de vita & morib. S. Honorat.

Vita S. Fulgent. c. 30.

Pelag. l. 4. n. 59. Ruffin. n. 51.

At magni viri multa patiuntur, & ut alios pati doceant, nati sunt in exemplum, ut S. Honoratus dixit. S. Fulgentius per septuaginta dies ante obitum gravissimis torquebatur doloribus. Interim aliud nil dicebat, quàm, *Domine da mihi modò hîc patientiam, postea indulgentiam.* Nec ab isto sermone aliquando cessavit, sive dolor affligeret, sive febris incenderet, sive lassitudo dissolveret. Ob cibos aliqui impatientes fiunt, sed instruat

eos

eos monachus ille infirmus, qui placentas, non melle, ut debebant, ſed oleo lini rancidi errore miniſtri conditas patienter comedit. Quod cum tandem miniſter adverteret, ac ſe homicidam teſtaretur, reſpondit æger: *Non contriſteris fili: Si enim voluiſſet Deus, ut bonum comederem, tu mel miſiſſes, non inſipidum oleum.* Veriſſimè: nam ſi alicui opus fuerit ovo, ait S. Dorotheus, & acceperit tantum oluſcula, dicat ſibi ipſi: *Si mihi ovum expedierit, illud potens eſt Deus mittere, vel potentius olera in ovum vertere,* credatque Deo, quoniam hoc ſibi fiat in martyrium. S. Doroth. doctr. 3.

Multi ſunt, qui ſua ab alijs nec contrectari, ne dicam deſtrui, vel auferri patiuntur. Admoneat hos exemplum duorum ſimul habitantium fratrum, de quorum ſanctitate cum multus rumor eſſet, Senior quidam ejus experimentum capturus acceſſit ad ipſos; & cum animadverteret eos hortulo plus delectari, arrepto baculo quidquid plantatum erat concidit. Reſtabat unicus caulis, quem tamen illi offerebant hoſpiti ad cœnam, uſqueadeo non commoti erant ex illato damno. Quo viſo Senior adorans in faciem proteſtatus eſt, *verè ſpiritum Dei in illis fratribus eſſe.* Legi qui ſuos ſpoliatores paverunt, juverunt, & quæ fortè reliquerant ſponte obtulerunt. Carolomannus uſque ad femoralia ſe ſpoliari paſſus eſt, & cum ob id à Prælato tamquam ignavus ac ſtultus argueretur, humillimè tacuit. Ruffin. n. 27. Prat. ſpirit. c. 11. Pelag. l. 16. n. 13. Leo Oſtienſ. chron. l. 1. c. 7.

Non rarum eſt in cœnobijs, ut ſubditorum patientia à Superioribus per adverſa probetur. Caſſianus refert, conveniſſe aliquando in monaſterio abbatis Pauli infinitam monachorum multitudinem ad celebrationem ſolemnem depoſitionis anniverſariæ prioris abbatis. Itaque cum omnes in ingenti atrio ſubdivali per duodenarium numerum diſtinctis ordinibus conſiderent, contigit ut frater quidam ferculum paulò tardius inferret. Quo animadverſo abbas fratris patientiam probaturus, atque alijs demonſtraturus ſub occaſione iſtius tarditatis exerta manu palma eum ſub omnium percuſſit intuitu, ita ut ſonitus etiam adverſorum vel longius conſidentium auribus reſultaret. Tantum abfuit ut frater ad tantam confuſionem ad impatientiam moveretur, ut non modò nullus fuerit ex ejus ore prolapſus ſermo, vel tenuiſſimum murmur tacita labiorum agi- Caſſian. collat. 19. c. 1.

tatione signatum, sed ne ipsa quidem oris modestia, atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcumque mutatus.

Si placet audi non absimile: Dispensator erat monasterij pudicus & moderatus, ut quis alius; mitis ut admodum pauci. In hunc abbas ad ceterorum utilitatem, ait Climacus, invectus est absque ulla causa, jussitque de ecclesia ejici intempestivè sanè. Ego cum scirem eum ejus criminis, quod ipsi pater objecerat insontem, seorsum abbati dispensatoris commendabam innocentiam. Ad quod ille sapientissimè: Scio, inquit, Pater, sed sicut crudele est ex ore famelici infantis manibus panem rapere, ita & seipsum & operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illis coronas, quantas eas sustinere novit posse, horis singulis providere satagit, sive per contumelias, sive per ignominias, sive per objectiones, sive per ludibria. Tria enim maximè cavenda committit. Primum quod ipse increpationis mercede privatur: alterum quod alijs ex alterius virtute prodesse possit, & negligit: tertium quod & gravissimum est, quod ij nonnumquam, qui videntur esse probatissimi, & laboris patientissimi, si ad tempus negligantur, atque jam, ut virtutibus præditi, non corripiantur, probrisúe aut ignominijs non afficiantur, eâ quæ in eis inerat modestiâ & tolerantiâ destituentur. Ad hæc cum Climacus diceret, Timendum ut aliqui ita gratis increpiti, à grege abrumpantur. respondit abbas: *Anima quæ propter Deum pastori fide & charitate devincta est, usque ad sanguinem sustinens non recedet,* & maximè si antè in suis vulneribus adjuta fuerit solatio & beneficio.

Climac. grad 4.

Idem abbas similem huic habebat Mennam nomine. Quem aliquando probare volens reversum ad monasterium, sibique prostratum ut benedictionem de more acciperet, à vespera usque ad collectæ tempus humi jacere permisit. Tunc illum benedicens, & veluti ostentationis causa cuncta facientem, atq; impatientissimum objurgans tandem erexit. Quippe jam cognita erat abbati Mennæ patientia; hoc ergo spectaculum ad aliorum ædificationem edere voluit. Quid autem putas Mennam, inter hoc tempus cogitasse? Totum psalterium recitando absolvit. Nobis opinor intestina ex rancore rupta fuissent. Quid mirum itaque, si ex defuncti Mennæ pedibus duo fontes pretiosissimi olei postmodum manaverunt?

Clim. sup.

Non te diutius teneo, ne ex hac ipsa longiori epistola

fias

Digitized by Google

fias impatiens: hoc vitium enim ubique materiam invenit. Sæpius mihi opto fratris illius mentem, qui nec ad injurias movebatur umquam, licet expositus fuerit quotidie omnium injurijs: quippe censebat injuriatores suos non alios, quàm canes abblandientes, qui à cordatis nequaquam curantur. Indigerem sanè hac gratia in continuis meis doloribus & infirmitatibus. S. Doroth. doctr. 7.

EPITSOLA XXXVIII.

De nominum mutatione in Professione, & de vita Nebridij.



Ominis mei raritate motus quæris an id à parentibus acceperim? Non; sed à Prælato in professione. Quis umquam Sanctorum, inquis, ita appellatus est? Esto fuerit nullus: at quid impedit, ut quis quandoque primus fiat? Id licet apud me serius sit, ut memini mihi aliquando responsum esse; attamen nulli dum vivit desperandum est. Habet Devs modos & media, quibus ex improviso quis ad perfectionem pervenit. Ignotus est tibi S. Engelbertus Coloniensis episcopus à Friderico Comite Isenburgensi 47. vulneribus, exceptis quæ punctim acceperat, nefariè trucidatus? De hoc interrogatus dæmon in obsesso corpore, cur à morte tot clareret miraculis, qui inter vivos tantæ sanctitatis haud fuerit? respondit, causam tantæ gratiæ esse, quod cum jam moriturus in proprio sanguine volutaretur, pro suis interfectoribus apud Devm intercesserit dicens, *Pater ignosce illis*. Atque ex eo coram Deo adeò potentem effectum, ut ipsi modò nihil denegetur, quidquid postulet: nec esse inter Colonienses episcopos, qui ipsi apud Devm par in meritis & gratia existat. Cæsar. Haisterbac. in vita l. 2. c. 16. A. D. 1225.

Vides, quid unus sæpe actus bonus efficere queat. Deus ex lapide suscitare potest filium Abrahæ. De nullo diffidendum est. Occasio non solùm fures, sed & sanctos facit. Verùm his missis ad Nebridij nomen revertamur, quod in secundo Professionis baptismate ante triginta & aliquot annos mihi impositum est exemplo à nostris majoribus accepto. Christus ipse cum Simonem Joannis ad religiosissimam suam disciplinam Ioan. 1.

suſciperet,

susciperet, eum Cepham, hoc est Petrum nominavit, & filios Zebedæi Boanerges. S. Bonifacius Moguntinus antea Winfridus audijt, S. Antonius de Padua Fernandus, B. Amideus Servita Bartholomæus; F. Bonajuncta, Joannes; Manettus, Benedictus. & alij aliter. Etiam apud Græcos hic mos est. *Alexius Comnemus,* ait Nicetas, *Christianum pallium*, nempe habitum monasticum, *invitus induit: & precibus quæ super eo peragebantur, ne summis quidem auribus admissis, tandem radi se, & Athanasium appellari passus est.* Idem de Andronico seniore Nicephorus Gregoras: *Invitum*, inquit, *tondent, & cucullo induunt; atq; Antonium nominant.*

Marc. 3. Surius vita S. Suiberti c. 14. Marc. 1. Idem vita S. Anton. Iun. XIII. In Chron. Servit Michael. Floret. Nicet. Choniat l. 3. anal. in Isaac. Comnem. Niceph. Greg l. 9. hist.

Mutationis autem nominum diversæ causæ sunt. De summis Pontificibus Laonicus ait: *Nomina post electionem illicò commutant, quasi jam divinioris, quàm antea sint naturæ, & planissimè mutati.* S. Dionysius Alexandrinus generatim tradit, cur hoc aut illud nomen imponatur dicens: *Plures, credo fuisse tempore S. Joannis Evangelistæ, qui hoc sibi nomen desumpserunt, vel ob ejus amorem, aut reverentiam, vel ut ipsum sectarentur volentes scilicet eodem modò à Domino diligi: sicut modò infantes Petros & Paulos passim nominamus.* Hæc causa posterior S. Bonifacium Russorum Archiepiscopum ad martyrium concitavit: nam videns ecclesiam S. Bonifacij martyris exemplo sui æquivoci ad martyrij desiderium provocatus ait: *Et ego Bonifacius vocor: cur ergo etiam ipse martyr esse non debeo?* Meum nomen mihi à Prælato meo datum fuit, ob reverentiam (nisi fallor) & amorem, quem habuit erga illum Nebridium, qui ante & post conversionem familiarissimus, ac singularis amicus fuit S. Augustini.

Laonic. Chalcocondyl. l. 6. hist. Apud Euseb. l. 7. hist. eccl. c. 25. Petr. Dam. vita S. Romual.

Natus est patria vicina Carthagini, *homo mirabilis animæ,* ut eum S. P. appellat, tantique ingenij, ut solus auderet contra Augustinum prodire in aciem disputationum. Hic etiam suis argumentis tantum disputatorem eò compulit, ut nugas mathematicorum desereret, &, quod penè incredibile est, Manicheismum abjiceret, capaciorq; redderetur ad suscipiendam Christianam veritatem. Itaque quod nec Africa, nec Italia potuit, Nebridius potuit cum concussione audientium, ut ipse fatetur Augustinus, qui postmodum contra Manichæos validiora tela vibrare nequivit, quàm quibus ipse à Nebridio prostratus est. Cum in Italiam navigasset, & primò Romæ, deinde Mediolani doceret

S. August. l. 6. Confess. c. 7. & l. 7. c. 6. Lib. 6. cit.

Digitized by Google

doceret Rhetoricam, Nebridius eum paulò poſt ſecutus eſt; & in eum incidit Mediolani. Vixerunt ibi ſimul ſtudio ac labore incredibili veræ fidei comprehendendæ cauſa: erat namque *Nebridius rerum obſcurarum ad doctrinam pietatis maximè pertinentium diligentiſſimus & acerrimus inquiſitor*, ut ipſe refert S. Doctor, dicens eum ſecum vixiſſe in flagrantiſſimo ſtudio veritatis & ſapientiæ. *Suſpirans*, inquit, *& fluctuans, beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum ſcrutator acerrimus erat.* Idem ep. 23. Lib. 6. Conf. ſup.

Poſtquam verò B. Auguſtinus abdicata profeſſione Rhetoricæ cum matre & amicis ſeceſſit in villam ſuburbanam Verecundi, Nebridius gratiam redhibiturus Verecundo Grammaticam ipſi Mediolani ſubdocuit. *Majora potuiſſet*, inquit S. P. *ſi voluiſſet de litteris agere.* Abſens ergo fuit cum converteretur, & baptizaretur Auguſtinus, nec cum illo in Africam profectus eſt. Secutus eſt tamen ipſum, perceptaque gratia baptiſmi totam familiam ſuam convertit, vitaque paulò pòſt exceſſit, vivens in ſinu Abrahæ, ut S. Auguſtinus ait. *Ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus; tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus! Ibi vivit unde me multa interrogabat hominem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro aviditate ſua ſine fine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviſcatur mei, cum tu Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor.* Lib. 8. c. 6. Idem. l. 9. c. 3.

Joſippe quem tantus Eccleſiæ Doctor & rector ſanctificat, ſuæque converſionis non leve pondus ſignificat, non amem? aut ipſius nomen haud libenter feram? Si ſpecimen ipſius magni ingenij requiris, habes ejus ad S. Auguſtinum epiſtolas, queis lectis non miraberis, ſi toties à tanto Doctore nuncupetur *ardentiſſimus inquiſitor veritatis.* Idem ſup.

Sed forſan exiſtimas hunc ſolum ex antiquitate Nebridium vixiſſe? Falleris: nam alterum tibi demonſtrat Ammianus Marcellinus, virum clariſſimum, præfectum prætorio Italiæ, & quod his majus eſt, in fide & fidelitate conſtantiſſimum. Hic cum rebellanti contra Conſtantium Imp. Juliano apoſtatæ conſentire nollet, parum abfuit, quin à perfido exercitu obtruncaretur. Tandem vix impetrata apoſtatæ dextera ſecuritatem eſt nactus, & ad privatam vitam in poſſeſſiones ſuas dimiſſus. Ammian. l. 21.

Digitized by Google

Baron. A.D. 388. Rosweyd. in notis ad Pallad. n. 111. S. Hieron. epist. 9. Baron. A. D. 385. Octavius Strada.

Atque hic est pater illius tertij Nebridij, qui sub Theodosio seniore vixit. De quo S. Hieronymus scribit, quod de sorore generatus Augustæ (Flavillæ) & in materteræ nutritus sinu invictissimo principi Theodosio ita charus fuerit, ut ei conjugem nobilissimam (Salvinam) quæreret, & bellis civilibus Africam dissidentem hoc veluti obside sibi fidam redderet. Ejus sanctam conversationem miris effert laudibus. *Sic religiosus,* inquit, *fuit, & amator pudicitiæ, ut virgo sortiretur uxorem: sic timens Deum cum omni domo sua, ut oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet & clericis; tantasq; eleemosynas faceret in populis, ut fores ejus pauperum ac debilium obsiderent examina. Certè sic semper orans Deum, ut illi quod optimum esset eveniret.* Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus, quia placita erat anima illius Deo. Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparitorum caterva, quia sub habitu alterius alteri militabat. Sicut è contrario aliis nihil prodest vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, & simulata paupertas, si nominis* (nempe monachi) *dignitatem operibus destruant.* Et infra: *Mirum dictu est, nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terræ, ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, ijsdem cum ambobus* (Arcadio & Honorio Theodosij filijs) *studijs eruditus, quæ res etiam externorum mentes sibi conciliat, non est inflatus superbia, nec ceteros homines adducta fronte contempsit, sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos, & in illorum salute suam salutem positam fatebatur. Ministros autem eorum & universum ordinem palatij, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officijs se pares arbitrarentur. Difficile factu est, gloriam virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas. Quæ vidua non hujus auxilio sustentata est? Quis pupillus in eo non reperit patrem? Totius Orientis Episcopi ad hunc miserorum preces, & laborantium desideria conferebant. Quidquid ab imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captivorum, misericordia in afflictos erat. Unde & ipsi principes libenter præstabant, quod sciebant, non uni, sed pluribus indulgeri. Quid ultrà differimus?*

Omnis

Digitized by Google

Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni. Reversa est terra in terram suam, dormivit in Domino, & appositus est ad patres suos. 1. Petr. 1.

Reliquit hic Nebridius duos post se liberos, filium & filiam. *Tenemus,* inquit S. Hieron. *pro eo dulcissimos liberos. Vxor hæres pudicitiæ pretium est. Nebridius pusio patrem quærentibus exhibet,* S. Hieron. sup.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & similitudo morum per speculum carnis erumpens ingentes animos angusto in pectore versat. Duxit hic Nebridius adhuc juvenis Olympiadem virginem lectissimam de clarissimo genere. Vtpote patrem habuit Anysium Secundum, Comitem, magni illius Ablavij, penes quem summa rerum fuit temporibus Constantini, filium. Sed bonus juvenis, urbisque regiæ præfectus, tam sanctam conjugem dumtaxat viginti mensibus habuit, immaturáque morte obijt, viduam, quod stupendum est, relinquens Virginem. Et hæc est illa Olympias, quæ nulla vi ad secundas nuptias compelli potuit. Volebat eam Theodosius Elpidio cognato suo dare; & ut eam ad hoc impelleret, omnem ejus substantiam Præfecto urbis in custodiam dedit: at plus non effecit, nisi quod ipsa ab imperatore peteret, ut substantiam in egenos distribueret, quare delectatus Augustus cuncta ei jussit restitui: quibus illa acceptis, dici non potest, quantum in pauperes erogarit. Mater erat inopum, sustentatrix monachorum, vas pretiosum S. Spiritus. In causa S. Chrysostomi, quanta perpessa sit, quis commemorabit? Omnes eam idcirco inter Confessores numerabant. Si in adversis solamen desideras, lege S. Episcopi ad eam epistolas, & inter sævissimos adversitatis fluctus inconcussè stabis. Obijt in magna sanctitate Diaconissa ecclesiæ Constantinopolitanæ. Cujus festum apud Græcos celebratur XXVIII Julij, apud nos XVII Septembris, ut si Nebridios sanctos nondum invenis, certè Nebridianam conjugem in Sanctarum numero conspicias.

Menolog. 28. Iulij. Baron. A. D. 388.

Menol. cit. Niceph. l. 13. c. 24. Heraclid. c. 43. Pallad. Lausiac. c. 144. Baron. cit.

Pallad. sup.



EPISTOLA XXXIX.

De Præcedentia inter religiosos.



SAlva dignitate officiorum inter Episcopos, clericos, monachos, & Ordines religiosos ab Apostolorum temporibus cæteros anteibat is, qui prior in Ordinem venisset. In scriptura & Missæ canone Apostoli priores nominantur ij, qui ante reliquos vocati sunt, reservato S. Petro jure præpositure. Ab Episcopis idipsum observatum fuisse antiquitus S. Augustinus indicat, dum culpat Victorinum Episcopum, quod in convocatione synodi suum nomen multorum seniorum anteposuerit. Idem mos in clero fuit; alioquin non diceret S. Hieronymus de clerico Nepotiano, *Primus in opere, postremus in ordine.* Concilium Agathense quoque decernit, *Ne episcopi unum clericum alteri præponant, nisi propter superbiam.* Integri Ordines religiosi inter se hoc ipsum observant: nam is præcedit, qui prior surrexit: si controversia sit, ex concilio Tridentino episcopi judicant. Novimus quæ contentio quondam Benedictinos commiserit cum Canonicis regularibus, quasi ante Apostolicum Ordinem in rerum natura extiterint. Cum floreret adhuc modestia prima inter Religiosos, nullus umquam monachus audebat religioso clerico vim facere de præcedentia. Intra cancellos ecclesiarum ad altare stabat clerus, extrà monachi. Nisi tu legeris Essenum aut Antonianum, aut monachum Pachomianum retro aliquando trusisse clericum. Interim ipsi inter se monachi sua jura præcedendi servabant, ut de Essenis Josephus, de Pachomianis tradit Hieronymus: *Quicumque*, inquit, *monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in ecclesia communicat; nec ætas inter eos quæritur, sed professio.* Idem de suis Syris docet S. Ephraim dicens: *Senes decet bonore ceteros anteire, tamquam qui diu multumq; Christo servierunt.* Denique S. Benedictus: *Omnes*, inquit, *ut convertuntur ita sint: Vt qui secunda bora venit ad monasterium, juniorem se noverit illo, qui prima bora venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit.* Verumtamen abbati concedit jus dispensandi in certis causis, maximè si monachus

Matth. 10.
S. Aug. ep. 217
Hieron. ep. 3.
A. D. 506. can. 13.
Trid. sess. 25. reform. c. 13.
Ex Dion. Areop. de eccl. hierarch.
Ioseph. l. 2. de bello. c. 2. S. Hierõ. præfat. reg. S. Pachom.
S Ephr. de humil. acquir. c. 79. Et in Prover: S. Bened. reg. c. 63.
Cap. 61.

Digitized by Google

nachus aliunde adveniat, & velit stabilire. *Poterit*, ait, *suscipi, & pro discretione abbatis altiori loco stare.* id quod præcipuè locum habet in ijs, qui eamdem regulam prius professi sunt, ejusdemque Patris se filios agnoscunt. Quid enim refert, quod frater meus uterinus in alia provincia natus sit, an ideo minoris juris esse debet? *Non attendendum,* inquit in simili S. Augustinus, S.Aug.l.de oper.mon.c.25. *in quibus monasteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus quisque id, quod habebat, impenderit. Omnium enim Christianorum una respub. est. Et ideo quisquis Christianus necessaria ubilibet erogaverit, undecumque etiam ipse, quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit; quia ubicumque & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?* Et quid multis? Mendicantes in diversis cœnobijs professionem emittunt, & si in uno conveniunt tempus professionis observant. Vnius quippe Ordinis & instituti sunt, in quo prior tempore, potior jure est. S.Basilius S.Basil.de abdicat.rer. vult ut qui serius ad monasterium venit, præcedentis se servum agnoscat.

Jus præcedendi nulli temerè potest adimi, ne lædatur justitia. Ex delicto potest. Concilium Agathense Conc. Agath. sup. culpam sufficientem statuit superbiam, ut per humilitatem loci emendetur, quod per inflationem peccatum est. Concilium Aquisgran. A. D. 816.c.131. decernit, ut qui pigrè, id est, tardè ad officium divinum occurrit, non cum alijs in choro, sed omnium ultimus in loco hujuscemodi negligentibus præparato stet, ut discat erubescere. In concilio Turon. A.D.1163.c.8 ad ultimum locum tam in choro, quàm in mensa & capitulo in perpetuum damnantur omnes, qui post professionem claustris exeunt ad perdiscendam medicinam, aut leges civiles. In synodo Ravennat. III. A.D. 1314. rubr. 13. sancitum lego, ut religiosi sacerdotes negligentes in celebratione ultimi in choro & refectorio essent. In quarta A. D. 1225. c. 13. mandatur, ut in choro sit ultimus, qui exit venatum. Monialibus eadem pœna inferri potest. Conradus Portuensis in concilio Germanico decrevit, ut si qua monialis crimen carnis patrasset, ulterius ad officium aliquod non admitteretur, sed in signum iniquitatis suæ ultima maneret tam in claustro quàm choro. Ravennæ habetur: Monialis si sine licentia Episcopi Raven. III. rubr. 21. clausuram exeat, per mensem incarceretur, & tantò diutius, quanto diutius extra hæsit. Sit etiam perpetuò ultima in choro, nullamque cum alijs vocem habeat in capitulo.

Digitized by Google

Erat ergo de gravioribus pœnis loco privari superiore: nam & honori sic detrahitur: siquidem altior locus in honore apud omnes est homines, & magno pretio æstimabilis. hinc quidam inventi sunt, qui sedes in choro venderent & emerent, In conc. Rhé. A.D. 1119. quos Calixtus Papa anathematizavit. Sancti quoque cum exactè discipulos suos probare voluerunt, utrùm verè humiles, & osores essent omnis celsitudinis, eos loco ultimo collocarunt. Et habemus qui sponte postremi esse desiderarunt, magnos contemptores omnis honoris. Climac. grad. 4. De Macedonio sancto monacho refert Climacus, quod aliquando Alexandriam ab Abbate missus, aliquantulum serius redierit. Hac sola de causa remotus à cœnobio est, atque in ultimo incipientium ordine constitutus. Quam sententiam tam patienter tulit, ut quasi non ipse, sed alius increpatus fuisset. Quadraginta dies duravit pœnitentia, & cum eum abbas loco restituisset, rogavit ut in humilitate ignominiæ relinqueretur: se namque in civitate commisisse grave & infandum crimen, quod quidem non ex vero dicebat, sed ut moveret abbatem ad prorogationem pœnæ. Vidisses canitiem venerandam degere in incipientium ordine, sincerè omnes, ut pro se orarent, deprecantem: *Cecidi*, inquiebat, *in fornicationem inobedientiæ.* Mihi tamen humili (subjungit Climacus) reseravit hic magnus Macedonius, cujus rei gratia hanc propositi humilitatem ita sponte accurasset: *Numquam*, ajebat, *ita me bello omni levigatum esse sensi, diviniq́ luminis dulcedinem in me ipso vidi.* Nec mirum hoc; quia imber divinæ gratiæ inferiora petit, & scriptum est; Marc. 9. Luc. 9. *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus.* Item; *Qui minor est inter vos omnes, hic major est,* nempe apud DEUM. Sed non omnes capiunt verbum hoc Josippe, inde sæpe contentiones & murmura oriuntur.

EPISTOLA XL.

An & quando sit licitus egressus post Professionem.

1. Cor. 7.



Falleris, virorum optime, si ab Apostolo magis marito quàm religioso dictum arbitraris. *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem.* Ab eo die quo professus es, statui religioso obligatus & incorporatus

Digitized by Google

ratus es, dum vivis nolis velis. Semel per vota solemnia aperuisti os tuum ad Dominum, & aliud facere non poteris. Absq; sacrilegio anathêma DEI in profanos usus non convertes: & ipsius Domini sententiâ regno cælorum indignus es, si manu ad aratrum posita retrò respicias. Non honores, non dignitates, non fuga, non apostasia ex religioso te statu in sæcularem reducere amplius possunt. Cum paucissimis aliter actum à Christi vicarijs summis Pontificibus, Quid? S. Basilius negat religiosum à sua etiam fraternitate ac monasterio posse separari, quanto minus ab ipso religioso statu? *Quemadmodum,* inquit, *corporis membra naturæ vinculo colligata à corpore abrumpi non possunt, aut si abrupta fuerint, id quod abrumpitur moritur, sic & athleta, qui semel fraternitati connectitur, & pacto spiritûs naturæ vinculo fortiore tenetur, nullo modo poterit resecari ab his quibus coaptatus est: aut si hoc facit, mortuus erit anima, & privatus Spiritus gratia, quia pactum suum irritum facit.*

Luc. 9.

S. Basil. in const. c. 21.

Nisi S. Basilius loquatur de recessu à fraternitate per apostasiam, vel proprij cordis instabilitatem difficilis intellectu est; quia multæ causæ sunt, quibus non modò monasterium, verùm etiam Ordo ipse mutetur in alium: salus propria vel proximi dispensationem mereri possunt. Quot sanctos religiosos novimus de cœnobijs tractos esse ad cathedras ac dignitates? Quot juris ac Superiorum permissu fructuosissimè transierunt ad alium Ordinem? Non inficias eo multis tepidis, & fallentibus semetipsos magis quàm alios, omne cœnobium sæpe esse angustius. Vnde rogavit quis senem, *cur sibi molestum esset manere in cella, vel monasterio?* cui senex respondit: *Quia nondum prospexisti in futuram requiem aut afflictionem: Hæc enim si diligenter contempleris, etiamsi cella tua vermes scaturiat, ut ad collum usque immergaris in eos, sustineres absque ulla molestia & difficultate.*

S. Doroth. doctr. 12.

Tali tepido rectè noster Kempensis ait: *Curre hîc vel ibi: non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub Prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio multos fefellit.* Vir religiosus ac studio perfectionis deditus locorum incommoditates pro exiguo ducit, memor sanctos patres majori cum delectatione vixisse in antris, speluncis, & sepulcris, quàm multos reges in suis palatijs. Miles quo loco stationem sortiatur, ipsi perinde esse debet. Petrus Cælestinus ex regia Papæ traductus

Th. à Kemp. l. 1. imit. Chr. c. 9.

Ben. Gon. in vita c. 34.

in an-

in angustissimum ac teterrimum carcerem, ad mortem usque patientissimè sustinuit. S. Rumoldus Scotorum regis filius per multos annos in excavato arboris trunco duravit. Gerardus supra arborem plerumque genibus nixus, cùm nec sedere, nec jacere commodè potuisset, permansit. B. Virgo Jachelina arctissimo super arbore constructo tugurio novem ipsos annos quietissimè vixit. Quisquis de loco murmurat, futuræ coronæ immemor est, & præsentis vitæ nimis cupidus.

Lib. 3. vitt. PP Occid. ex annal. Scot. Ioan. Brugman. in vita. Vitt. PP. sup. l. 3. in vita.

At fratres, inquit, quibuscum habito, mali sunt, ac dissoluti. Sed obsecro, quo ibis, ubi omnes boni? Loth facilius primas sanctitatis apud malos Sodomitas tulit, quàm si vixisset in tabernaculis Abrahami. *Qui dicit,* ait S. Basilius, *propter malos à spiritali conjunctione separari cogor, non probabilem prætextum propriæ inconstantiæ excogitavit; sed est terra petrosa, doctrinam veritatis propter mentis inconstantiam educare non valens, idcirco prætextus vanos & insufficientes coram tribunali Christi excogitat, quibus seipsum facile fallit, dum quisq; sibi clementior est. Neque enim Petrus, aut Andreas, aut Joannes propter Judæ pravitatem à reliquo Apostolorum choro discesserunt. Deinde tanto minus à malis discedere poteris, quanto magis exemplo tuo indigent. Noë justus ille non dixit ad Deum, Oportet me exire de mundo: nam omnes sunt pravi; sed magis athletico ac generoso animo perseveravit, & inter pravitatis abyssum pietatem illæsam servavit. Sic Loth in Sodomis inter tantam impietatem degens virtutem custodivit illæsam. Tu verò prætexis fratrum negligentias, aut veras, aut confictas, defectionem meditaris, & tuæ ipsius pravitatis & segnitiei ad labores pro virtute subeundos velamentum quærens fratribus facis calumniam. Denique sint mali, an propter putrida membra sanum resecandum est? Quod si tamen ex malorum cohabitatione detrimentum bono immineat, & neque fraterna correptio, neque denuntiatio locum emendationis inveniat,* censet idem S. Pater *mutari locum posse: Non enim recedis à fratribus,* inquit, *sed ab alienis & hostibus, cum qui correptionem non suscipiunt, juxta sententiam Christi, sint instar Ethnicorum & publicanorum.*

S. Basil. sup. Matth. 13. Gen. 7. Gen. 19. S. Basil. reg. fusior. q. 36. Matth. 18.

Nonnulli ut monasterio egrediantur, prætendunt necessitatem parentum. Sit hæc charitas, non fucata carnalitas. Quot, amabò, restrictiones à nostris Doctoribus requiruntur, ut egressus hinc liceat? Necessitas, inquiunt, debet esse, si non extre-

Lessius l. 2. de Iust. c. 41. dub. 3

extrema, certè gravis, certa, & non leviter tranſiens. Certum ſit item, præter te nec monaſterium velle, nec alium poſſe ſuccurrere. Auxilium quoque tuum fore efficax, ſine tuo damno ſpiritali, nec niſi per egreſſum tuum præberi poſſe. Super hæc omnia conſenſus Prælati habendus eſt, maximè ſi non ſit neceſſitas extrema: Habitus inſuper non deponendus extra caſum ſummæ neceſſitatis. Denique ſufficienti auxilio præſtito ad cœnobium ut revertaris. Hæc omnia quàm raro concurrunt; Ut reliqua taceam, *Quanti monachorum*, exclamat S. Hieronymus, *dum patris, matrisq́ miſerentur, ſuas animas perdiderunt!* Diabolus, ubi conſpicit nos omnem temporalem curam exuiſſe, ait S. Baſilius, & ſuccinctos ad cælum currere, cogitationem de cognatis nobis inducit, & ubi curare res illorum nos fecit, etiam de temporalibus curis mentem cogitare, ac ſollicitam eſſe ſubornat; nempe quæ ſit cognatorum opulentia, & num ſufficiens aut indiga, quibus curis athletam Chriſti peſſumdat, ſic ut potius de cetero ſtatuæ monachi, quàm monacho ſimilis ſit.

Sanch. l. 4. præcept. 46. c. 20. Fernand. de Caſtro tr. 16. diſp. 2. p. 2. §. 6. & alij.

S. Hieron. ep. 128.

S. Baſil. in conſt. c. 20.

Curam parentum & cognatorum SS. Patres etſi ſubinde pro neceſſitate permiſerint ſervis Dei, ut de S. Gregorio Nazianz. Eulalio, & Caſſiano legimus; eam tamen ſuſpectam plerumque habuerunt. Non recordaris hic Malchi monachi? Poſt multos, inquit, annos incidit mihi cogitatio, ut ad patriam pergerem, ut dum adviveret mater (jam enim patrem mortuum audieram) ſolarer viduitatem ejus, & exinde de venumdata poſſeſſiuncula partem erogarem pauperibus, & de parte monaſterium conſtruerem, (quid erubeſco confiteri infidelitatem meam?) partem in ſumptuum meorum ſolatia reſervarem. Clamare occœpit abbas meus, diaboli eſſe tentationem, & ſub honeſtæ rei occaſione antiqui hoſtis aſtutias. Hoc eſſe reverti canem ad vomitum ſuum. Sic multos monachorum eſſe deceptos; numquam diabolum aperta fronte ſe prodere. Proponebat mihi exempla de Scripturis quamplurima, inter quæ illud initio, quod Adam quoque & Evam ſpe divinitatis ſupplantaverit. Et cum perſuadere non poſſet, provolutus genibus obſecrabat, ne ſe deſererem, ne me perderem, ne aratrum tenens poſt tergum reſpicerem. Væ miſero mihi, vici peſſimâ victoriâ, reputans illum non meam utilitatem, ſed ſuum ſolatium quærere. Proſecutus ergo me de monaſterio, quaſi funus efferret, & ad extremum valedicens, *Video te*, ait, *fili ſatanæ cau-*

S. Greg. Naz. ep. 12 & carm. 47.

Caſſian. coll. ult. c. 1.

S. Hieron. vitâ Malchi.

Digitized by Google

terio notatum: non quæro causas, excusationes non recipio. Ovis quæ de ovili egreditur, lupi statim morsibus patet. Diceres abbatem futura prænovisse: nam Malchus ut egressus est in lupos incurrit, quorum morsibus tantum non perijt.

S. Basil. sup. Affectus carnalis, dic mihi Josippe, quando profuerit? *A cognatis & amicis ac parentibus* ait magnus Basilius, *in tantum separatos affectu nos esse convenit, quantum mortuos à viventibus.* A professione tibi mundus crucifixus sit, & tu mundo: sineq; mortuos sepelire mortuos suos. S. Guntherus Altahensis monachus tantum non â proposito excidit, quod parentes solummodò visitarit. Non quod absque licentia iverit, sed quod eam importunius postularit. Ex eo namque nactus est satanas locum ipsum tentandi. Quid si præter licentiam, ac sæpius ivisset, aut apud ipsos mansisset? Væ nobis in quibus affectus carnales cum annis crescunt. Quàm procul absumus ab illorum perfectione, qui ab ingressu religionis parentes nec intueri amplius voluerunt, & litteras ab eis missas conjecerunt in ignem. *Ite*, dicebat Maches, *cogitationes patriæ pariter concremamini; nec me ulterius ad ea, quæ fugi, revocare tentetis.* Sed hæc illorum facta sunt, qui perfectè renuntiarunt huic mundo, ac seipsos sibi penitus abnegarunt, vt monet S. Pachomius.

Matth. 8. Surius tom. 7. in vita. Cassian. l. 5. instit. c. 34. Vita S. Pachô. c. 31.

Quidam prætendunt odia ac persecutiones fratrum vel Superiorum, atque inde sollicitant abitum. Ignavi ac pusilli cordis est hoc. *Tu ne cede malis.* Qui semel palæstram ingressus est, decertet necesse est. Generosus miles in prima se locat acie tela cuncta suscepturus. Felix monachus cum in suo cœnobio non posset quietè & pacificè vivere, Floriacum transijt, ubi abbas Gaustinus fratribus præerat. Hic cognito adventu Felici sic respondit: *An putas habere in tua patria, quod Christus non habuit in sua? Si igitur ad Christum vis pervenire, debes sicut & ille ambulavit, & tu ambulare: per multas enim tribulationes, sicut dicit Apostolus, oportet nos intrare in regnum Dei. Itaq; molestias patienter sustine ubicumq; fueris.* Et his remisit fratrem ad suos.

Lib. 3. vitt. PP. sup. in vita.

Th. Kemp. sup. L. 2. c. ult. Josippe experto crede, Thomæ Kempensis de hac re sententia quasi ex oraculo Delphico est. *Si abijcis unam crucem, aliam procul dubio invenies, & forsitan graviorem.* Nullus locus non infrà cælum est, ad quod proinde undique per ardua sursum niti tenemur. *Christus fuit etiam in mundo despectus, & in ma-*

in maxima neceſſitate à nobis & amicis inter opprobria derelictus: Chriſtus pati voluit, & deſpici, & tu audes de aliquo conqueri? Chriſtus habuit adverſarios & oblocutores, & tu vis omnes habere amicos & benefactores? Vnde coronabitur tua patientia, ſi nihil adverſitatis occurrerit? Si nihil contrarium vis pati, quomodo eris amicus Chriſti? Suſtine te cum Chriſto, & pro Chriſto, ſi vis regnare cum Chriſto.

Verùm quæcumque tandem cauſa ſit, cur locus mutari queat, id tamen abſque Prælati licentia numquam præſumendum eſt. Quod S. Bernardus monachum Flaviacenſem reclamante abbate ſuſcepit, nec reſtituit, id aut Spiritus ſancti ductu fecit, aut reclamatio fuit irrationabilis. Alia vice, cùm fratrem Ordinis Præmonſtratenſis ſuſcepiſſet, & intellexiſſet conſenſum defuiſſe Capituli, non autem abbatis fratris illius, reſpondit, Emancipationem religioſi ad ſolum ſpectare abbatem, non ad capitulum. Sed nec ad loci Ordinarium, aliàs concilium Romanum V. non tacuiſſet, quod de ſolo conſenſu abbatis loquitur. Sunt tamen concilia provincialia, quæ præter abbatis tam epiſcopi, quàm Conventus aſſenſum requirunt, ut Oxonienſe; Triburienſe, Auguſtanum. Obſervanda eſt ergo loci conſuetudo, & conſilium S. Baſilij ſuadentis ne ejuſmodi fratres temerè ſuſcipiantur, ſed potius moneantur ad priſtinum locum reverti, quod maximè locum habet in fugitivis, qui plerumq; mali ſunt, & aliorum ſeductores.

S.Bern.ep.67. Idem ep.251. Con.Rom.c.8 Oxon. A.D. 1222. Tribur. A. D. 895.c.26. Auguſt. ſub Henrico. S.Baſil. in c6. ſtit. c. 33.

Subinde præſtat ut frater aliquis in aliud cœnobium ad tempus mittatur. Pro quo non inutile erit audire concilium Oxonienſe. Hoc quoque volumus obſervari, inquit, ut ubicumque propter exceſſum alicujus viderit Epiſcopus, aut Abbas, aut Prior conventualis non habens abbatem, expedire, ut quis ad tempus alibi moretur, aut aliam domum religionis ejuſdem in eodem epiſcopatu transferatur; vel ſi neceſſe fuerit, ad alium epiſcopatum dirigatur, & per Diœceſanum compellatur admitti, qui in omnibus ſubjaceat diſciplinæ, ita ut ſi mora ipſius eccleſia, in qua moratur, gravata videatur, vice verſa mittat aliquem de ſuis, qui interim moram faciat in monaſterio delinquentis: nec prius rediens ipſe, qui deliquit, in domo ſua recipiatur, quam plenè pœnituerit de commiſſo; & per ſuum Superiorem revocetur.

Oxon. ſup.

Supereſt de Tranſitu ab Ordine ad alium. Eum reprobare non

re non valeo, si Dei voluntate, zeloque pietatis fiat deliberatè, maturè, non ex passione vel scandalo & injuria eorum, quos deseris; modò petatur à Superiore licentia, & transitus sit ad Ordinem arctiorem. Ita legimus in jure canonico. S. Bernardus de varijs familijs suscepit plurimos. S. Coleta, cùm Ordinem suum per utrumque sexum reformaret, vidit illicò Benedictinos, Bernardinos, Carthusianos, Cælestinos, Canonicos regulares cum diversis monialibus ad reformatos Franciscanos zelo vitæ sanctioris accedere. Et numquid videmus hodie quod transeant ad Capucinos? Canonicis regularibus ejusmodi transitum sub gravi pœna prohibuit quidem Vrbanus II. sed Alexander III. eos libertati restituit. Quid enim hi minus haberent à monachis, monialibus, & clericis sæcularibus? Ad Ordinem laxiorem transire, non ita cuique promptum est: attamen sine apostasia, vel peccato cum facultate conceditur.

C. licet. 18. De Regular.

Steph. Iuliac. vita S. Coletæ

19. q. 3. c. mandamus.

c. sanct. de regular.

Conc. Aug. A. D. 952. c. 7. Trid. sess. 25. c. 19. de reform.

S. Bernard. de præcept. & disp.

Expedivissem epistolam, nisi remansisset aliquid, quod tamen sub rosa, ut ajunt, tibi dico: nam multis non ita gratum accidet. Bernardus vir in archivo monastico versatissimus, Transitum ad alium Ordinem etiam arctiorem non valde laudat: nam qui deseruntur, inquit, facilè scandalizantur; nec certa pro incertis dimittenda sunt, & plerumque subest animi levitas. Abbatis Nesterotis quoque in hac re sententia est. *Cuiq; utile est, ut secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.* Si Scripturam simpliciter audire desideras, hæc dicit: *Vnusquisque in vocatione in qua vocatus est permaneat.* Congruum admodum huic rei est, quod Glaber Rudolphus monachus Cluniac. memorat. Anno Domini 996. inquit, volebat Otho III. instinctu Gregorij II. & aliorum, monachos Ord. S. Bened. malè viventes ab ecclesia S. Pauli ejicere, & in eorum loco substituere Canonicos. In quo dum est, S. Paulus ei apparet in nocte per visum his eum verbis alloquens. Si verè, Otho, zelus divinæ servitutis optimi operis te adurit, vide ne hujus propositi institutum præsumas immutare in expellendis monachis: non enim omnino expedit cujusque ecclesiastici Ordinis, quamvis ex parte depravati, propositum umquam abijci seu immutari. *In eo namque unusquisque judicandus est Ordine, in quo se primitus vovit Deo servire.* Reemendari tantum licet corrupto cuiq; in ea-

S. Bern. cit.

Cassian. coll. 14. c. 5.

1. Cor. 7.

Rudolph. l. 1. hist.

Digitized by Google

in eadem propriæ vocationis ſorte. Hæc audiens Otho egit cum ſuis quo pacto monachos potius reformaret, quàm mutaret.

Credis hanc hiſtoriam? Si vera eſt, multa in ea miror. Hoc pro mea parte ſcio, Multos in laxioribus Ordinibus arctius ſæpe vivere, quàm qui in arctioribus Deo militant. Quis enim prohibet me in meo ſat miti propoſito jejunare, cilicia corpore ferre, diſciplinis carnis libidinem mitigare, vel humi dormire? Non ſine cauſa proin' Cardinales deciderunt, ad ordinis religioſi mutationem accurato opus eſſe examine. Eam ut vix ulli ſuadeo, ſic factam non condemno. Judicium ſuum unuſquiſque portabit. Decif. Card. in Trid. ſup.

EPITSOLA XLI.

An quis poſſit poſt profeſſionem abjici.



Indignatus es nuper, cùm audires ex me, monachum quemdam factioſum, & ad hoſtes noſtros profugum, ſed in exploratione Bavariæ deprehenſum, & à fratribus Ordinis ſui captum, ad remos fuiſſe condemnatum. Tuâ ſententiâ debuiſſet incarcerari, pro qua afferebas canones aliquos de jure canonico. Potuiſſes etiam Vrbanum VIII. adduxiſſe, qui prohibuit religioſos ad remos damnare, in quam rem Romæ carcerem extruxit, quo regulares criminoſi includerentur. c. impudicas; & c. quis ſacro. & c. ſiqua. 17. q. 1.

Sed carceres Vrbaniani antiquitati non præjudicant, qua religioſi rebelles, contumaces, & graviter delinquentes ſemper projecti ſunt de cœnobijs, ſive deſtinati ſint ad tranſtra, ſive aliò. Moniales etſi non facilè abjiciendæ ſint propter pudoris periculum; à S. Baſilio tamen corrigi jubentur aut abjici, ſi ad pſallendum non alacriter acceſſiſſent. S. Auguſtinus ſi de ſuis clericis quem in flagitio comprehendiſſet carnali, projeciſſet. Omnibus votorum tranſgreſſoribus id Eſſeni faciebant. Apud Syros etiam ſubordinati Superiores rebelles & fratrum perturbatores poterant expellere. Et quoties fratres inſtigarunt S. Pachomium, ut Silvanum hominem levem & aliorum ſeductorem ejiceret? Et quid opus eſt multis? Lege regulas monaſticas, & inter alias hanc plerumque pœnam invenies. S. Baſilius eam S. Baſil. reg. brev. 281. S. Aug. ep. 137. Porphyr. l. 4. de abſtinent. S. Ephr. de vita ſpirit. n. 8. fol. 48. Vita S. Pachom. c. 38.

Digitized by Google

S Basil reg. fusior 28. & in brev. 44 57. 61 & in pœnit. n. 9. infligi jubet inobedientibus, capitosis, incorrigibilibus, ociosis, & psalmos discere nolentibus. S. Augustinus ijs, qui meritam vindictam recusaverint. *Non enim*, inquit, *hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimi pereant.* S. Aug. ep. 109 Eamdem mulctam S. Benedictus imponit incorrigibilibus & contra taliter contumaces, ut subdi aut obedire regulæ nolint. S. Bened. in reg. c. 28. & 62. Imò etiam abijci decernit, qui contumaciter nolunt petere veniam ab eis quos offenderunt. In constitutionibus S. Francisci & Ignatij eamdem animadversionem reperies, Ferdin. à Castro 3. p. d. 4. puncto 17. sicut & in jure canonico, ubi in proprietarios fertur, ac denique in Excerptis PP. concilij Aquisgran. ubi statuitur rectores fratrum, si Prioratus sui tempore intumescere cœperint, crebroq; admoniti se non correxerint, rejiciendos à monasterio. Conc. Aquisgr. A. D. 816. c. 138.

Interim summoperè cavendum, ne ad tam districtam pœnam proniores simus. Terret me exemplum Timothei apud Ruffinum, Ruffin. l. 2. vitt PP. n. 140. qui cum suasisset negligentiorem fratrem abijci, tentatio venit super Timotheum. Qui cum ploraret in conspectu DEI, venit vox ad eum: *Timothee idcirco id tibi accidit; quia fratrem tuum in tempore tentationis despexisti.* Patientiâ Josippe sæpe quis curari potest. Silvanus, de quo antè, S. Pachomij supportatione, precibus & adhortationibus ex tanta levitate ad tantam ascendit perfectionem, ut Pachomius dixerit, se inter suos similem ipsi non habere, cum tot millenos habuerit. Vita S. Pachom. sup. Quid si ergo indiscreto aliorum judicio ejectus fuisset? Isidorus Scetensium presbyter, si nulla re, certè in hac discretus fuit. [illegible] l. 16. n. 5. Nam si audivit aliquem à suis expellendum, jussit eum ad se adduci, & suâ patientiâ ad meliorem frugem reduxit. Idem l. 9. n. 2. Abbas Besarion cum expulso simul exivit, dicens: *Et ego peccator sum.* Abbas Moyses, cùm ad similem causam citaretur ad concilium, Ibid. n. 4. implevit sportam arenâ, & post se portavit. Rogatus causam respondit: *A tergo porto peccata mea, & ea non video: & judicem hodie peccata aliena?* Quo audito reus frater absolutus est.

A. D. 545. c. 57 Prudenter admodum statuit Meldense concilium, ut monachus absque licentia aut præsentia Episcopi, vel ejus vicarij de monasterio non projiceretur, ne fortè penitus sic periret, qui fortè inter fratres salvari potuisset. A. D. 1274. c. 4 Concilium Salisburgense delinquentes fratres nec ablegari vult ad alia monasteria, nisi consentiat Episcopus, ne dicam ad sæculum expelli. Vnde SS. PP. valde cauti in hac re fuerunt, monentes ne præcipitantius agere-

Digitized by Google

agcretur. *Ignavo ad obediendum,* ait S. Baſilius, *principiò omnes condolere debent, velut morbido membro: Præpoſiti verò privatis admonitionibus eum conabuntur emendare. Quas ubi pervicaciter neglexerit, arguent eum coram omnibus & caſtigabunt. Quod ſi nec ſic aliquid profecerint, veluti ſuiipſius peſtem, membrumq́ corruptum ac inutile ad imitationem medicorum, multis lacrymis ac lamentis à communi corpore reſecabunt, ne detrimentum ulterius diffundatur, vicinaſq́ partes inficiat. Nam humanitas erga tales ſimilis eſt indiſcretæ benignitati Heli ſacerdotis erga filios.* Alibi cenſet ejuſmodi fratrem prius fame ac ſeparatione caſtigandum: ſi incorrigibilis permanſerit, amputandum velut putre membrum, cum ſcriptum ſit: *Expedit ut pereat unum membrum & non totum corpus proijciatur in gebennam.* S. Baſil. reg. fuſior. 28. In reg. brev. 43. Matth. 5.

S. Benedicti mandatum eſt, vt graviter delinquentes ſemel aut iterum ſecretò moneantur, dein publicè objurgentur; ſi nec ſic ſe correxerint, excommunicentur, & tandem vindictæ corporali ſubdantur, nempe plagis, &, vt inferius loquitur, virgis: ſi necdum corrigatur, oretur pro eis, moneantur iterum & iterum: ſi & hoc fruſtra; abſcindantur. S. Bernardus eadem diſcretionis via incedens, incorrigibilem vult primò omni officio charitatis mulceri, beneficijs, ſalutaribus monitis, ſecretis increpationibus, publicis exhortationibus, duris etiam & verborum & verberum correptionibus, denique quod efficacius eſſe ſolet, pijs ad DEVM pro eò fratrum precibus. *Quod ſi,* inquit, *hæc omnia feciſti, nec profeciſti, ad Apoſtoli conſilium fugiendum eſt dicentis, Auferte malum ex vobis. Auferatur ergo malus, ne malos generet: non tamen quomodo ipſe vult, ut videlicet ex abbatis licentia cum malè ſecura conſcientia extra congregationem contra profeſſionem ſui juris eſſe, ſua permittatur vivere lege, ſed abſcindatur ut ovis morbida à grege. Melius eſt enim ut pereat unus, quàm unitas.* S. Bened. reg. c. 23. & 28. S.Bern. ep. 102. 1. Cor. 5.

Sed hîc magna difficultas eſt circa ejectos, qua lege vivere debeant, ſi ſua non debent. Videmus ejectos omnes ſuo arbitrio vivere, id quod multos ſcandalizat de turba leviori, qui ſuam ejectionem optant, ut libertatem acquirant. Qua in re melius conſilium non occurrit, quàm ut à fraternitate abſciſſus conjiciatur ad carceres perpetuos, vt ibi pereat; vel abſque dimiſſorijs aut commendatitijs dimittatur, vt à nullo recipiatur, & vivat tamquam exul. Negare enim minimè poſſum SS. Patres

loqui

Digitized by Google

loqui non de ejectione ad carceres æternos, sed de projectione foras extra cœnobium, sicut *scabiosa ovis à caulis repellitur, & putrida caro resecatur à corpore*, vt loquar cum S. Hieronymo. Prælatis incumbit hoc onus; nam hi sunt rationem reddituri de ovibus suis. vnde in jure decernitur, vt ejectos singulis annis quærant, si fortè redire velint, & quietè vivere, quod etiam facit ad conscientiæ securitatem, si fortè per injuriam, aut indiscretionem expulsi fuissent. Rectè enim S. Bernardus: *Si injustè expulsus est, justum est ut revocetur: si justè; pium est ut recipiatur.* B. Benedictus etsi dicat monachum ejectum tertiò, non esse amplius admittendum; jubet tamen semel & iterum pollicentem omnem emendationem, esse recipiendum. Ego, pace tanti viri dixerim, pollicentem seriò omnem emendationem suscipiendum judico, etsi septuagesies septies ejectus fuisset: nam & nos peccando à facie DEI abjicimur, & tamen si convertimur, misericorditer in gratiam recipimur toties quoties. S. Anselmus aliquando valde laborabat non pro ejecto, sed, quod gravius, pro apostata recipiendo in Capitulo. Cui cum quidam ex fratribus vehementer obsisteret, dixit: *Certè si tu vel unicam guttam sanguinis pro eo fudisses ut Christus, aliter censeres.* Quibus ex verbis frater ille ut lapis obmutuit, ac tandem consensit.

S. Hieron. in epist. ad Galat. c. 5.

c. fin. De regular.

S. Bern. epist. 328.

S. Bened. reg. c. 28.

Vita S. Ansel. l. 7. c. 11. vitt. PP. Ovid.

EPISTOLA XLII.

De Religiosis fugitivis & Apostatis.



INter fugitivum & apostatam hoc interesse te scire non ambigo, quod ille servet, hic abjiciat animum religionis acceptæ. Fugitivi vox est, *Recedo de cœnobio, non de statu,* cui respondet apostata: *Ego autem de utroque.* Contra divina pacta utriusque conatus est. *Si enim* (ait S. Leo) *humana pacta non possunt impunè calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera sacramenti?* Nemo ergo positus in monasterio frater dicat, *Recedo,* inquit S. Augustinus. Wiclessum tota mente condemno docentem, Ingredientes religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles esse ad servandum divina præcepta, & per consequens ad pervenien-

Leo ad qq. Rustici epis. q. 15.

S. Aug. in psal. 75.

Concil. Constant. sess. 8. art. 35.

Digitized by Google

veniendum ad regna cœlorum; nisi apostataverint ab eisdem. Portam apostasiæ aperire quid est necesse? ipsa quærit sibi introitum, vt apostatæ exitum. Desertores sancti propositi, & rei voti non redditi, vt cum Augustino loquar, vtinam in Ordine religiosorum numquam fuissent. S. Ephraim in extremis suos rogavit, ne scandalum ex eo contra ipsum sumerent, quòd nonnulli tœdio ejus disciplinæ ab ipso recesserint: nam & *inter apostolos*, ait, *apostata erat, & inter rosas spina.* S. Aug. exposit. psal. 99. S.Ephr. in Testamento.

Qui stat, videat ne cadat. de se nemo præsumat. Sæpe stellæ de cælo ceciderunt. Fuit in monte Sina monachus, qui celebre adeò edidit suæ continentiæ specimen, vt in cellula multos vixerit annos inclusus. Postremò varijs revelationibus diaboli & insomnijs illusus, ad Judaismum delapsus est, & carnis circumcisionem. Cùm igitur diabolus huic identidem vera quædam insomnia demonstrasset, & veluti objectâ illecebrâ inescaret illius obscuratam mentem, novissimè oculis ejus objicit copiosam turbam Apostolorum, martyrum, aliorumque omnis generis Christianorum densissimis tenebris, & omni dedecore oppletam: ex opposita verò parte Moysen, Prophetas, populum quoque Judæorum offert splendida admodum luce conspicuos, inque gaudio & hilaritate vitam agentes. Hæc cum spectasset miser, in vestigio surrexit, derelictoque sancto illo monte in Palæstinam usque pervenit contendens rectà in Noara & Lybiadam asyla Judæorum. Quibus cum denarrasset quæ sibi visæ fuissent diabolicæ apparitiones, circumcisus est, ac professus Judaismum accepit uxorem, inque omnium prospectu adversus Christianos edidit dogmata, propugnator factus Judaicæ superstitionis. Hunc ego, inquit Antiochus monachus Lauræ S. Sabæ, vidi, ac plerique monachorum: neque enim quattuor anni à morte illius sunt, quâ miserè perruptus est. Catarrhi enim profluvium aliquamdiu passus, & vermium arrosione contabescens expiravit. Hunc cum vidissemus ego & alij aliquot monachi, correpti timore, ingenti cum luctu lamentati sumus. Erat id sanè quàm miserabile spectaculum. Vir hic totus incanuerat in monastica exercitatione, consenueratque laboribus attritus: & is tandem cum mulieribus jocatur, immundarum carnium, Judaicarum superstitionum, gustu se fœdat & inquinat, verba loquitur obscœna & impura, blasphemat Chri- S. Antioch. hom. 84.

Digitized by Google

ſtum, Spiritum ſanctum intolerandis afficit contumelijs. Et hunc talem illi exleges Judæi ſecundum vocabant Abraham.

S. Baſil. ep. 1. ad monach. lapſum.

Ejuſmodi caſus, prô dolor, non rari ſunt: ſed SS. PP. eos amarè deplorant. Ego, inquit S. Baſilius, lugens ac triſtis, & vndique conſternatus cinerem tamquam panem manducavi, ſaccumque plagæ impoſui. Quis ſacerdos propter te non lamentabitur? Quis eccleſiaſticus non planget? Quis laicus non triſtatur? Quis aſceta non luget? Ferè enim ſol ipſe ad ruinam tuam obſcuratus eſt; & virtutes cœlorum ob interitum tuum commotæ ſunt. Siqua igitur adhuc ſpes ſupereſt tibi ſalutis; ſiqua brevis memoria erga Devm; ſiquod deſiderium futurorum bonorum; ſiquis timor pœnarum, reſipiſce, & ne cuncteris venire. Ego enim ſuſceptum mortuum meum deplorabo, ego curabo, ego amarè flebo. Omnes te excipient; omnes tibi condolebunt. Ne diffidas. Sis memor dierum antiquorum. Eſt ſalus: eſt correctio. Confide ne deſperes: ne cuncteris, ac tui ipſius & omnium noſtrum miſerere.

S. Ivo ep. 57.

Idem ep. 226. c. fin. dere u.

S. Baſil. ep. 413 & ſeq.

Petr Damian. vita S. Romuald.

Greg. Turon. itt. PP. c. 1.

Joſippe, non hæc ſunt viſcera paterna erga apoſtatas? Sic revocandæ ſunt errantes oviculæ, & ſuſcipiendæ. Vnde & S. Ivo laudat eos qui fratrem etiam quater apoſtatam receperunt, quod factum eſſe dicit de conſilio Chriſti jubentis ignoſcere ſeptuagies ſepties delinquenti in nos. Vult præterea vt ejuſmodi homines ad exemplum Domini velut oves errantes conquirantur, quod & in jure mandatur. Si benignè retrahi non valent, etiam vis adhibenda eſt, qua de cauſa laudatur à S. Baſilio Gregorius, quod cum aliter non potuiſſet, per vim cœperit apoſtatam monachum Glycerium cum adhærentibus ei monialibus. S. Romualdus quoque vt patrem ſuum Sergium ab apoſtaſia retraheret, ex intima Gallia nudis pedibus Ravennam venit, vbi eum comprehenſum laudabili planè affectu ligno fortiter ſtrinxit, clavis duris affixit, donec mentem mutaret. B. Romanus Abbas precibus ad Devm fuſis reſtituit apoſtatas: Cum enim S. Lupicinus viſitaret monaſterium, quod in Alemannia extruxerat, fratribus adhuc in agro laborantibus paulò ante meridiem eò pervenit. Ingreſſus ergo culinam cum vidiſſet varium ciborum apparatum minus quàm deceret pauperes monachos, indignatus cacabum æneum igni impoſuit. In quem ſimul omnes cibos conjiciens tam piſces, quàm olera, *De his*, inquit, *pultibus reficiantur fratres. Indignum quippe eſt, ut*

Digitized by Google

eſt, ut deliciis vacantes ab opere divino impediantur. Quo facto duodecim ex illis ira exagitati abierunt retrorſum. Quod cum B. Romano divinitus revelatum eſſet, qui Lupicino mitior erat: Melius, inquit, fuiſſet, ſi huc non acceſſiſſes. Ad quem Lupicinus: *Non turberis frater: area purgata eſt, paleæ excuſſæ ſunt.* Sed ille lacrymans in preces ſe tam ferventer abjecit, donec apoſtatæ DEI miſericordia permoti redierint ad ſe, ædificantes quilibet in eremo illa monaſteria, in quibus vſq; hodie in DEI laudibus perſeveratur.

S. Chryſoſtomus mirandam quorumdam ſanctorum monachorum deſcribit induſtriam in revocando apoſtata. Hic parentibus in ætate tenera orbatus, factus fuit hæres multarum opum ac ſervorum, quibus omnibus dimiſſis pro amictu ſplendido lacernis indutus, abjectóq; omni faſtu humano confugit ad montes & eremum. Vbi tantum progreſſum fecit, vt non inter juvenes novitios, verùm inter exercitatos magnóſq; ſenes brevi numeraretur. Hinc ſacris initiatus majora adhuc ſpecimina edens omnibus gaudium creavit, & gratiarum actionem, quod nempe tantillus adoleſcens divitijs innutritus, ſplendidiſq; natalibus ortus tanta velocitate, calcatis mundi vanitatibus, ad verum virtutis faſtigium pervenerit. In his ergo dum cunctis eſt miraculo, perditi quidam, qui jure conſanguinitatis eum inviſerant, ad priſtinos ſæculi fluctus miſerum retraxerunt. Rejectis proinde omnibus, quæ monaſticæ vitæ erant, aufugit in vrbes. Vbi vectus equo, multóq; ſtipatus ſatellite, adeò ſe turbis foróq; immiſcuit, vt neq; ſapere amplius velle videretur. S.Chryſoſt. l. 3. adverſ. vitu-per. vit. mon.

Nam voluptatibus in tantum ſe tradidit, atq; impuris amoribus, vt inveniretur prorſus nemo, qui non de ſalute hominis deſperaret. Adulatorum præterea multitudo, orbitas, juventus & infinitæ divitiæ in propoſito eum arctiſſimè continebant. Cum hæc ergo ſe ſic haberent, ſancti quidam viri, qui jam longo vſu didicerant, de talibus non eſſe deſperandum, & qua arte retrahendi eſſent ad propoſitum, obſervabant eum aſſiduè. Et ſi quando in foro eum conſpiciebant, accedebant, ſalutabántq; eum. Quos quidem ille primum nonniſi obliquis oculis ex equo ſolebat deſpicere (tanta captus erat impudentia) Illi verò miſericordes, cupidiq; ſalutis alienæ nihil horum curantes, in hoc unum intendebant, quo pacto oviculam

è lupi faucibus extraherent, id quod demum virtute patientiæ consecuti sunt. Posthac enim quasi ex amentia in se reversus de crebra eorum accessione erubescens, si fortè eos appropinquare videbat, equo desiliens, depressis oculis, & cum silentio cœpit eos audire paulatim magis ac magis. Quo factum, vt Dei gratia conversus ad pristinam vitam reverteretur. In qua nunc vsque adeo claret, vt si hodiernam conversationem cum prima conferas, pro nulla ducas: ad tantum scilicet perfectionis culmen ex apostasiæ sordibus mediante solertissima patrum prudentia ascendit.

Donec spes tantilla scintillat, Superiores curam deponere non debent suorum fugitivorum & apostatarum. Tanto majoris meriti apud Deum est ejusmodi peccatorem ad frugem reducere, quanto gravius delictum est juratam violare obedientiam. Canones sacri in hos homines gravissimè animadvertunt. In concilio Turonensi apostatæ reijciuntur à communione Ecclesiæ, & à convivio fidelium. In Aurelianensi I. etiam ij excommunicantur, qui cum eis manducare præsumunt. In Tolet. VIII. ad perpetuam condemnantur pœnitentiam. In Triburiensi jubentur omni onere gravari, donec redeant: si redire nolint, juxta decretum Concilij Chalcedon. retrudi in ergastula igne pœnitentiæ decoquendi. Denique Rhemense sub Leone X. prohibet apostasiam sub anathemate.

A.D.482.cā.8 A.D.511.can. 13. A.D.653 cā.7 A.D.895.c.26 cap.4. A.D. 1049.

De profugis statuit Alexander III. ut nusquam sine sui abbatis licentia recipiantur, sed censuris episcoporum compellantur redire vnde exierunt. S. Basilius etiam eum excommunicat, qui sciens fratrem clam discessurum, id abbati non significat, uti & illum, qui cum altero fugam molitur. Quam grave enim hoc crimen sit ostendit Moschus in Limonario, dicens: In regione mea monasterium est Virginum ferme quadraginta. In hoc quinque Virgines sibi invicem condixerunt, vt noctu de monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte verò quadam cum dormirent Sanctimoniales omnes, illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent & fugerent, continuò quinque omnes à dæmonio correptæ sunt. Si plura desideras habes magnum Gregorium, qui præterea commemorat, quemadmodum frater fugam meditans nigro cani dilaniandus fuerit traditus. Iosippe ab eo die, quo nos Deo obtulimus,

In append. ad Conc. Rom. Later. p.27. c. 6. S.Basil.fo.731 n.3. & 29. Prat. Spirit. c.135. Grego. M. l.7. epp. 38.

tulimus, clamat in aures nostras Romanus ille Centurio: *Hîc state, hîc vobis manendum est.* Ita suos deterruit ab iniquo proposito, quo vrbem volebant deserere, vt Zonaras tibi narrat. Zonar.t.2.annal.

EPISTOLA XLIII.

De Religiosis gyrovagis.



S. Benedictus in regula sua *quattuor genera monachorum* describit. Primum appellat *monasteriale seu cœnobitarum* in commune viventium sub abbatis obedientia, & regula. Alterum dicit *Anachoretarum*, hoc est Eremitarum, quos ait in monasterijs jam perfectos singulari certamini se offerre contra vitia & cogitationes. Tertium *Sarabaitarum* nominat, qui per tonsuram mentiantur vitam monasticam, bini, terni, quaterni, vel etiam soli habitent pro suo placito absque regimine Superioris. Hos, ait Cassianus, esse deterrimos & infideles, qui se à cœnobiorum congregatione sequestrent, ac singillatim suas necessitates curent, ortos ab Anania & Sapphira, philargyros, de crastino sollicitos, in præceps assiduè prolabentes, quorum in Ægypto tanta sit multitudo, vt numero certent cum Cœnobitis: in alijs verò provincijs sic abundare, vt vix sint alij monachi quàm Sarabaitæ. S.Bened. reg. c.1. Cassian. collat.18. c. 7.

B. Hieronymus ait eos ab Ægyptijs nuncupari *Remoboth*, genus monachorum deterrimum atque neglectum, & quod in nostra provincia aut solum, aut primum est. Hi, inquit, bini, vel terni, nec multo plures simul habitant suo arbitratu ac ditione viventes, & de eo quod laboraverint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quàm plurimum in vrbibus & castellis, & quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint majoris est pretij. Inter hos sæpe sunt jurgia; quia suo viventes cibo, non patiuntur se alicui esse subjectos. Reverà solent certare jejunijs, & rem secreti victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus venerit, *saturantur ad vomitum*. Hæc pestis tempore S. Bernardi adhuc in orbe nostro grassabatur, vnde laudat abbatem S.Hierô.epist. 22.ad Eustoch. S. Bern.ep. 253.

Garinum, quod synagogas satanæ, id est, cellulas extra cœnobium, in quibus tres, vel quattuor fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruxerit.

S.Bened.sup. Quartum genus monachorum vocat S. Benedictus *Gyrovagum*, dicens esse deteriores Sarabaitis, cùm totâ vitâ suâ per provincias vagentur, & in diversorum cellulis ternis aut quaternis diebus hospitentur. Eorum multitudinem & negotia describit S. Augustinus. *Tam multos*, inquit, *hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit circumeuntes provincias nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant*, &c. Pergit, quomodo sub generali nomine monachorum horum, propositum blasphemetur tam bonum, quàm sanctum, quod in Christi nomine, inquit, cupimus sive per alias terras, sive per totam Africam pullulare.

S Aug l. de oper. mon. c. 28.

S.Bened.c.58. Hi vagi monachi occasionem fecerunt S. Benedicto, vt à suis exigeret in professione promissionem stabilitatis, rem vero monacho pernecessariam: nam *vagari omnino non expedit monachis*, ait idem in sua regula. Cujus rei rationem Ravennate concilium tibi suggerit, quod vagantes religiosos vehementer exagitat. *Sine claustro*, inquit, *monachus vita caret, sicut piscis sine aqua*. Propterea S. Nonnosus præpositus monasterij in monte Soracte nullo pacto voluit consentire ijs, qui suadebant, vt fratres tempore sterilitatis olei extra claustrum alijs in colligendo oleo operam locarent, quatenus ex mercede operis aliquantulum monasterio oleum deportarent. Timebat enim, ne exeuntes monachi, dum lucra quærerent olei, paterentur damnum animi. Quod consilium miraculo DEVS approbavit: quippe exiguum illud oleum, quod collegit, in cuncta cœnobij vasa distribuit, factáque oratione sequenti die omnia plena reperta sunt.

c.66. Ravenn. IV. A.D 1317. rubr. 17. S.Greg.l.1. dial. c.7.

Ecclesia semper invigilare debuit, vt vagantes monachi compescerentur, & ad sua claustra reducerentur. Pipino regnante in Gallia tanta eorum fuit multitudo, vt episcopi coacti fuerint invocare brachium regis sæculare, quo vagabundi comprimerentur; nam etiam populum erroribus pervertebant, quod constat ex synodo Reaticina. Si de pœnis vagantium interrogas, Concilium Romanum decernit, vt coërceantur, revocentur, & ad sua monasteria redeant: secus; excommunicentur.

In concil. Aquisgran. A. D. 836. c. 23. A.D.850.c.23 A D. 964. act. 1.

S. Gre-

S. Gregorius sub competenti coërcitione eos ad claustra vult reduci. Durius synodus Andegavensis ante Gregorium. Monachi, inquit, qui cœptam observationis viam reliquêre, & absque epistolis, certisq; negocijs, vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione, si se non emendaverint, ab abbatibus suis, vel à sacerdotibus ad communionem non recipiantur. Non multò pòst Venetijs in Gallia vagatio monachorum primò sub correptione verborum, deinde verberum prohibita est, quæ constitutio suscepta est postea à concilio Agathensi seu Byzanceno, quo additur ne ejusmodi vagi sine suorum abbatum testimonio ordinentur: aut ab alio abbate recipiantur, nisi, vt interpretatur concilium Mellitanum, abbatis proprij fuerit litteris regulariter commendatus, quod etiam mandatur in canonibus concilij œcumenici VII. Hinc ex concilio Toletano XIII. si quis præter abbatis proprij voluntatem vagum, aut profugum fratrem in numerum suorum suscepisset, tenuisset, sustentasset, vel ad fugam induxisset, debebat retrudi per annum ad pœnitentiam. Vt hospes tamen recipi posset, sicut zonaras ad canones Nicænos, & S. Benedictus docet in regula: sic enim vaga mens fortasse stare disceret.

S. Greg. l. 1. epp. 39. 40.
A.D. 453. cã. 8
A D. 465. cã. 6
Can. 27. & 38.
A.D. 1090.
Can. 21. Item Trid. sess. 25. regul. c. 4.
A.D. 683. can. 11.
S. Bened. c. 61.

Abbatibus semper sua jura manserunt suos vagabundos castigandi ex concilio Turon. II. Si per semetipsos id implere nequeant, succurrere debet auxilium episcopale, quod sub custodia eos tamquam fugaces revocare potest, ut habetur in concilio Aurelian. I. Toletanum IV. episcopis absolutum jus tradit in vagos, vt videas jura numquam favere his erroribus, nisi quod velint eos à suis recipi, aut in alia cœnobia de concilio Ordinarij ablegari. Quin nec abbatibus longius vagari licitum est absque licentia episcopi, à quo puniri etiam ea de causa possunt, sicut imperat concilium Arelat. V.

A.D. 567. can 16.
A.D. 511. can. 21.
A.D. 633. can. 52.
Salisburg. cõcil. A.D. 1281. c. 7.
A.D. 554. c. 3.

Quoniam verò contingere potest, ut abbatum culpa religiosi vagentur extra claustra, statutum est in concilio Rhemensi, vt monachi & canonici pleniter consilium haberent, qualiter Deo militare, animásque eorum melius valerent custodire, ne propter aliquam necessitatem tenerentur vagari, & inter ipsos propter hoc locus tentandi daretur diabolo. In concilio Eboracensi dicitur: Exigit professio religiosæ sanctitatis, vt monachi & canonici regulares & moniales religiosè & regu-

A.D. 813. c. 25
A.D. 1197.

& regulariter conversentur. Vt ergo eis adimatur opportunitas evagandi, prohibemus ne redditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant: nec iter peregrinationis arripiant: nec extra monasteria sine certa & rationabili causa; nec absq; societate, cujus certa sit honestas, & indubitata proficiscantur.

Sup. Deniq; Tridentinum religiosos in studijs & Academijs nec inter sæculares vult habitare, sed in quodam conventu. Tam sollic̄iti SS. PP. fuêre, ne religiosi mores sæculares imbiberent, aut à mundo, quem deseruerunt, inquinarentur.

Vis ut veniam ad arctiora, seu altiora? Majores nostri decreverunt religiosum extra cœnobium nec pedem efferre debere, nisi de Superioris licentia. Hoc te docebit Concilium Aquisgran. pro canonicis regularibus; hoc synodus Augustana tempore S. Vdalrici; hoc concilium Oxoniense dicens: *Nec viris, nec mulieribus religiosis absque Superioris licentia egredi liceat septa domus: nec sine certa & honesta causa egrediendi eis licentia concedatur; ita tamen, quod nulli claustralium causa orationis, aut visitandi parentes pateat aditus exeundi, nisi talis fortè fuerit, de quo nihil sinistrum possit quis aut debeat meritò suspicari, qui semper habeat collegam, & quoties taliter licentia exeundi indulgeatur, certus dies eidem præfigatur, in quo redeat.*

A. D. 816. c. 145

A. D. 952.

A. D. 1222.

A. D. 817. c. 15 Odi Josippe religiosos sine socio euntes. Pridem pro Benedictinis Aquisgrani statutum est: *Ne soli sine fratre in viam emitterentur.* Amara sententia S. Thomæ Aquinatis est: *Monachum solivagum esse solitarium dæmonem.* Nostra statuta nec in parochijs nos esse sinunt absq; socio, congruenter concilio Lateran. sub Alexandro III. quo dicitur: *Monachi non singuli per villas & oppida, seu ad quascumque parochiales ponantur ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant: nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se.* Vtinam non innumerabiles ita perijssent. Quid crebra loquatur experientia pudet recordari, nedum scribere.

Lib. 7. vitt. PP. Ouid. c. 16

A. D. 1179. c. 10. & in concil. London. A. D. 1200. c. ult.

Eccle. 4.



EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA XLIV.

De Peregrinantibus Religioſis.

TRia ſolent inducere religioſos ad peregrinationes, devotio, neceſſitas, & curioſitas. Peregrinari ex curioſitate vagari eſt, & in Eboracenſi concilio prohibitum, ut nuper tibi ſcripſi. Cauſa pietatis peregrinationes ſuſcipere maximè longiores religioſis ſuadere non poſſum, niſi moveantur à Spiritu ſancto, & adſit licentia Prælati, ejuſque benedictio. Concilij Pariſienſis decretum eſt, ne monachi ſine conſenſu abbatis Romam eant. Lambertúſque inſignis hiſtoricus & monachus Hirsfeldenſis ait ſe peregrinationem ſuſcepiſſe Hieroſolymam, zelo quidem Dei, ſed utinam, addit, ſecundum ſcientiam: ſine licentia enim & benedictione abbatis abierat.

A.D. 756. c. 10. Lamb. Schaffn. chron. A. D. 1058.

Joſippe, *non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudabile eſt.* Sæpe cælum non animum mutant, qui trans mare currunt. Non ignota tibi ſententia noſtri Kempenſis eſt: *Qui multum peregrinantur, rarò ſanctificantur.* Tempore S. Gregorij Nyſſeni monachi & moniales crebras ſuſcipiebant peregrinationes Hieroſolymam. De quo rogatus Gregorius quid ſentiret? reſpondit: Cum religioſi omnes actus ſuos ad regulam Evangelij metiri debeant; in quo tamen nuſquam cum ſit, ut monachi proficiſcantur Hieroſolymam, ea propter illas profectiones eſſe extra monachorum regulam. Adjungit præterea impoſſibile eſſe, ut per tantam viam mens non diſtrahatur; ſenſus non per objecta diverſa corrumpantur, & virgines tantum iter conficiant abſque comitatu & auxilio virorum, quæ omnia eſſe è diametro oppoſita vitæ religioſæ. Et *quomodo fieri poteſt,* ait, *ut per fumum incedas, nec oculis lædaris?* Per tot hoſpitia, per tot provincias, per tot pericula, viſus & auditus ſubinde diſtrahitur, & inquinatur.

Th. Kemp. l. 1. imit. c. 23.

S. Greg. Nyſſen. t. 2. ep. fin.

Petrum eremitam, cujus partim ductu, partim conſilio terra ſancta à noſtris capta eſt, vituperare non poſſum: Abbates verò qui inter milites cruce ſe ſignari, relictis ovibus cum ovilibus, voluerant, neſcio cur laudem? Denique mona-

Robert. monach. de expedit. in Syriam l. 7. A.D. 1095. Idem l. 8. & Dodechin. A. D. 1096.

chos subditos, sed cruce signatos etiam irrideo, & tamquam pisces extra aquam intueor. Brocardus aliquem fructum peregrinationis tulit, utrùm ut Dodechinus ignoro. Temporibus Salviani episcopi solebant monachi de Ægypti cœnobijs, de sacris item locis Hierosolymæ, & de sanctis eremi venerandisque secretis Carthaginem officio divini operis accedere, zelo in speciem bono, sed utrum secundum scientiam, judicet alius. S. Gregorio displicet ire Hierosolymam, quanto magis Hierosolymâ Carthaginem? Quamobrem nisi manifestos fructus ex similibus peregrinationibus colligam, non laudo, quia potius ex tepore ac curiositate, quàm à Spiritu sancto sunt: Iverit S. Paulinus singulis annis Romam: iverit Severus etiam frequentius per annum ad S. Martini reliquias; ad imitationem te trahi nolo, nisi spiritum Paulini, & sanctitatem Severi habeas. Quod Cassianus relicto Bethleemitico cœnobio de voluntate majorum causâ profectus spiritualis Ægypti & Thebaidis monasteria & eremos inspirante Deo lustraverit, ex fructu patet collationum quas inde scripsit. Eodem spiritu & fructu quamplures monachi peregrinationibus susceptis converterunt multas gentes, quem zelum si in te verè senseris, me non obstante, ibis ad Turcas & Indos.

Brocard. in descript. terræ sanctæ. Dodech. A.D. 1147. Salvian. l. 8. de gubernat. Dei

S. Paulin. ep. 2 ad Victricium. Idem ep. 13. ad Sever.

Cassian. t. collat. 11. c. 1. & 5.

Denique necessitas suadere poterit peregrinationes. Sic S. Gregorius Nyssenus urgente necessitate concessit in Arabiam, & Hierosolymam, ut ecclesiæ perturbatum ibi statum sedaret. Et necessitas cœnobiorum quò non sæpe trahit Prælatos & fratres? Sed hîc oportet meminisse S. Benedicti, monentis ut itinerantes religiosi horas statutas pro opere Dei diligenter observent, & ubi domum redierint nihil referant fratribus eorum quæ audierunt, & viderunt. Religiosissimè S. Nyssenus ait, in via sibi & comitibus Episcopis vehiculum pro monasterio & ecclesia fuisse, in quo per totum iter, inquit, cantavimus psalmos & jejunavimus. S. Gerardus ex monacho Episcopus, & martyr in Hungaria, cum à loco in locum proficisceretur, non equo, sed vehiculo utebatur, & libros, quos Spiritus sancti gratia composuerat, relegebat.

S. Greg. sup.

S. Bened. reg. c. 5. & 67.

Greg. sup.

Surius in vita t. v.

Certè equorum usum Sanctos semper declinasse in cunctis vitæ necessitatibus S. Basilius in Isaiam docet, qua de causa cum esset infirmior, & pedes ire nequiret, usus est vehiculo. S. Romualdus nobilem equum dono sibi datum à regis Sclavo-

S. Basil. in c. 2. Isaiæ fol. 879.

Petr. Dam. vitâ S. Romuald

niæ

Digitized by Google

niæ filio cum aſino permutavit. S.Franciſcum quoque lego non equo, ſed aſino vectum, ſiquando fatigabatur. Magnus præterea Athanaſius inter applauſum populi ſuper pullum ſedens intravit Alexandriam. Sanctúſque Cæleſtinus coronandus in Eccleſiæ monarcham cum omnia magnificè appararentur in equis & veſtibus, deſpiciens cuncta quaſi pannum menſtruatæ conſuetum ſibi aſellum ſterni & adduci mandavit, indignum reputans ſe vermiculum honorificentius ſedere, quàm cæli terræque Dominum, cum aſello vectus intraret Hieroſolymam. S.Bonifacius Ruſſorum Archiepiſcopus in locis ultramontanis, ubi aſinorum penuria eſt, equo quidem vehebatur, ſed nudis erat cruribus & plantis, quo factum, vt in locis frigidiſſimis algore vſque adeò cruciaretur, vt volens deſcendere non pedem à ſtapete diſiungeret, niſi aqua calida ſubveniret.

S.Bonau.in vita S.Franciſci. S. Greg. Naz. de S Athan. Bened. Gonó. vita S.Cæleſt. c.25. Petr. Damiā. ſup.


Verùm alia ſunt noſtra ſæcula, quibus non ſolemus pedeſtria facilè itinera conficere; nec aſinis utimur, aut equis ſtrigoſis, aut exiguis vehiculis. Omnia magnifica & ſplendida ſint oportet, etſi cenſus cœnobiorum non ita copioſus ſit. Hinc ubi divertimus, rara monſtramus exempla bonorum operum; cum tamen *monachus peregrinus debeat eſſe ſpeculum localibus monachis*, ut quidam dixit ſanctorum. Apud antiquos hoc fuit; vnde monachi peregrini à localibus ſuſcepti ſunt velut angeli; & quoniam ex itinere pedeſtri erant laſſi ac lutulenti, lavabant eis ſumma cum humanitate pedes, quod ita conſuetum erat, vt in clauſtris alternatim ſibi in hoc officio ſuccederent. Quod munus etiam tanti faciebant, vt *inter tria bonorabilia* primum cenſerent *S. Communionem; alterum, menſam; tertium peluim*, in qua fratrum pedes lavabantur: neque enim ſolis peregrinis, ſed etiam ſibimet mutuò hoc officium charitatis & humilitatis præſtabant. Atqui charitas hodie plerumque refrixit, & humilitas vixit,

Vale.

Pelag.l.10. n. 82. Metaphr. vita S.Ioan.Lycopol. & Iacobi erem. S.Ephr.paræn 1. & S. Baſil. ſerm. aſcet. & Caſſian.collat. 18. c. 11. S.Athan.ep. ad monachos fol. 658. Ioan.Subdiac. l. 1. fin. Ruffin.l.1.vitæ PP.c.2.&Roſweid.in append. n.60.



Digitized by Google



ANTIQVARII MONASTICI VESTIARIVM.

EPISTOLA XLV.

Vtrùm in cœnobiis debeat esse commune vestiarium.



MAlè vocatum est nomen tuum Joseph: Carpus dicendus esses; quia facillimè carpis quæcumque vides. Te nuper adstante reclusi cistulam meam, in qua cum vestiariolum meum inspexisses: *Hem*, inquiebas, παραβάτης *es*, *&* *transgressor tuæ regulæ.* Intellexi, quo collimares; nec aliud respondere potui, quàm, *Si toties monui quod debui, & repulsam semper passus sum; quid ultrà faciam?* Novi sine dubio vitæ re-
Act.4. ligiosæ originem ex apostolicis actibus, in quibus dicitur, *Erant eis omnia communia, & distribuebatur singulis*, non solum *prout*, sed etiam quoties *cuiq; opus erat.* At hoc vnde, nisi de
Act.6. communi cellario ac vestiario? Hinc illud ministerium viduarum quotidianum, quod quotidianum dici non posset, si semel pro semper, vel integro anno. Certè SS. PP. vitæ monasticæ propagatores, numquam plura pro singulis, sed vnum solum pro omnibus in monasterio esse vestiarium voluerunt. Esse-
Epist.13. norum utique recordaris: Hi omnem supellectilem, & quid-
vis

vis aliud in commune positum habebant. Et S. Basilius allu- S.Basil.serm.2 instit.
dens ad actus Apostolorum, ubi, inquit, plures ad idem vitæ sublimioris institutum convolant, hoc ipsis ante omnia statutum sit, vt in eis sit cor vnum, voluntas una, desiderium vnum, & juxta Apostolum vnum corpus è diversis membris. Quod sanè aliter fieri nequit, nisi & illud servetur firmiter, vt nullus suum quid esse dicat, neque vestimentum, neque vas, neq; quidquam aliud in communem vitam & vsum redactum. Et sicut majori corpori minus vestimentum haud congruit, & è diverso majus minori, sic vnicuiq; præbeatur quod aptum & congruum est. Et ita in ceteris quoq; omnibus, verbi gratia, lectus, stramenta, indumentum calidius, ac calceamentum nullius nisi vtentis esse debet: quemadmodum enim medicina non sanus, sed æger indiget, eodem modo refocillatio corporis concedatur indigenti, non luxurianti. Ad quam rem apertè decernit Idem de instit.mon.f.394
alibi, vt vnum omnibus sit commune vestiarium, quod vocat ἀποθήκην, repositorium, seu promptuarium, sic vt nihil dicatur proprium, non vestis, non calceamentum, non aliud quidquam corpori necessarium, sed sit in potestate Præfecti, vt ex eo, quod in commune redactum est, detur quod cuique aptum esse perspexerit.

Ex S. Basilio videtur esse locutus S. Augustinus in sua S.Aug.ep.109
regula: *Vestes vestras*, inquit, *in uno loco habete* sub vno custode, vel duobus, vel quotquot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur; vtrùm hoc recipiat vnusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen unicuiq;, quod opus est, non negetur. Tamen si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod posueratis; *in uno tamen loco, sub communibus custodibus habete quod ponitis.* Et cum voluisset etiam donata vel nostris manibus elaborata eò reponi, subdit: Nihil occultè accipiatur, sed sit in potestate præpositi, vt in commune redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.

Hanc legem suam S. Pater ad amussim servavit ipse: Ne- Serm. 50. de divers.
mo det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune. De communi accipiam mihi ipsi, cùm sciam commune me habere velle quidquid habeo. Frivola excusatio est nu-

Digitized by Google

merosiorem esse congregationem. S. Pater ait posse plures custodes, si vnus haud sufficiat, accipi: vel fiat quod factum apud Pachomianos, vbi quilibet Decanus pro sua decania suum habebat vestiarium: pro tanto enim numero fratrum non poterat esse satis amplum vnum conclave. S. Benedicti lex est: *Accipientes vestimenta nova, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes.* Et de susceptis novitijs: *Vestes suas in vestiarium ponant, recipiant alias de monasterio.*

Cassian. l.4. instit. c.10.

S. Bened. reg. c. 55. & 58.

A. D. 1222. Pulcherrimè concilium Oxoniense. Vt caveantur insidiæ dæmonis, inquit, monachi, & canonici regulares, & moniales, in vno refectorio simul edant, nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur: nec singulis eorum denarij, pro vestibus tribuantur; sed talia per certas personas ad hæc deputatas, puta Camerarios, vel Camerarias diligenter expediantur, qui vt quilibet indiguerit, & facultas domus sustinuerit eis indumenta ministrent. Et cum eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in vsus pauperum, vel alias necessitates de consilio abbatis, vel Priorissæ, vel Abbatissæ, vel Prioris convertantur. Camerario autem vel Camerariæ non liceat aliquid recipere, alioquin Camerarius ab officio deponatur, & monachus seu canonicus, vel monialis anno illo novis careat indumentis.

Sincerè Josippe sic habe, quod vbi religiosis in annum certa pecunia in amictum datur, vel vestes in annum pro semel & semper distribuuntur, vitium proprietatis facillimè sese insinuet, dum Meum ac Tuum pro foribus stat. Sic quoque vestes detritæ, aut omnino non, aut pro arbitrio dantur egentibus contra canonem S. Basilij dicentem, *Dare & accipere non cujusvis est, sed ejus qui cum probatione dispensationem sibi commissam habet.* Quare sive vetus, sive novum, hic juxta proprium singulorum tempus & dabit, & suscipiet. Et infrà: Etsi nudus sit qui petit, jam semel dictum est, quod dare aut accipere non cujusvis sit, sed ejus cui cum probatione talis dispensatio commissa est. Et servetur hoc, Vnusquisque in quo vocatus est, in eo maneat. Quod si quis privatim pauperi aliquid largiatur, eum tamquam corruptorem boni Ordinis vult castigari.

S. Basil. reg. breu. q. 87.

q. 91.

1. Cor. 7.

q. 100.

Non curo hic distinctiunculas, Esse rem levem, & tacitum consensum Prælati. Terret me exemplum P. Bonaventuræ Capucini, qui in extremo agone gravissimè accusatus est à

Bover. in annal. A.D. 1580

dæmo-

dæmone, quod absq; licentia cuidam familiari duo strophiola donaverit. Qua de causa tamquam reus proprietatis vix evasit æternæ damnationis sententiam. Eleemosyna quæ laicum salvat privatum religiosum condemnat.

EPISTOLA XLVI.

An vestis pulla sit propria monachorum.



I scires essentialem nostrum habitum esse vestem candidam seu lineam, non meam atram tunicam, vt monachicam, perstrinxisses nuper. An existimas omnes esse monachos, qui nigris vestiuntur? Memento Jesuitarum, & clericorum sæcularium. Si credis antiquitati, principio clerici & monachi cum omni populo Christiano gaudebant veste candida, congruenter Scripturæ dicenti, *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Ad quem locum Sanctus Hieronymus. *Candidis vestibus ornatus incede.* Et: *Populus peccator in vestibus fuscis luxisse describitur: tu autem induere lucem.* Hinc cum Sisinnium episcopum quispiam rogaret, *Ecquid assidue veste candida uteretur?* respondit: *Tu prius dicito ubi præceptum sit atram vestem indui oportere?* Quo hæsitante subjecit Episcopus: Tu quidem istud ostendere non poteris: mihi verò Salomon sapientissimus præcepit inquiens, Sint vestimenta tua semper candida. Vis majus hoc testimonium? Produco Clementem Alexandrinum, imò Christum. *Pædagogus noster*, inquit, nempe Christus, *concedit nobis uti veste vili, colore albâ, ne arte in varias dispersa colores vanitatem inducat. Et sanè sicut militi, nautæ, & præfecto sua cuique stola est propria, sic & viro studioso temperantiæ vestis esse debet simplex, incuriosa, munda, & corpori rectè adaptata. Placet & Platoni candida: hic enim color morum honestati congruit, texturáque tincta ad ornamentum militiæ ableganda est. Pacificis itaque & illuminatis album convenit; moresq; nostros qualitas vestium ostendere debet: pura siquidem & simplex continentia Christiana est.* Deniq; interna quoq; lætitia de redemptione Christi populo Christiano suadere potuit amictum candidum: nam teste Josepho *vestitus albus lætantium est*, vnde &

Eccli. 9.

Sozom. l. 8. hist. eccl. c. 1.

Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 11.

Ioseph. l. 11. antiq. c. ult.

Digitized by Google

Ioan. 20. de & angeli post resurrectionem Domini ad sepulcrum in albis consedisse leguntur: Romaniq; eodem vtebantur.

Gell.l.3.noct. c.4. S. Hierou.ep. 34. Duravit hic color, extra casum luctus, in plebe Christiana vsq; ad S. Hieronymi tempora. Hinc illa ejus in osores monachorum invectio: *Si tunica non canduerit, statim illud è trivio, Impostor & Græcus est.* Immò in hodiernum vsq; diem dum baptizamur amicimur veste candida in signum candidæ mentis atq; innocentiæ.

Et quamvis à SS. PP. monachi semper inter philosophos recensiti sint; nec sic tamen alba vestis ab ipsorum proposito abhorrebat. Platonem jam audisti: Essæi quomodo vsum candidarum vestium in pretio habuerint alio loco tibi indicavi. Accedit auctoritas etiam S. Gregorij Nazianzeni, qui postquam S. Heronem monachum & Confessorem habitu albo incedentem dixerat ferre habitum alienum à philosophiæ & monachorum statu, subjunxit, *Fortè tamen haud alienum: vestium enim candor & splendor angelicus est, cum in corporibus efformantur, quo indicatur ipsorum nativa puritas.*

Epist.13.

S.Greg. Naz. orat. 23.

Clerus Hieronymiano ævo ferme non amplius vtebatur tunica alba, vti nec nigra. Hinc Nepotianum instruit, *Vestes pullas,* inquit, *æquè devita vt candidas.* Opinione Baronij ergo gestabat colorem castaneum, ac violaceum. Habitum nigrum postmodo putat irruisse in clerum, cum monachi passim sacros Ordines reciperent, & allegarentur in clerum & episcopos, vbi canones sacri eis prohibebant mutationem habitus monastici, qui tunc niger erat, vti habes in concilio Oecumen. VIII. A.D. 869. *Nullus audeat suum illum habitum & stolam monachicorum indumentorum superbè & temerè deponere, ne professionis suæ prævaricator inveniatur. Quod siquis episcopus monasticam vestem abjecerit, vel corrigatur, vel deponatur.* Cum tot igitur in clero monachi essent nigris induti tunicis, reliqui facilè in eumdem colorem inducti sunt, maximè, quod nigra indumenta purius ac facilius servari ac comparari queant. Hinc & nos canonici regulares hoc in itinere colore vtimur, etsi domi in candidis simus, quia vestes albæ facillimè in negocijs externis sordidantur.

S. Hierō.ep.2.

Barō.A.D.57.

Si causas quæris, quibus monachi albis depositis tunicas nigras assumpserint, ita communiter, vt habitus ater tessera monachismi quondam extiterit, earum tres tibi affero. Nosti impri-

Digitized by Google

imprimis vitam monasticam jam olim habitam esse pro vita vere philosophica: cùm verò philosophi veteres incederent in tunicis & palliolis nigris, traxerunt nostros in imitationem. Hinc illud scomma vulgi apud S. Hieron. *Si tunica non candicerit, Græcus,* hoc est, philosophus *est, & impostor.* Deinde cum primi monachi tam arduum vitæ genus ducerent, successores ipsorum tantam austeritatem suscipere voluerunt, vt & commissa peccata deflerent, & condignam de ijs pœnitudinem agerent: scimus autem tam lugentium, quàm pœnitentium in Ecclesia semper fuisse pullis indumentis vestiri, idcirco, vt etiam monachi illis annumerarentur, atrum habitum præ albo gestare maluerunt. Certè S. Cyprianus lugentium vestes atras fuisse [S. Cyprian. l. de mortal.] scribit, & S. Basilius eumdem habitum esse dicit monachorum ac pœnitentium, [S. Basil. ep. 1. ad Greg.] quem nigrum extitisse ostendit concilium Compendij celebratum, annaléſq; regum Franciæ. [A.D. 833.] Et quis accomodatior color pro lugentibus ac pœnitentibus inveniri posset, quàm niger & obscurus?

Atq; has ob causas pullus color olim apud monachos sic [Bened. Gonõ. in vita S. Cælest. c. 1.] invaluit, vt esset indicium monachismi. quemadmodum legimus in vita S. Cælestini, qui prodijt ex matre indutus pellicula subnigra, quæ significabat ejus futuram vitam monachicam. Monachi quoq; inde dicerentur μελανειμονες, hoc est pullati, vt habes in concilio Constantinopol. A. D. 692. canone 42. S. Hieronymus insuper per pullam, furvámq; tunicam cum nigro pallio describit monachum. [S. Hierõ. ep. 4. 9. 22. 23.] Et dum Salvinæ monachismum in medium afferre cupit, aliud nil dicit, quàm quod marito defuncto vestes candidas mutarit in pullam tunicam, & auratos succos in nigros calceolos. Asellam deniq; tunicam fusciorem induisse, ac se repentè Domino consecrasse. [ep. 13.] Et numquid ex Sulpitio cognovisti S. Martinum amictum fuisse nigro pallio, [Sulpit. 3. dial. c. 4.] quod idem de S. Fulgentio ejus discipulus tradit? [Vita S. Fulgẽt.] Si concilium Foroliviense audire desideras, illud indicat nigram vestem antiquitus semper fuisse signum continentiæ, [A. D. 791.] statúsq; monachici. Vnde S. Gregor. Naz. [S. Greg. carm. 59.]


- - - - - *Pullatáque vestis*
Composité extremos fertur ad usque pedes.

De S. Honofrio monacho legimus, quod vestem monasticam alba texerit. Et Metaphrastes in vita Galactionis & Epistemes [Metaphr. vita S. Galact. c. 13] narrat: *Vnus chorus habebat viros honestos, & veste nigra indu-*

Digitized by Google

tos, qui esse dicuntur, qui se à mundo separant, id est monachi.
S. Athan. de Virgin. Denique S. Athanasius sanctimonialem erudiens ait, *Niger tibi sit ependytes.* Atq; ab hoc nigro habitu monachi ab Iconomachis appellati sunt *Tenebricosi,* ipsorúmq; habitus *Vestis tenebrarum, & amictus tenebrosus, vel indumentum tenebrarum.*
In vita S. Steph. Auxentiani. Cujus etiam coloris tanto tenebantur odio, vt suspectus ipsis esset etiam laicus, qui eo in vestibus vtebatur.

Quod autem posterioribus sæculis nomenclatura *Monachorum nigrorum* in Occidente emerserit, qua Benedictini nominabantur, nihil adimit antiquitati. Introductis enim varijs religiosorum Ordinibus promptum erat introducentibus variare colorem vestium multis de causis, cùm antè dixerimus, monachismum non in atra veste consistere. Sic in epistolis Alexandri III. legimus *nigros & albos monachos.*
Ad fin. conc. Later. p. 13. c. 3. Sed hoc instituti mei non est, qui solùm de priscis ago, quorum habitus vt extremè niger esset, non erat necesse. Sufficiebat subniger, fuscus, & mustellinus, quem φαιὸν Græci dicunt, estq; ex albo & nigro permixtus, vt Alexander Aphrodis. docet.
Alexand. l. 1. probl. Hinc S. Gregorius Nazianzenus φαιὸν ἢ μέλαν τριβώνιον, palliolum fuscum, aut nigrum proprium esse dicit vitæ monasticæ,
S. Greg. Naz. orat. 14. sanctusq; Gregorius Nyssenus sororem suam S. Macrinam φαιὸν ἱμάτιον, pallium subnigrum habuisse scribit.
S. Greg. Nyssen. de S. Macrina. Postremò B. Asterius Amaseæ Episcopus tradit S. Euphemiam consecratam Virginem & Martyrem philosophicum suum institutum significasse ἐν φαιῷ χιτῶνι καὶ ἱματίῳ in fusca tunica & pallio.
Act. 16. 4. Cóc. Nicæn. II. Et Synesius dum Joannis monachi sacram professionē indicat, ait eum φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαι, lacernam subnigram seu nigricantem amplecti.
Synes. ep. 146. Sed opinor monachos non de industria hunc medium colorem semper quæsivisse, cum oriatur sponte ex longo vsu ac detritione nigrarum vestium. Et quid mirum si nigredo in terris tandem quid lucis acquirat, cùm dicat Tertullianus indumenta monialium, & eorum qui se castraverunt propter regna cælorum, quæ hîc nigra esse ostendimus, in cælo fore penitus alba? Rectè; quia nigredo locum non habet, nisi vbi luctus ac pœnitentia est.
Tertull. l. de resurr. carn. c. 27.



EPISTO-

EPITSOLA XLVII.

An habitus religiosus olim collatus fuerit ante Professionem.

NOta tibi, Josippe, nostri temporis consuetudo est. Qui relicto sæculo ingrediuntur cœnobium, transactis diebus aliquot, quibus locum, disciplinam ac fratres cognosse possunt, habitum sanctum, deposito sæculari, suscipiunt, qui nunc idem, nunc paulò diversus est ab habitu Professorum, atque in illo novitiatum ex præscripto concilij Tridentini absolvunt. Ante quadringentos annos idipsum in more erat per Angliam, tam apud monachos, quàm monachas, & regulares canonicos. S. Joannes Gualbertus, cum monachi patris ejus iram timentes habitum ei conferre non auderent, arrepto à fratre cucullo eum sibiipsi imposuit, séq; inter monachos constituit.

Trid. Session. 25. de regul. c. 15. Concil. Londō. A.D. 1237. Blasius Meliā. vitā S. Gualbert.

Res apud antiquiores aliter disposita erat. Novitij probabantur in habitu sæculari, quem ante professionem non deponebant, quo factum est, vt qui semel sacrum habitum induisset, absq; sacrilegio ad sæculum redire non potuerit. Perinde enim erat, habitum monasticum induere, ac professionem facere, & monachum effici. Si hujus rei testimonia quæris, habes ante omnia concilium Aquisgran. ante octingentos annos celebratum. *Ipse vero*, scilicet novitius, inquit, *non tondeatur, nec vestimenta pristina mutet, priusquam obedientiam promittat.* Conforme hoc regulæ S. Benedicti est, qua dicitur, vt vestes sæculares ante professionem non deponantur, nec aliæ de monasterio accipiantur, nisi facta prius professione, quâ peractâ vult vt novus monachus vestes suas in vestiarium ponat, vt si aliquando suadente diabolo consenserit, vt egrediatur de monasterio, tunc exutus rebus monasterij projiciatur. Quod vtiq; S. P. de novitio non dicit, qui sæpe justis de causis exit, & habitum deponit.

Concil. Aquisgrā. A.D. 817. c. 34. S. Bened. reg. c. 58.

Allusit autem S. Benedictus, nisi fallor, ad institutum Pachomianorum, secundum quod, Cassiano teste, habitus monasticus indeponibilis erat extra casum pœnalis expulsionis, & fugæ sacrilegæ. Vnde etiam in Concilio Tolet. VI. jubentur

Cassian. l. 4. instit. c. 6. A.D. 638. can. 6.

redire ad propositum, siqui viri, vel mulieres habitu religioso semel induti ad sæculum regressi sint. In quam rem à Gratiano affertur alterius concilij Toletani canon dicens: *Si quæ vidua vel puella religiosum habitum in domibus suis mutantes nubunt, maneant suspensæ à communione.* Novitio verò licet absq; nota susceptum habitum deponere. Nisi dicas in locis allegatis sermonem esse de habitu professorum. Sed firmè credito in antiquitate non fuisse discrimen inter habitum professi & novitij, quàm quod hic sæcularis, ille fuerit regularis. Vnde Romæ sub Gregorio magno decisum est, ut qui è servitute juris ecclesiastici, vel sæcularis militiæ ad Dei servitium, quod vita monastica est, converti desiderat, probaretur prius in laico habitu constitutus, & si mores ejus atq; conversatio bono desiderio ejus testimonium ferunt, absq; retractatione servire in monasterio omnipotenti Deo permitteretur.

27.q.1. apud Binium ad Tolet. I.

Conc. Rom. A.D. 595.

In concilio Tolet. X. expressè statuitur, vt viduæ non prius, quâm facta professione religiosam vestem suscipiant, postquam ad sacratissimam sanctionem disciplina sanctior eas teneat religatas atque subnexas. Idipsum cum sacris Virginibus fuisse observatum, ex S. Ambrosio novimus. Loquens enim de S. sorore sua, *In festo,* inquit, *nativitatis Christi & virginitatis professionem vestis quoque mutatione signavit.* Et quid multa? Recurre ad epistolam, qua dixi, Quemdam sanctorum vidisse, eam stare virtutem super vestimentum monachi, quando accipit habitum sacrum, quam viderat stare super baptisma. Nemo comparat sacrum baptisma cum novitiatu, sed cum professione. Nec novitius verè monachus aut religiosus dici potest. Inde Daniel stylita verissimè monachus effectus est cum ei abbas contulit habitum statim vt ad monasterium venit. Sicut & ille de quo S. Ephraim, Post aliquot tempus, à quo sæculum reliquit, curavit senex sumere sanctum habitum: nam illis temporibus novitij in veste sua sæculari probabantur, vt ex eodem S. P. agnoscitur dicente, *Novitij nondum assecuti sunt habitum, & suam arrogantiam ostendunt.* Sed

A.D. 656. can. 4.

S. Ambros. l. 3. Virg.


Epist. 4.

Metaphr. vita S. Danielis.

S. Ephr. paræn. 28.

Idem serm. advers. vitiosè viventes.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.



EPIS-

EPISTOLA XLVIII.

Vtrùm Rectores religiosorum possint splendidius vestiri.



QVid prætextus honestatis dicat & jus confictum, non curo. Exempla sanctorum quæro & doctrinam ipsorum. Hæc nihil admittunt splendidius, nihil sumptuosius Prælatis à suis fratribus. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Eccli. 32. Primi monachorum Superiores jurejurando firmaverunt, se neq; veste, neq; cultu vllo subjectos superaturos. Epist. 13. Nihil ita conciliat amorem apud subditos. In Aquisgran. concilio generale edictum exijt, vt abbates Ordinis S. Benedicti in veste, potu, & cibo, non excederent monachos. A.D.817.c.25 Summè necessaria hæc illis tunc temporis regula erat, sed utinam servata. Audio enim lamenta S. Bernardi. Quid adhuc vivo, inquit, videre ad id devenisse ordinem nostrum? S. Bern. apol. ad Wilh. abba. Inter primos monachos dividebatur singulis prout cuiq; opus erat: Act. 4. non igitur quod quisque pueriliter gestire poterat. Sanè vbi tantum quid opus erat accipiebatur, ibi nihil procul dubio ociosum admittebatur. Quanto magis nihil curiosum? quanto magis nihil superbum? Quod, inquit, opus erat. Hoc est quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Putásne ibi cuiquam Galabrunum, aut Issembrunum quærebatur ad induendum? cuiquam ducentorum solidorum mula parabatur ad equitandum? Putásne, inquam, cujuspiam ibi lectulum opertorium cattinum, aut discolor barricanus operiebat, vbi singulis dividebatur tantum, prout cuique opus erat? Non illic arbitror valde curatum fuisse de pretio, de colore, de cultu vestimentorum, vbi tam indefessum studium inerat in concordia morum, animorum cohærentia, profectúq; virtutum. Multitudinis, inquit, credentium erat cor vnum, & anima vna. Vbi nunc illud unanimitatis exercitium? Fusi sumus exterius, & de regno Dei quod intra nos est, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus & insanijs falsis, ac jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Quomodo lux mundi obtenebrata

est? quomodo sal terræ infatuatum est? Quorum nobis vita via vitæ debuisset esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt, duces cæcorum.

Quod enim (vt cetera taceam) specimen humilitatis est, cum tanta pompa & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequijs, quatenus duobus Episcopis vnius abbatis multitudo sufficiat. Mentior, si non vidi abbatem sexaginta equos, & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas si videas eos transeuntes non patres esse monachorum, sed dominos castellorum: non rectores animarum, sed principes provinciarum. Tum deinde gestari jubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra & manticæ suffarcinatæ non stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix deniq; quattuor leucis à sua quisq; domo recedit, nisi cum tota sua supellectili, tamquam sit vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, vbi non valeant inveniri necessaria. An non posset eodem vasculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi? An non posset ardens lucere lucerna, nisi in tuo quod portas candelabro, & hoc aureo vel argenteo? An non posset dormire, nisi super varium stratum, aut sub peregrino coopertorio? An non vnus aliquis minister posset & jumentum ligare, & ad mensam servire, & lectulum præparare?

Vides quàm necessarium fuerit abbates ad suorum fratrum æqualitatem retrahere? Qui Christi exemplum clarius inspexerunt, etsi Abbatum, Prælatorum, immo & Pontificum titulis ornati essent; minimè tamen excedere suos voluerunt, sive in amictu, sive in victu. Nosti quid S. Norberto Magdeburgi contigerit, cum ad Archiepiscopatum raptus ab aulicis duceretur in palatium episcopale? Vir tantus, & sui totius Ordinis rector tam viliter amictus incedebat, vt janitor Episcopij existimans esse hominem trivialem, nihilq; negotij habentem inter proceres, eum injecta manu indignabundus retraxerit. S. Grego. l. 1. dial. c. 4. S. Equitius multorum monachorum pater tam vilibus indumentis vestitus erat, vt siquis illum non agnovisset, salutatus etiam resalutare despiceret. Si ad remotiora loca iter erat, jumentum omnium despicabilissimum accipiebat. Pellis veruecina sella ejus, & frenum capistrum erat. Vestis S. Martini de setis S. Aug. serm. 50. de divers. camelorum, S. Basilij pilosi fuerunt centunculi, in quibus etiam mendicus erubesceret. Doctor Africanus, S. pater noster de suo

vestitu

Digitized by Google

vestitu ait: *Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo, ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune. Vendo & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat vt ego habeam talem, det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco; quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos.*

Audiant antistites. Augustinus Episcopus & Ecclesiæ magister erubescit de veste pretiosa tamquam contraria suæ professionis; nec alia indui vult, quàm quali vtebantur clerici sui. Si etiam dono offerebatur melior, distraxit, & precium erogavit pauperibus, qua in re occurrit mihi memoria S. Joannis eleemosynarij Patriarchæ Alexandrini ex monacho. Qui inter cetera bona arripuit & hoc, quod in infimo stratu recumberet, & vilibus operimentis in cellula sua operiretur. Quod cum audisset quidam possessorum Alexandrinæ civitatis, ascendens ad eum, & videns quod opertorio scisso & laneo tegeretur, transmisit ei coopertorium numismatum triginta sex rogans multum eum, vt eo cooperiretur ad memoriam, inquit, mittentis. Ille verò hoc suscipiens, propter multam viri postulationem coopertus est hoc vna nocte, per totam penè noctem dicebat ad semetipsum, vt recitabant cubicularij ejus: Quis dicet, quod humilis Joannes (habebat enim semper verbum illud in ore) pallio triginta sex numismatum tegatur, & fratres Christi frigore necentur? Quanti sunt modò qui dentibus strident præ glacie? quanti sunt modò qui psiathium habentes subtus dimidium, & suprà dimidium, & non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt vt glomus trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucerna habentes duplicem cruciatum tam ex frigore, quàm ex jejunio? Quanti desiderant saturari de folijs olerum, quæ projiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suum in zemate quod projiciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorari vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in civitate ista in hac hora peregrini non habentes vbi hospitentur, & in foro jacent, fortasse & pluvia madefacti? Quanti, putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum? Quanti sunt, qui non habent vestimentum in æstate, & alterum in hieme, & ita miserijs

Leont. vita S. Ioan.

Digitized by Google

miserijs affliguntur? Tu verò expectas etiam æternam jucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes devoras, & in cubiculis demoraris: modò autem cum omnibus malis & in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis? Veraciter ita vivens, & in tali laxatione conversans non expectabis illic præparatis gaudijs frui, sed audies vtiq; quod & dives ille audivit: *Recepisti bona in vita tua, pauperes verò mala: nunc ergo consolantur, tu verò cruciaris.* Benedictus Devs, humilis Joannes alia nocte non cooperietur illa. Justum est enim & bene acceptum Deo, vt tegantnr potius centum quadraginta quattuor fratres & domini tui, quàm tu infelix. Venumdabantur enim quattuor rachanellæ, hoc est crassiores tunicellæ in vsum pauperum numismate vno. Mox ergo transmisit illud in crastinum vt venumdaretur.

Magnum speculum Prælatorum in hoc exemplo Josippe est. Nec dubito multos fuisse, qui ex hoc suos mores formaverint, & vilitatem vestimentorum dilexerint. Vidi ipse magni nominis abbates, & Imperij principes, qui in habitu nihil splendidum, nihil à suis fratribus habuerunt singulare. Eadem materia, eadem compositio & forma erat, nec erubescebant de cucullis & capucijs, etsi riderentur ab hæreticis, gnari tanto pretiosiorem coram Deo vestem esse, quanto contemptibilior est coram hujus mundi hominibus. Atq; hinc antiqui suas cucullas præ ceteris vestimentis magni fecerunt, quia majorem præferunt humilitatem.

Vita S. Steph. jun. Eas per excellentiam appellare solebant *rem & indumenti genus pretiosum*. S. Stephanus junior cum cucullam deponere præpararet ab iconomachis ad mortem ducendus, patres eum cohibebant, negantes convenire, vt sine *pretioso hoc indumenti genere* dierum suorum finem videret. Ad quos divinitus afflatus vir ille: *Athletam,* inquit, *nudum decet luctari; ac præterea ne æquum quidem est pretiosam hanc rem à furente populo contumelia affici, ac pedibus conculcari.* Itaq; cucullam quoq; exuit, ac cum pelliceo dumtaxat pallio vnà cum monachis sedebat.

In vita ipsius. Bercoldus primus hujus nominis abbas Garstensis in Austria tanti suam cucullam fecit, vt absq; ea nec dormire vellet. Bover. annal. Capuc. A. D. 1579. Et revera magni faciendam esse S. Franciscus priori sæculo ostendit, cum fratri cuidam communiter alijs meditantibus dormienti

dormienti in somno aliquando appareret, & gladio caputium tamquam pretiosissimam partem habitus monastici præscindere moliretur. Qua re frater territus amisisset caputium, nisi magnis gemitibus B. Virginem inclamasset, & seriam emendationem esset pollicitus.

Arbitraberis me à linea declinare, dum per singula monstrare debeam Prælatorum & Conventus habitum communem esse oportere. Non declino Josippe; dum enim humilitatem vestium in monachis approbo, abbates ad germanum monachorum habitum, qui ex natura sua humilitatem spirare debet, non autem vanitatem, reduco, vt fiat in tota congregatione vniformitas. Communiter enim fit vt fratres viliùs vestiantur, Prælati splendidiùs, quia potius attendunt ad homines, quàm ad Devm. Apud quem quanta in æstimatione sit pauperculus religiosorum habitus miracula demonstrant. Cuculla S. Simeonis Stylitæ erat pellis ovilla, & curabat omnia mala, idcirco eam Imperatori dono misit. S. Goaris cuculla radio solis tamquam clavo adhæsit, ne scilicet res tam pretiosa in humum deflueret, & pulverem contraheret. S. Cælestinus sui Ordinis summus rector cum in concilio Lugdunensi coram summo Pontifice celebraturus cucullum exuisset sacris vestibus induendus, is remansit in aëre suspensus, quod fere contigit birro S. Deicolæ abbatis: nam cum eum refrigerandi causa exuisset, suspendit ad radium solarem per duas vel tres horas putans esse trabem. Deniq; S. Clodoaldi cucullus, quem nihil aliud habens pauperi donavit, sequenti nocte ingenti lumine coruscans apparuit. Et hodie cucullas contemnimus, & vix in monasterijs gestamus.

Metaphr. vita S. Daniel.

Wandelbert. in vita.

Ben. Gonon. vitâ c. 20.

Vinc. Bellou. l. 3. vitt. PP. Occid.

In vita l. 4. vitt. PP. Ouid

Melota S. Benedicti tanti abbatis quantæ non virtutis fuit? Placidus ejus discipulus prolapsus erat in aquas, & cum in summo jam versaretur periculo Maurus siccis vestigijs super vndas currens condiscipulum extraxit. Erat ambiguum Mauro an B. Patri adscriberetur tam prodigiosus effectus, & accessit Placidus dicens: Ego cum ex aqua extraherer, super caput meum videbam abbatis melotem, & illum me educere ex vndis. Palliolum & baculus S. Senulphi abbatis toti succurrit imperio. Cum enim bellum Theodosio juniori immineret, misit ad Theophilum Alexandrinum patriarcham petens ad se destinari de Sceti Senulphũ abbatem virum sanctitate conspicuum, quò

S. Gregor. l. 1. dial.

Metaph. vita SS. Ioann. & Cyri. 31. Ian.

ejus præſentia in conflictu juvaretur. Cum vir ſanctus diu reluctaretur tandem converſus ad ortum ſolis rogavit omnipotentem Devm, vt ſuo palliolo & baculo eam virtutem conferret, quam haberet ipſe ſi prælio intereſſet. Finita oratione legatis ait: *Dicite Imperatori vt hoc meo palliolo ſeu epomide caput, baculo manus armet, & audacter in hoſtes procurrat.* Fecit Auguſtus, & pro ferro monachi habitu armatus adeo terribilis hoſtibus eſt viſus, vt illicò fugam inierint. In tam glorioſæ ac memorabilis victoriæ memoriam Alexandrini feſtum annuum inſtituerunt, quod ἰκονεῖον nominarunt, ſimúlq; Imperatori erexere ſtatuam cum ſuperhumerali in capite ac baculo in manibus.

Enoch. patr. in vita.
Bover. A. D. 1588. & 1589.
Idē A.D. 1588

Siqua hîc ſuperbia in hoc palliolo latuiſſet, putas Joſippe Theodoſio profuiſſet? Mantellus S. Angeli Carmelitæ ſanavit quattuor leproſos, ſuſcitavit ſeptem mortuos. Palliolum P. Mariani à Naſo Capucini curavit ægrotos, quam virtutem habuit etiam epomis P. Secundini Aſtenſis de eadem familia. Baculus tam P. Franciſci à Neazara quàm S. Leufridi dæmonia ejecit.

Vitâ l. 4. vitt. PP. Ovid.

Alia vice cum aquæ penuria eſſet, hic idem ſanctus eodem ſuo baculo fontem in arente terra produxit, & rurſum ferrum ex aqua, tamquam per magnetem extraxit. Crediđiſſes antiquos ad vitam redijſſe prophetas.

Bover. vitâ. A. D. 1587.

F. Ruffini pauperrimo habitu infiniti ſanati ſunt. Frater quidam vehementiſſimis vrebatur libidinis ardoribus.

Vinc. Bellou. l. 24. ſpecul. c. 92.

Ivit ad S. Medericum abbatem, & periculum illi ſuum expoſuit. Abbas ſolummodò tunicam ſuam fratri dedit. Vix induerat, & dicto citius dæmon incendiarius fugatus eſt clamans lamentabiliter, *Cur me tuis precibus S. Mederice incendis? Vaſculum quod diu poſſederam mihi rapuiſti.* Poſſet hoc multum fuiſſe, niſi majus miraculum ſucceſſiſſet; nam frater ille ab induta tunica tam ſanctè vixit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur.

S. Anton. p. 3. hiſt. tit. 24. c. 13.

Straminea tunica S. Jacobi Boni ab ejus obitu per octodecim admodum annos ſub terra jacuit, nec tamen læſa eſt.

Quid nunc dicent qui diſcincti, vel cincti quidem, ſed vel auro, vel argento, vel ſerico incedunt, vſúmq; cilicij nec à longè percipere dignantur? Cingulum Capucinorum reſtis eſt, & curat ægrotos, juvátq; parturientes, quod legimus de cingulo P. Joſephi Barcinonenſis, & F. Vitalis laici.

Bover. A. D. 1583. & ſeq.
Lib. 7. vitt. PP. Ovid.

Cilicium verò S. Guthlaci quantam potentiam habuerit, ex ejus vita agnoſcimus.

Digitized by Google

mus. Nam quidam pedem suum gravissimè læserat, itum est ergo ad hunc sanctum hominem Dei. Nil habuit præter cilicium, in quo orare consuêrat. Exuit, eoq; læsum pedem involvit. Dictum factum. Spina è pede resilit, humor subsidet, dolor vanescit. S. Philippi, qui fuit unus de præcipuis institutoribus Seruitarum, cilicium Florentiæ servatum, furias Vulcani extinguit. Quin sola cilicij S. Romualdi manica de obsessis dæmonia pepulit.

Mich. Florēt. in vita.

Petr. Dam. in vita.

Ad scapulare venio sancti Simonis Stock: aliorumq; Carmelitarum. Pueris notum est in quanta veneratione sit. Vox B. Virginis Deiparæ de eo dicitur fuisse: *In hoc moriens æternum non patietur incendium: In hoc moriens salvabitur.* S. Wilhelmum monachum ferunt, cum aliquando panes coquere deberet, & esset iam hora tardior, nec scopam haberet, qua clibanum ardentem purgaret, insilijsse, scapulariq; ac manu cineres abegisse; nec tamen caloribus aut se, aut vestes læsisse.

Lib. 4. vitt. PP Ovid.

Ibid. in vita.

Ad ima descendo. Caligula S. Honorati ad vitam revocauit defunctum. Et calcei P. Josephi Barcinon. levant infirmos. Ut nihil adeo de toto monachorum paupere vestiario sit, quod non apud Deum singularem gratiam obtineat. Judica ergo, utrùm non coram summa majestate majoris meriti sit, si Prælati religiosè cum suis fratribus, quàm pomposè cum mundi hominibus incedant.

S. Greg. l. 1. dial. c. 1.

B. uer. in vita. sup.

EPISTOLA XLIX.

Quàm non mollis & splendidus debeat esse habitus religiosorum.



SI nitor vestium religiosarum in solo Prælatorum habitu fulgeret, tolerabile esset: nunc autem dolendum est hac vanitate afflari subinde etiam religiosos privatos, apud quos maior nonnunquam vestis mollis, præciosæ ac nitidæ cura quàm bonæ mentis ac profectûs in studio perfectionis est. Quasi idcirco ius ad sericum habeant, quod fuerit in nostris provincijs inventum monachorum. Temporibus enim regis Clotarij VII. qui sub Agapito Papa Gallis imperavit duo ex Jndia monachi Constantinopolim venerunt afferentes secum semen bombycum, quod do-

Zonar tom. 3. annal. in Iustiniano.

Digitized by Google

cuerunt vivificare & pascere. Dicebantur autem bombyces lingua Persica seres, unde vocabulum sericum desumptum est: nam ante hac omne sericum ex Persia afferebatur.

S. Basil. hom. 8. in Hexaëmer.

Sed apage cum tuo serico. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Nolo partem habere cum ijs, quos attonat Boanerges S. Bernardus. *Nobis*, inquit, *est pro victu satietas, nec vestitum quærimus, sed Ornatum. Quæritur ad induendum, non quod vilius, sed quod subtilius invenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbia compellat: non deniq; (juxta S. Benedicti regulam) quod vilius comparari potest, sed quod venustius, immò vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumq; monachū! Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à monachis temporis nostri in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris provinciis invenimus quo vestiri dignemur. Miles & monachus ex eodem panno partiuntur cucullam & chlamydē. Quivis de sæculo quantūlibet honoratus, etiamsi Rex, etiāsi Imperator ille fuerit, non tamē nostra horrebit indumēta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Cucullam empturus lustras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domus scrutaris negotiatorum, cunctam evertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoves oculis, solis opponis radio, quidquid grossum, quidquid pallidum occurrerit, respuis. Si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio satagis tibi retinere.*

Luc. 7. S. Bern. apol. ad Wilhel.

S. Bern. cit.

Si matrem hujus vitij nosse desideras, ea est animi mollicies. *Mollia indumenta*, ait S. Bernardus, *animi molliciem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Narraverunt quidam patrum, quia venit aliquando frater aliquis in conventum Cellarum coram abbate Jsaac vestitus (præter morem) modicum cucullum. Et spectabat eum senex dicens: Hîc monachorum est habitatio, tu sæcularis es, & non poteris hîc esse. Quot religiosos perstringit hoc dictum!

Pelag. vitt. PP. n. 8.

Idem dicebat: Patres nostri, & abbas Pambo vetustis, & de multis partibus resarcitis vestibus utebantur: nunc autem preciosis vestibus utimini, discedite hinc, desertastis locum hunc. Frater quidam à mercatore non parvo ære cucullum sibi comparaverat: cum autem B. Joanni Priori canon: regg. Bridlingtoniæ conquestus esset de fraude mercatoris, dixit Joannes:

Vitt. PP. Ovid. l. 7. de humilit.

Nimij

Nimij precij eſt cucullus ſex ſolidorum, ut illo tam putre cadaver obtegatur. Alio tempore idem beatus pater monebatur, vt pellibus pretioſioribus uteretur, reſpondit: Agnorum pelliculæ abundè ſufficiunt arcendo à noſtris corporibus frigori. S. Pachomius nec mortuo pepercit ſumptuoſius veſtito. Cum enim aliquando funeri cujuſdam fratris occurriſſet, viſo defuncto, Deſinite, inquit pſallere. præcepitq; defuncti veſtimenta ſplendida, quibus indutus erat, auferri, quæ coram omnibus fecit exuri, & ita cadaver efferri iuſſit, ac præter aliquam pſalmodiam ſepeliri. Vita S. Pach. c. 34.

SS. Patres cultum veſtium abundantiorem numquam non condemnarunt. *Non ſit notabilis*, ait S. Auguſt. *habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* Pannos ſubtiles & pretioſos S. Bernardus, etiam alibi in monachis explodit. Et S. Ephraim inter mala huius vitæ numerat mollem lectum & veſtem. Et alio in loco: Ne veſtis mollis, pedes ne ſint ad ſpeciem exculti atq; abſterſi; hæc ſiquidem cura caſtitati obeſt. Et Noli veſtium ſplendido ornatu gloriari memor quomodo Elias ouinis pellibus fuerit indutus & ſacco Eſaias, quali item Joan. Baptiſta veſtimento vſus ſit. S. Baſilius quoq; monacho lapſo exprobrat, quo pacto olim in monaſterio vixerit aſpero indutus ſacco, & durâ zonâ lumbos ſuccinctus, ventre præ abſtinentia dorſo adhærente, reiecto omni vſu. φασκίας ἁπλῆς, quod puto genericè dictum pro omni indumẽto molliori & ſubtiliori. Accedit & Gregorius Theologus ad ſacras Virgines dicens. - - S. Auguſt. in reg. S. Bern. ep. 1 S. Ephr. ſerm. de var. tormẽt inferni. De abſtin. à cupidit. De vita ſpirit. S. Baſil. ep. 2. ad lapſum.

- - Hirſutis horrida pannis. S. Greg. Naz. carm. 2.

Et: Detritas etiam veſtes venerare caputq;
Delicijs vacuum, & luxu, non ſerica fila. Carm. 3.

Magnus Baſilins monaſticam palæſtram ingreſſurus exiſtimavit ſibi ſatis eſſe ad demonſtrandũ ſtatum humilitatis, ſi haberet indumentum ſeu tunicam abjectam, pallium craſſum, calceos è rudi corio. Qua de re ſcribit ſuo Gregorio. *Humilitas requirit, ut habitus ſit neglectus, coma ſqualida, veſtis ſordida, ut quæ Pœnitentes faciũt ex neceſſitate, à nobis Fiant ex voluntate.* Tunica per zonam corpori adſtricta, nec tamen ſupra lumbos: muliebre quippe hoc; nec nimis laxum, ut fluat effeminatè. S. Gregorius Nazianz. à monachis requirit ut per ſingulas ſuas veſtes demonſtrent animi, demiſſionem & vitam philoſophicam, cultùmq; pietatis. Unde S. Baſilius in regulis fuſioribus præ- S. Baſil. ep. 79 Epiſt. 2. S. Greg. orat. 23. S. Baſil. reg. fuſior n. 22.

ſcribit, ut non ſolum in cibis, ſed etiam in veſtimentis obſervent λιτότητα, καὶ τὸ ἐν πᾶσιν εὐτελὲς καὶ ὀλιγοδάπανον, hoc eſt, vilitatem, ſimplicitatem, & quod leviſſimi precij eſt. In conſtitutionibus vult veſtimenta & calcementa ſemper eſſe ſeligenda viliora, niſi quis ἀφιλάδελφος & φίλαυτος infraternus & ſui palpator eſſe velit. In ſpecie deniq; mandat, ut in calceamentis caveatur vanitas & pretium.

Idem in conſtit. c. 30.

In reg. fuſior. cit.

S. Hieron. l. 2 cõtr. Iovinia.

O quàm accurati maiores noſtri in his fuêre legibus! Gratior ipſis erat *pexa tunica & nigra ſubucula,* quàm purpura & byſſus: nec demebatur inde quid auctoritati, ſed addebatur. S. Melania cum poſt quinque luſtra Hieroſolymis reverteretur in Italiam, Neapolim vrbem brevi ſpatio à Nolana, qua degimus, ait S. Paulinus, civitate diſtinctam advecta eſt. Ibi magnæ rei ſpectator fui. Admirabantur divites pauperem ſanctam: at illos noſtra pauperies ridebat. Vidimus dignam DEO hujus mundi confuſionem, purpuream, auream, ſericamq; ſupellectilem pannis veteribus, & nigris ſervientem. Illi ſericati, & pro ſuo quiſq; ſexu toga, vel ſtola ſoliti ſplendere filij craſſam illam veluti ſpartei ſtaminis tunicam, & vile palliolum manu gaudebant tangere, & veſtimenta ſua velleribus auro, arteq; pretioſa pedibus eius ſubſternere, panniſq; contegere geſtiebant, expiari ſe à divitiarum ſuarum contagio iudicantes, ſiquam de viliſſimo habitu, aut veſtigio ſordem colligere mererentur. De S. Olympiade Palladius memorat, ejus indumentis vix quidquam vilius inveniri potuiſſe: nam ij etiam, qui erant pannis valde obſiti, inquit, aſpernabantur huius ſanctæ tegumenta.

S. Paulin. ep. 10. ad Sever.

Pallad c. 144.

Ipſe B. Baſilius ſuam tunicam vocat τρίχινον ῥάκος pilosum centonem. Ejus pallium nunc appellat S. Gregorius τριβώνιον detritum palliolum nunc ῥάκος περιαυχένιον centonem ab humeris dependentem. Pallium Pachomianorum διφθέρα fuit, hoc eſt, indumentum paſtoritium ex pellibus. S. Martinus hiſpidam veſtem nec in epiſcopatu depoſuit. Et ne prolixior ſim, ore omnium antiquorum monachorum S. Barlaam ad regem Indiæ ait. *Veſtes nobis ex aſperis cilicijs & ouium pellibus ſunt, vetuſtæ omnes, atq; ex varijs pannis conſutæ imbecillam noſtram carnem atterentes.* Hinc à Græcis appellati ſunt ῥακενδύται, καὶ σακκοφόροι à ſaccis, cilicijs, & centonibus.

In orat. funebr. apud S. Greg Naz.

Ibid.

Sulpit. dial. 3. c. 4.

S. Damaſcen. vita Barlaam. c. 18.

Gregor. Pachym. l. 4.

Itaq; ut maximè duo in veſtitu probati monachi obſervarunt, nempe ut nuditas corporis obtegeretur, & ut pœnitentium

S. Baſil. ep. 1. ad Greg.

Digitized by Google

tium status ex eius qualitate demonstraretur. Quod ergo S. Basilius ait, *Finis vestitus unicus est, ut carnem tegat*, subaudiendum est, *Humiliter*. S. Bernardus quoq; dum insuper addit, ut etiam frigus repellat, non semper auditus est, ab ijs maximè qui gloriari cum Apostolo potuerunt, quod Domino Deo servierint in frigore: nam frigus subinde contemnendum esse docet idem dum ait, Pelliceas lenes & calidas non facere sanctum. Et de Christi nativitate tractans pungit suos dicendo. Cum esset tanta necessitas, nullam audio fieri pellium mentionem. Quamvis alibi pelliceas tunicas monachis concedat, sic tamen, ut observetur locus, tempus & valetudo. Nam etiam S. Benedictus in sua regula rationem regionis haberi posse existimat, frigida an calida sit, vnde suis concedit in locis mediocribus cucullam in hieme villosam seu pexam, in æstate puram. Et quamvis subjungat monachos de vestimentorum colore aut grossitudine non debere causari, sed eam materiam esse comparandam, quæ vel in provincia, in qua degunt, inveniri possit, aut quæ sit vilior; addit tamen in fine, cucullas & tunicas pro itinerantibus debere esse aliquanto meliores. Similis discretionis S. Basilius est, dum ait fratres non debere contendere, quòd dentur vestes viliores, aut non novæ; si tamen præbeantur minores vel maiores, eos posse necessitatem suam cum decenti mansuetudine manifestare.

S. Bern. apol. sup. — 2. Cor. 11. — Idem ep. 1. Idem serm. 3. de nativit. Christi. — In apolog. — S. Bened. reg. c. 55. — S. Basil. reg. brev. n. 168.

Tametsi verò SS. PP. concorditer præceperint, monachum non debere attendere ad venustatem ac molliciem vestitus, & *satius esse veteres ferre vestes*, vt S. Ephraim docet, & *curam habere animæ in timore Domini quàm splendidè vestiri, & turpiter atq; inhonestè vivere*: nihilominus noluerunt vestes ipsorum qualescumq; tandem esse sordidas & immundas. S. Cælestinus coram summo Pontifice in concilio Lugdunensi sacrificaturus ornamenta pretiosa, ut amator paupertatis, repudiavit petens viliora, attamen munda. Sic monachi S. Chrysostomi temporibus, etsi portârint habitum rusticorum amictu viliorem caverunt tamen sordes. De monachis S. Appollonij Ruffinus refert, quod nullus ipsorum sordidis indumentis vsus fuerit, sed eos potius tam in mente quàm veste munditiem exhibuisse. Vnde & Cassianus vult, *vt vestes nec sint sordidiores, nec nitidiores*. Certè S. Antonius ipse munditiæ causa lavit suum ependyten. Et S. Augustinus in regula præcipit vt laventur

S.Ephr. in Attende tibi. Et in Proverb. — Gonon. in vita c. 20. — S. Chrysost. l. 2. c. 3. contr. vitup. vit. monast. — Ruffin. l. 2. vitt. PP. c. 7. — Cassian. l. 1. instit. c. 3. — Vita S. Antô. c. 23.

S. Doroth. doctr. 3. laventur vestes, sic tamen ut mundæ vestis nimius appetitus absit. S. Dorotheus crebriorem vestium lavationem ex eo vituperat, quod per eam contundantur, & citius atterantur. S. Ephr. in Proverb. Deniq; S. Ephraim ait à dæmonibus variè oppugnari eum, qui vestium ornatu immodicè gaudet. Paucis dico, De sanctorum PP. sententia religiosorum vestes debent esse humiles, & accõmodatæ tempori, loco, personæ, necessitati, ut ait S. Basilius, S. Basil. reg. brev. n. 210. non molles, non sumptuosæ vel splendidæ, non sordidæ, sed mundæ.

EPISTOLA L.

An Religiosi possint habere vestimenta dupla.



PRô quantus tibi videris dum obtrudis nobis mandatum Domini dicentis, *Nolite possidere duas tunicas!* Matth. 10. Vos, inquis, alias tunicas habetis domi, alias habetis foris; alias pro hieme alias pro æstate; alias festiuis, alias ferialibus diebus, & has quidem plerasq; duplas. Josippe, si Aristarchi te spiritus ita occupavit, carpe & Christum, qui cum loculos ipse habuerit, discipulos tamen æs in zonis habere noluit. Joan. 12. Matth. sup. Maldonat. in Matth. cit. Orig. hom 35. Quin Maldonatus ex Evangelio S. Joannis docet esse manifestum ipsummet Christum habuisse duas tunicas de quibus etiam Origines loquitur dicens, *Expoliaverunt eum vestimenta eius quæ desursum habebat tunicam inconsutilem & stolam: hæc enim vestimenta ejus talia describit Ioannes.* Præceptum ergo Domini tanti rigoris non est, quin exigente necessitate possimus habere tunicas duas aut plures. Si rectè sentio, Christus eo mandato resecare solummodò superfluitatem voluit, quæ solet hominem à melioribus abstrahere, quibus Apostoli in conversione gentium vacare debebant.

Quod si tamen excogitari ratio posset, qua vna eademq; tunica sufficeret tam ad necessitatem, quàm decorum, ad hiemem & æstatem, pro noctibus ac diebus, omnino censeo cum S. Basilio duas non esse habendas. S. Basil. reg. fusior. n. 22. Et in brev. c. 90. Sed quia hoc ita facile esse nequit, ideo maiores nostri plures nobis admisêre tunicas modò nulla earum sit ad ostentationem. Cassian. collat. 9. c. 5. Ita Cassianus *vnam permittit ad vsum noctis, alteram ad vsum diei.* S. Bened. reg. c. 55. Et S. Benedictus vnam in hiemem, alteram cucullam concedit in æstatem, additq;: *Sufficit monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes,*

ctes, & propter lavare ipsas res. Et respiciendo decorum permittit, vt itinerantium vestes sint aliquanto meliores. In concilio Aquisgran. ubi sanctus hic Ordo reformatus est præter duas tunicas & cucullas conceduntur insuper unicuiq; duæ cappæ, pedules quattuor paria, femoralia duo paria, roceum vnum, pelliciæ usq; ad talos duæ, fasciolæ duæ, in itineris necessitate quattuor. Vuanti in æstate muffulæ, in hieme vervecinæ. Calceamenta diurna duo paria. Subtalares per noctē in æstate duo paria, in hieme verò socci. atq; in his omnibus permittitur abbati dispensatio, ut possit plus dare, vbi necessum erit. A. D. 817. c. 22.

Admiror equidem & cum Eusebio obstupesco mentem Apostolorum, quod substantiam vltra vnam tunicā nullo modo auxerint. Sed non omnium hæc perfectio est, & tot subinde necessitates ac circumstantiæ occurrunt, vt vna tunica non omnibus possit satisfacere. Fugienda tamen in cunctis superfluitas est, & illi laudandi, qui per gratiam DEI frangere necessitates ita potuerunt, ut impleverint præceptum S. Basilij jubentis tunicam ita crassam fieri, ut alterâ hieme non indiguerint, de quibus canit S. Gregorius Naz. Euseb. de monstr. Evan. c. 7. fol. 118. S. Basil. ep. 1. ad Greg. S. Greg. carm 47.


Qui pede sunt nudo, duplici sine veste.

Qualis fuit S. Stephanus Grandimont. cuius eadem indumenta per hiemem arcebant frigus, per æstatē cauma & ardorem. Sanctusq; Fulgentius qui nunquam pretiosa vestimenta quæsiuit, sed una tantum vilissima tunica sive per æstatem, sive per hiemem patienter indutus fuit. Et omnes solitarij, quorū vnus loco omnium Indorum regi dixit: *Eadem nobis est tum æstatis, tum hiemis vestis, quam etiam vt semel induimus, exuere postea nobis non licet, quousq; vetustate confecta prorsus deleatur: ad hunc enim modum & frigoris & æstus molestijs corpus affligentes futuræ immortalitatis vestem nobis comparamus.* Beatum dicimus populum cui hæc sunt; nec tamen damnamus reliquos qui ad tantam celsitudinem nondum ascenderunt, nihilominus verè pauperes spiritu, dum quod habent ex indulgentia superiorum absq; superfluitate habent. Sæpe sub duplici veste latet simplicissima religiosissimaq; sanctitas. Vincent. Bellov. specul. hist. l. 25. Vita S. Fulgēt Damasc. vita Barlaam. c. 18

EPISTOLA LI.

De Habitu, coma, ac victu S. Ioannis Baptistæ.

S. Hieron. l. 2 contr. Iovin. Et epist. 22.



Cùm scias S. Hieronymi sententiâ *in Baptista Ioanne posuisse Deum in cunabula monachorum, vitaq́; contemplativa & anachoretica.* Etiam atq; etiam rogas, vt eius tibi habitum, victum, ac tonsuram describam. Pareo; sed ea lege, ut non pigeat te Græcæ lingvæ, ex qua de victu nascitur ambiguitas. Nosti enim S. Marcum scripsisse suum Evangelium non Latinè sed Græcè. Is ait. Ἦν δὲ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ καὶ ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον. Quòd Latinus sic vertit. *Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus & locustas & mel silvestre edebat.* S. Matthæus scribit. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locustæ (Græcè* ἀκρίδες *) & mel silvestre.* De potu ab angelo (quem Gabrielem fuisse S. Augustinus docet) prædictum est, *Vinum & siceram non bibet.* Si bene Evangelij verba intueris, vestitus S. Ioannis difficultatem non habet. *Tunica de pilis camelorum fuit.* Insulsissimi pictores nostri eum pelle cameli induunt, sicut olim Germanos variorum animalium tergoribus & exuvijs inclusos potius quàm indutos fuisse ex Cluverio meminimus. Non ita S. Joannes cujus vestis non erat pellis, sed de pilis cameli, tunica non pellicea, sed cilicina, sicut hodieq; ad compunctionem carnis cilicia de pilis facimus animaliũ, ut & de setis porcorum. Quis autem ad sui castigationem induit pellem porcinam? Ioannes autem ut carnis impetus comprimeret vestem de pilis cameli cilicinam sumpsit.

Marc. 1.

Matth. 3.

S. Aug. hom. 44. c. 2. Luc. 1.

Cluver. de antiqua German.

S. Paulin. de S. Ioan.

Vestis erat curei setis conserta cameli
Contra luxuriem molles duraret vt artus,
Arceretq́; graves compuncto corpore somnos.

S. Paulinus ait: Nemo verò compungitur ex pellibus animalium, si hispitudo pilorum sit extrinsecus, vt S. Joannes pingitur.

S. Clem. l. 2. Palag. c. 10.

S. Clemens in schola Alexandrina nominatissimus professor de hac re sic decernit: B. Joannes καὶ τῶν προβάτων ὑπεριδὼν τὰς τρίχας ὄζούσας τρυφῆς, contempto vellere ovium redolente voluptatem, elegit *pilos camelorum*, eisq́; semet induit, repræsentans

scilicet

Digitized by Google

scilicet vitam simplicem absq; dolo & hypocrisi: nam & mel comedit, ἀκρίδας, escam dulcem & spiritalem, parans Domino vias humiles & continentes. Quid? ille purpuram indueret, qui damnans ac vitans fastum mundi secessit in vltimam solitudinem, vt quieta cum DEO conversatione abjecta omni curiositate, discendi studio, suiq; existimatione frueretur.

Et hic est ille exoticus ac peregrinus habitus, quo Cæsaræensis Eusebius Christi prodromum ait superasse omnem hominum vestiendi consuetudinem. Ergo & nostrorum antiquorum Germanorum pellibus se vestientium. Hortatur ad hoc exemplum suos monachos Jsidorus Pelusiota. *Cibos*, inquit, *& vestitum monasticæ vitæ in Ioanne Baptista dicimus. Pilis si fieri potest ad obtegendum corpus contenti erimus.* Et licet legerim quamplurimos monachos cilicia portasse: de pilis tamen cameli nuspiam reperio nisi in schola S. Martini. In qua

Eufeb. l. . de- mõstrat Evãg. p. 430.

S. Isidor. l. 1. epp. 5.

S. Paulin. l. 2. vitâ S. Martini.

Multis vestis erat setis contexta cameli.
Quæ levibus stimulis vigiles contingeret artus
Excludens tenuem compuncta carne soporem.

Mollior ibi habitus pro crimine erat, inquit vnus ex ipsis, quod eo magis sit mirum necesse est, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coëgerant.

Sulpit. vita S. Martini c. 7.

Hæc vestis tam chara S. Martino erat, ut eam nec in episcopatu deposuerit. Severus Sulpitius S. Paulino duo ejusmodi cilicia dono misit, quæ nos, inquit, in conspectu altissimi stratos vtilibus stimulis admonerent, dum asperitate setarum compungimur, & peccatorum nostrorum horrore compungi atq; intus spiritu conteri, dum extrinsecus terunt habitum. Hinc victor Antiochenus presbyter vestem S. Joannis de pilis cameli docet esse habitum pœnitentiæ & luctus. Quare cum ex S. Bernardo *monachi officium sit lugere*, non irrationabiliter suis monachis Pelusiota hunc habitum præscripsit. Quamvis alibi sapientissimè moneat ad vitam monasticam non solum vestes, & cibum S. Joannis, sed etiam animum requiri. Addit tamen victor, habitum S. Joannis secundum quosdam symbolum esse regiæ potestatis.

Sulpit. dial. 3. c. 4.
S. Paulini. ep. 10.

Victor in c. 1. Marc. Tom. 4. Bibl. PP.
S. Bern. ep 11
Pelusiot. sup.
Epist. 161.
Victor. sup.

Porrò S. Baptista stringebat hanc suam cilicinam tunicam, quam auctor de monasticis instit. sub nomine Joannis XLIV. episcopi Hierosol. *melotem* vocat, *zonâ pelliceâ,*

Tom. 4. Bibl. PP. c. 38.
S. Paulin. de S. Ioan

Digitized by Google

Hanc vilis rigidos ad lumbos zona ligabat. Hæc erat, vt audis, ex pelle nempe lorum, seu corrigia, & quidem pilosa

S. Clem. sup. Victor cit.

cameli, vt ab exemplo Eliæ docet S. Clemens Alexandr. Significabat autem iuxta victorem Antioch. internum animi mœrorem, & carnis mortificationem. Quo vides quàm benè tunicæ

Origin. hom. 9. in Levit

suæ accõmodata fuerit. Origines docet, ex zona S. Ioannis Baptistæ sufficienter ostendi, quod pars corporis eius inferior ita fuerit emortua, vt neq; vel levis motus, neq; alius quisquam in lumbis eius fuisse crederetur, sed sola castitas, & pura pudi-

S. Greg. orat. c. 42.

citia. Cui S. Gregorius Naz. consentiens docet, zonæ succinctionem significare omnino lumborum temperantiam.

Ad victum progredior, quem fuisse dicit Evangelium ἀκρίδας, Nos plerumq; *Locustas* interpretamur: nam ἀκρὶς,

S. Ambr. in c. 3. Luc.
S Aug. l. 16. contr. Faust. c. 31. & l. 10. Conf. c. 31. serm. 65. Tẽp.

Græcè Latinè locustam sonat. Sic S. Ambrosius, sic S. Augustinus. *Ioannes*, inquit hic, *præcursor Domini locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suavitatibus pascitur: poterat enim iuxta Iordanem positus piscium sibi exhibere delicias: sed pœnitentiam prædicaturus rigorem jeiunij exemplo suo magis debuit factis ostendere, quàm voce.* Concinit sacer poëta,

Cui latex haustum sociata pastum
Mella locustis.

Diod. sicut l. 4. hist.

Certè Diodorus siculus docet Æthiopibus non alium

Levit. 11.

esse cibum, quàm locustas sale servatas, cibumq; esse suavem, & in copia. Et nisi in Judæa quoq; locustæ comestibiles fuissent, eas scriptura Hebræis non concessisset.

S. Isid. l. 1. ep. 132

Ex adverso stat Isidorus Pelusiota in omni re monastica versatissimus auctor Græcæ linguæ peritissimus, & Judææ propinquus. Hic per ἀκρίδας, non locustas, sed herbarum foliorumq; summitates intelligit: nam vox ἀκρὶς etiam hæc significat ἀκρίδες, inquit, *quibus Ioannes alebatur non animantia sunt, vt quidam imperitè putant scarabæis similia. Absit; verùm herba-*

S. Greg. in sua vita.

rum ac plantarum summitates. Hinc S. Gregorius Naz. ait Baptistam comedisse ἀκρόδρυα, cacumina arborum, cibum scilicet vilissimum, quem feræ in extrema hiemis necessitate comedunt.

S. Isid. cit. ep. 5.

Vnde S. Pelusiota ad suos ait: *Contenti erimus herbarum ac foliorũ*

S. Clem. l. 2. Pædag. c. 1.

summitatibus ad exiguam, minimeq; redeuntem alimoniam. S. Clemens Alexandrinus distinguit ἀκρίδες ab acrodryjs, dicitq; Ioannem acrides non acrodrya comedisse, cibum his viliorem:

nam

nam pleriq; acrodrya dicunt esse vel omnes fructus arboreos in summitate nascentes, vel eos solum qui ligneum putamen habent, ut nuces, siliquas, glandes &c. *Matthaeus Apostolus*, inquit, *in escam accepit non carnes sed semina, acrodrya & lachana, seu olera: Ioannes autem extendens temperantiam comedit acrides, & mel silvestre, cibum* vtiq; omnibus alijs viliorem, & extremae solùm necessitatis, sicut scimus ex Seneca Cãbysis exercitum in ultima fame primò nil aliud habuisse in vijs ac desertis locis, quàm tenerrima frondium & arborum cacumina, deinde venisse ad carnes humanas. Sic Nicephorus Chaniates quoq; tradit exercitũ Manuelis Comneni in obsidione Pelusij seu Damiatae manducasse radices & palmarum comas. Vnde Seneca: *Tunc te admirabor, si scieris cacumina arborum explementum esse ventris.* Si Graecè scripsisset, acrides dixisset, vel quod ex hoc deductum videtur acrodrya, vt videtur deduxisse Nazianzenus. Senec. l. 3. de ira c. 20. Choniat. l. 5. annal. Senec. ep. 110

Et quis vmquam monachorum comedit locustas? Cum toties monerentur imitari suum prodromum, & in regione ejus viverent, mirum! nec de vnico legi qui monitionem susceperit. Summitates tamen arborum, herbarum ac plantarum manducarunt abstinentes ab omni animato, vt alibi tibi dicam.

Mel siluestre quid fuerit, nemini magis credo quàm S. Isidoro Pelusiotae regioni vicinissimo. *Eodem modo*, inquit *non herba quadam est mel silvestre, sed mel montanum, quod ab agrestibus apibus conficitur, summeq; amarum est, & gustatui omni infestum, atq; inimicum.* Quibus ex rebus singularem quamdam, ac penè incredibilem corporis afflictionem Ioannes praeferebat, ut qui non inedia dumtaxat, verùm etiam victus asperitate omnem corporis appetitionem amaram redderet. Hinc quia gustus potius abhorrebat ab hoc cibo, S. Basilius ait, *Totam vitam S. Ioannis fuisse vnum jeiunium.* Et addit: *Qui quod non haberet lectum, non mensam, non arua, non bovem arantem, non frumentum, non pistorem, non aliud secundum vitam nostram, inter natos mulierum, parem non habuit.* S. Isid. cit. ep. 132. S. Basil. hom. 1. de Iejunio.

Quomodo tamen Christus Dominus etiam quaedam horum habens ei nihilominus superior extiterit indicat S. Dionysius Alexandrinus. Ioannes, inquit, in admiratione erat, cum neq; pane vesceretur, neq; vinum biberet: Christus verò (vt scriptura testatur) edebat & bibebat: atq; ille quidem in solitudine vivens asceticam vitam degebat, ut Deo placeret. Dominus S. Dion. ep. contr. Paul. Samosat.

nus verò versabatur cum Apostolis & reliquis non separatus ab eis quibuscum erat, & ob id planè apparebat quod Christus magna puritate & iustitia incomparabili Ioanni antecelleret; quia in Joanne quidem erat opus & labor justitiæ: in JESV verò natura.

S. Theoph. l. 3. in Evang. Ad haustum. *Vinum*, inquit, *& siceram non bibet*. Vinum, ait S. Theophilus Antiochenus, propter luxuriam, siceram propter dulcedinem & voluptatem: nam *sicera est succus dactyli*. Eusеb. l. 2. hist. c. 23. Ab ijsdem abstinuisse docet ex Egesippo Eusebius S. Jacobū fratrem Domini. Quid ergo, inquis, bibit? respondet poëta.

S. Paulin. de S. Ioan. Arentemq; sitim decurrens vnda levabat.

Et alius - - - - Cui latex haustum.

Nisi tu in Judææ desertis scias tertium. Præcursorem in hoc probatissimi in Oriente Monachi imitati sunt. In Occidente legem aquæ numquam accepimus, quod ex regula S. Benedicti defenditur.

Eufeb. l. 9. demonstr. cit. Orig. hom. 11. in Levit. Num. 6. act. 21 *Comâ*, ait Eusebius, *Nazaræus erat*. Hoc ex scriptura sic Origines explicat. Vovet autem se vnusquisq;, verbi gratia, sicut Nazaræi faciebant tribus aut quattuor, aut quot placuisset annis, templo se consecrantes DEI, ut ibi semper vacarent observantes illa, quæ de Nazaræis scripta sunt, ut comam capitis nutrirent, nec ascenderet ferrum super caput eorum toto voti sui tempore; vt vinum non contingerent, neq; aliquid ex vite, & cetera quæcumq;, donec completa fuisset voti professio. Quamobrem cum S. Ioannis votum numquam habuerit finem, sed semper, & in perpetuum fuerit Domino consecratus, unde & mansit omni tempore in anachoresi, & separatione sua, Num. 6. sicut loquitur verbum DEI, perspicuum est numquam fuisse rasum instar Nazaræorum exacto voto, sed comam pœnitentiū, hoc est, squallentem iugiter portasse.

S. Isid. l. 2. de eccl. offic. c. 4. Si modum quæris rasuræ seu tonsuræ Nazaræorum exacti voti tempore, respondet tibi S. Isidorus Hispalensis fuisse desuper detonsum caput infrà circuli corona relicta. Quem modum, ait, à Nazaræis desumpsisse apostolos, indeq; eorum discipulos. Sed hoc alibi, Tu interim intellige, quod quidquid in Joanne fuit, vox fuerit, clamans *Pœnitentiam agite*. Et: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*. Matt. 3. Colos. 3.

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA LII.

Habitus describitur Pachomianorum.

NEmo dubitat veteres monachos, maximè qui sub vna regula erant, præter tunicam & philosophicũ pallium, alias insuper vestes portasse, quibus vel significabant rigorem vitæ; vel fidei quædam mysteria; vel certas commonitiones ad hanc aut illam virtutem; vel instituti proprij ab alijs diversitatem, sicut hodie religiosi à vestibus dignoscuntur.

Pachomius, quem inter Ecclesiæ columnas ponit Sozomenus, primus ab Essæis fuit, qui accepta diuinitus regula monachos in certum redegit ordinem. Is per totam florebat Thebaidem, cui ipse tamquam generalis minister sanctissimè præerat. Habebat sub se plurima cœnobia, in quibus erant monachi penè innumeri. Omnium eorum habitum scribit S. Hieronymus fuisse *duo Levitonaria, & vnum iam attritum ad dormiendum, vel operandum, & amictum lineum, cucullasq́ duas, & caprinam pelliculam, quam melotem vocant, baltheolum lineum, & caligas.* S. Oresiesis Pachomij discipulus, & tertius Tabennesiotarum (ita vocabantur Pachomiani à principali monasterio) rector, suorum vestes sic describit: *Duo levitonaria, pallium attritum, palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicam pellem, & virgam, sed ei soli, cui ministerium aliquod & dispēsatio fuerit credita monasterij*, vt scias hanc non fuisse *baculum*, quam S. Hieronymus eis tribuit *socium itineris*, omnibus communem. Sozomenus dum de ipsis loquitur, dicit habuisse μηλωτὴν, nempe *pellem ovinam vel caprinam ad exemplum Heliæ, item tunicam absq́ manicis, cucullum instar infantum, zonam & palliolum humeros & brachia contegens.*

Palladius dum describit ipsorum regulam, sic ait: *Quilibet habeat melotem caprinam albam, absq́ qua neq́ comedat, neq́ dormiat: cucullium absq́ villis levem, sicut ferunt parvuli, quibus iussit imprimi signum porphyrium sanctæ crucis. Cingulum item quod solvant diebus sabbati, & Dominica cum accedunt ad divina mysteria. Deniq́ lebitonem lineum in quo dormiant.* Ruffinus oculatus testis illos ait indui *colobijs quasi saccis lineis, & pelle confecta à collo post tergum & latus descendente contegi. Cucullis*

Sozom. l. 3. hist. c. 13.
Ruffin. l. 2. vitt. PP. à n. 34.
Cassian. l. 4. instit. c. 1.
S. Hier. præfat. ad reg. S. Pachom.
Oresf. tom. IV. Bibl. SS. PP.
Sozom. sup.
Pallad. in Lausiac. c. 38.
Ruffin. cit.

cullis etiam caput operiri, maximè cum ad cibum ventum fuerit, vbi etiamfaciem velent, ne alius alium parcius cibum sumentem deprehendat. Postremò Cassianus docet, eos præter *colobium, mafortem, caligas, melotem ac psiathium* nihil habuisse. Nec laneis, inquit, utebantur vestimentis, sed lineis tantum, quod intellige de tunicis, palliolo, & zona: nam cucullæ laneæ erant, sed tonsæ, ac leves.

Cassian. sup. c. 13. & 10.

Itaq; Josippe, si tibi placet pingere monachum Pachomianum, indue ipsum primò nigra linea tunica, quæ sit absq; manicis, scilicet longioribus atq; integris, & quasi saccus lineus. Eam quidam vocant Lebitonarium, seu Levitonarium ex Græco λεβιτωνάριον. Alij Lebitonem, Lebetonem, vel Levitionem appellant, vt Ioannes subdiaconus, & Paschasius. Palladius quoq; postquam dixerat, Dormiant cincti lineis lebitonarijs, paulò pòst ait, Lebitonem lineum in quo dormiant. Et auctor vitæ S. Pachomij; induantur noctibus lebitones lineos præcincti lumbos. Et; In tantum verò vestimentorum penuria sese constrinxerant, vt numquam lebitone alio uterentur, nisi cum indumenti sordes necessitas coëgisset eluere. Describens autem formam hujus tunicæ inquit: *Lebiton linea vestis erat instar colobij, quâ monachi utuntur hodieq; per Thebaidem & Ægyptum.* Ad quod clarius intelligendum faciunt verba Cassiani dicentis. *Colobijs Ægyptij vtuntur lineis, quæ vix ad cubitorum ima descendunt. De cetero manus à cubito non habebat manicas, sed erat nuda.* Si huius rei causam quæris, eam tibi aperit auctor de monasticis instit. nomine Joannis episcopi Hierosol. dicens: *Colobium est expedita vestis monachorum inter labores, eò quòd brachia libera sint.* Moralis ejusdem rei significatio à S. Dorotheo traditur. Manicæ inquit, manus significant, manus autem propter opera data sunt. Ergo abscissæ manicæ sunt quasi abscissæ manus ad prava opera. Sozomenus ait: Tabennesiotis habitus erat, & vitæ institutio à reliquorum monachorum disciplina, in quibusdam diversa, in virtutis contemplatione aciem mentis defigens, sicq; animum excitans, cùm ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad indagationem cœlestium. Et paulò inferius: Fertur item eos indumenta alia, quàm quibus monachi Ægyptij vti solebāt, sibi comparasse, quo specimen darent severioris vivendi disciplinæ; neq; tamen temerè & inconsultò à ceterorum monachorum habitu variasse: nam

Ioan. subdiac. libell. 3. n. 10. Paschas. c. 12 n. 8.

Vita S. Pach. c. 14. & 22.

Cassian. l. 1. instit. c. 5.

Tom. IV. Bibl. PP. S. Doroth. doctr. 1. Sozom. sup.

tunicæ

Digitized by Google

tunicis ſe induebant *manicis carentibus,* quo docerent, ſe manus habere ab injuria & contumelia facienda penitus alienas.

Tametſi verò vſus colobij fuerit antiquitus etiam apud homines ſæculares, ut oſtendit Roſweydus: ejus tamen formam putat auctor de monſt. inſtit. Pachomianos accepiſſe à ſuperhumerali monachorum veteris teſtamenti, nempe à Levitis & filijs prophetarum, qui ex legis præſcripto debebant in quattuor angulis veſtiũ fimbrias, & in fimbrijs facere funiculos, quos Evãgeliũ & S. Epiphanius appellat *phylacteria.* Portare item debebãt ſuperhumerale, quæ veſtis erat ſine manicis vſq; ad renes deſcendens in utroq; latere aperta, brachijs etiam ex ea parte nudatis, cujus poſterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Habebat igitur ſuperhumerale aliquam ſimilitudinem cũ colobijs, unde & S. Epiphanius ſic illud nominat, ſicut & *Dalmaticã,* quæ veſtis ſacerdotalis eſt, carens ſimiliter manicis. Quidquid igitur decurtatum in manicis inter veſtes eſt, aliquo modo colobium dici poteſt, ita ut etiam *Ioannes abbas* à decurtata ſua ſtatura dictus fuerit *Colobius* aliàs, *brevis & nanus.* S. Pachomius pro colobio ſeu lebitone plerumq; ſumpſit cilicium. S. Apollonij *colobium ſtuppeum* erat. Sed ſatis de colobio, quod Ruffinus nunc *Lebetem* nunc *Lebetam* appellat.

Roſw. in Onomaſt.
Matth. 23. S. Epiph. in Panar. hær. 15
Idem ep. ad Acacium init Panarij.
S. Ephr. apophth. c. 7. Vit. S. Pach. c. 14.
Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 7. & 9.

Ei in apertura colli, ait auctor de monaſt. inſtit. ſuperinijciebant Pachomiani *cucullum,* quo utebantur interdiu & noctu, præcipuè quando comedebant eo involvebant capita ne frater fratrem videret manducantem, & vt nullus comedens loqueretur, nec præter menſam ſuos alibi circumferret aſpectus. Et licet ad ſacram communionem cingula ſolverint, cucullati tamen accedebant. Forma cuculli non ſemper apud omnes in quantitate erat eadem. Cuculli Ægyptiorum monachorum fuerunt perparui, pertingentes uſq; ad confinia cervicis atq; humerorum, ijſdemq; tegebantur tantum capita. Nec puto grandiora fuiſſe Tabennenſium, aliàs Sozomenus non diceret, *Cucullium inſtar infantum.* Contrà S. Jſaac abbas in Cellis arguit monachum de cucullo iuſto minore. Et ex concilio Aquiſgran. Benedictinorũ cuculla ad duos cubitos extendi poſſunt. quamvis amplitudo nimia S. Bernardo diſpliceat.

Caſſian. l. 1. inſtit. c. 4. Vita S. Pach. c. 22.
Pelag. l. 6. n. 8
A. D. 817.
S. Bern. ep. 1.

Volebat autem S. Pachomius, ut cucullia fratrum eſſent ἀμαλά. ut Græci vocabant veſtes terſas, leves, villis ac lana carentes, ac tonſas, vnde legimus S. Hieronymo jam ſeni & frigido

Pallad. Laus c. 38.
S. Hieron. ep. 28.

gido missum à Luciano Boëtico *Amphimalum*, vestem circumquaq; villosam, intonsam, aut velleribus mollitam. Debebant item signari punctis purpureis in modum crucis, qua iuxta S. Dorotheum significabatur monachos militare sub vexillo Christi, vel proprio sanguine purpurati, vel propter nos ludibriosa purpura vestiti. Alioqui nec cucullæ sua deerat moralis interpretatio. Sozomenus, Caput, inquit, integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant, quo ostenderent, se vitam simplicem, atq; sinceram degere, atq; pueros lacte nutritos, imitari, quorũ caput, quod in mẽbris obtinet principatum, ejusmodi tiaris obvoluitur, ut & tegatur ab æstu & frigore, & circumcirca foveatur. S. Dorotheus ait: Cucullus à pueris innocentibus portatur in capite, quibus caput foveant & muniant. A monachis igitur in signum innocentiæ puerilis & puritatis adhibetnr. Cassianus paucis: significat cucullus, inquit, innocentiam & simplicitatem parvulorum, quod & insinuat senior ille apud Pelagium, & S. Hieronymus ad Eustochium, ubi tangit superbiam virginum cucullis fabrefactis utentium.

Soz. cit.

S. Doroth. doctr. 1.

Porrò cucullæ vsus adeò apud monachos invaluit, vt in Ecclesia signũ monachismi tandem fieret. Id ex concilio Aquisgran. cognoscitur, in quo Patres ex toto imperio collecti aiunt. *Reprehensibile, & ecclesiastica emendatione dignum apud plerosq; Canonicos inolevisse comperimus vsum, eò quod contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis monachis vtendum est, induant, cum utiq; illorum habitum penitus usurpare non debeant, à quorum proposito quodam modo distant. Habitus namq; singulorum Ordinum idcirco ab invicem in Ecclesia discreti sunt, vt his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione Domino militet, liquidò cognoscatur. Et sicut turpe est, ut vir muliebrem habitum gestet, sic indecorum valde est Canonicum vestem monachicam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et quia bujuscemodi vsus nulla auctoritate approbatur, sed potius ab his qui sanum sapiunt, meritò reprehenditur, & repudiatur, oportet, vt ab hinc ne fiat, penitus inhibitum sit.* Quid mirum Josippe, si hi cucullati canonici vulgò cœperint dici regulares, hoc est monachizantes, & omnino monachi, cum vulgus aliud discrimen inter religiosos vix agnoscat, quàm quod ab habitu est?

Stringebant Pachomiani suam tunicam, qualitercumq; eam nomines, cingulo seu zona vel baltheolo lineo. Fuit cinctura

Digitized by Google

ctura semper omnibus religiosis usitata, immò ex magni Basilij sententia necessaria ad exemplum veterum Sanctorum, qui vel monasticen præfigurarunt, vel instituerunt, vt fuit Elias, Baptista, Petrus & Paulus. Et palam est, inquit, quod omnibus discipulis Domini fuerit familiaris cinguli vsus, quibus interdictum est non habere æs in zonis. Et aliàs eum qui per se aliquid operari velit, necesse est succinctum & expeditum esse ad motus, ut etiam zona ipsi sit opus, per quam tunica ad corpus contrahatur, & magis sanè ipsum fovebit, quæ vndiquaque circumplicata est, & ut expeditus sit ad motus, exhibebit: nam & Dominus cum ad ministrandum discipulis præparabatur, accepto linteo cinxit se. Et hæc forsan est causa cur Pachomius lineum cingulum suis præscripserit, quod & solvi iussit cum communicabant, quia etiam Dominus linteum lotis discipulis deposuit, antequam scilicet SS. Eucharistiam eisdem ministraret. Verumtamen S. P. voluit, ut sui monachi præcincti lumbis dormirent, quod & S. Benedictus præcepit, nulla habita ratione quod S. Petrus per noctem cingulum laxarit, qua de causa ab angelo monitus fuit, vt expergefactus se se præcingeret.

S. Basil. reg. fusior. 4. Reg. 1. Matth. 3. Act. 12. & 21. Matth. 10. Joan. 13. Vitâ S. Pach. c. 22. S. Bened. reg. c. 22 Act. 12.

Cinguli apud religiosos antiquitatem ijsdem penè cum S. Basilio verbis probat etiam Cassianus. Quin Nicæna synodus ejus vsum mandat omnibus clericis, monachis ac SS. Virginibus, sed opus est, ut corpus non nimis arctè constringat, nec sit ex materia pretiosiori. S. Hieronymus laudat Blæsillam, quod gestarit cingulum non aureum gemmisue distinctum, sed laneum, & tota simplicitate purissimum, quod magis possit adstringere vestimenta, quàm scindere. B. Basilius monachum commendat à *dura zona*, dicens S. Ioannem & Eliam habuisse cingula coriacea, Sancti Benedictus ac Paulinus restes funesq; præcipiunt. Cinguli saccei, seu cilicini B. Hieronymus meminit. S. Fulgentius multiq; alij pelliceas zonas habuerunt, ut plures omittam, qui quasi cataphracti inter milites Christi zonis & catenis ferreis se præcinxerunt, ut Eusebius Antiochenus, Marosa, Theodosius, Romanus, de quibus Theodoretus in suo Philotheo. Quocirca non immeritò concilium Oxoniense abhorrens à pestilente mollitie, & ab usu sui ævi severè prohibuit canonicis regularibus, monachis, & monialibus portare zonas sericas auri, vel argenti ornamenta habentes.

Cassian. l. 1. instit. c. 2. Can. 76. S. Hieron. ep. 23. S. Basil. ep. 2. ad lapf. Et in reg. fusior. S. Bened. sup. S. Paulin. ep. 7. ad Sever. S. Hieron. ep. 22. Vita S. Fulgēt. Theodor. c. 4. 10. 11. A. D. 12. 22.

O Iosippe quid si vidissent hi Patres nostrum sæculum,

quo multi de familia Christi suos baltheos vix permutarent cum nonnullis belli ducibus? Et quod risu interim dignissimum est, sperant à Deo præmium paupertatis. Stringimur arctissimè, & censetur sordidus, qui legi paret S. Gregorij Nazianzeni, quâ modicè iubet tunicam constringi ut tantum non omnino fluat. Quamvis inter ecclesiasticos pessima hodie consuetudo inolescat, vt discincti incedant omnino, id quod in clero sæculari transeat cum cæteris erroribus: (nam contra canones Nicænos est) in religiosis verò intolerabile penitus est; quia non ego, sed SS. Patres dicunt tales esse elumbes, imbelles, immortificatos, ociosos, & extra militiam Christi: nam *cingulum*, teste Cassiano, *significat militem Christi semper esse positum in procinctu belli.* Et S. Basilius esse *signum virilitatis, & promptitudinis ad laborem;* alius vero senex, *fortitudinis*, vnde & Isidorus Pelusiota, *Præcinctio*, inquit, *nihil aliud significat, quàm robur & vim lumborum esse constrictam.* Nec disentit S. Theologus dicens zonæ succinctionem significare *lumborum temperantiam.* Deniq; S. Dorotheus ait, *zonam esse signum accinctionis ad iter profectus spiritualis, mortificationis quoq;, maximè renum*, immò iuxta S. Gaudentium, *omnium vitiorum.* Vt videas quid se esse clament qui voluptatem ventris in discinctione quærunt. Sed quid in his molestus sum tibi, aut alijs forsitan? Audi quid circa cingulum acciderit cuidam monacho S. Laurentij extra mœnia Romæ moranti, & dubitanti, quo pacto Christi corpus penetrare potuerit clausum sepulchrũ, nam inter hæc subitò cingulum quo cinctus erat insolutum ante ipsum projectum cecidit voce facta in aëre.

S. Greg. orat. 11.
Cassian. sup.
S. Basil. cit.
Pelag. l. 10. fin.
Isid. ep. 7.
S. Greg. Naz. orat. 42.
S. Doroth. sup.
S. Gaudent. Brix. tr. 2.
Compilat. chronol. A.D. 1111.

Sic potuit Clauso Christus prodire sepulchro. Ad Pachomianorum melotem venio, quæ multis monachis etiam pro pallio erat. Hinc toties in vitis Patrum recurrit, *Sumpta melote abiit.* Sed alij præter melotem etiam pallium habuerunt, vt Tabennesiotæ, & S. Antonius cum pluribus. Dicitur autem *melota* propriè *à melo*, quod est animal, inquit auctor de monasticis instit. sæpius tamen usurpatur pro capra vel ove, vnde melotæ quoq; frequentius fuêre de pellibus caprinis & ovinis, sicut S. Hieronymus dicit Pachomij discipulos gestasse *caprinam pelliculam, quam melotem vocant.* Et Cassianus: Vltimus habitus Ægyptiorum erat pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur ad imitationem eorum, de quibus Apostolus scribit,

S. Athan. vita S. Antonij. c. 48.
S. Hieron. præfat. ad reg.
Cassian. sup. c. 8.

Circui-

Circuierunt in melotis & pellibus caprinis. Et auctor antè nominatus de monast. instit. *Indumentum de pilis caprinis consuevit melotà communiter dici à multis.* S. Paulinus vt à Severo accepit cilicia de pilis camelorum, melotam ei in rependium misit, de tenero agnorum vellere, habitum innocentiæ. Eam Melania ipsi de Palæstina attulerat: sed quantum reor monachi sanctiores ejusmodi molliores melotas parum curarunt, qua de causa sæpe dictus Anonymus ait: *Vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta melota vulgariter dicitur,* inducitq; in exemplum præter pilos caprarum, pilos taxi, & cameli, melotam ob id appellans vestem cilicinam propter hispitudinem, & concludit, *vestes molles & corpus foventes monachis haud convenire,* asperam autem & nigram significare statum mortificationis & luctus, quo videtur innuere melotas fuisse communiter nigras, quamvis Pachomianæ fuerint albæ, significantes munditiem, candorem atq; innocentiam mentis. Hebr. 11. S. Paulin. ep. 10.

Oresiesis melotã appellat pellem Gallicam, Sozomenus διφθέραν quod est indumentum pastoritium ex pellibus. Et vt melius agnoscas quàm antiquum sit vestimenti genus hoc, tunicæ pelliceæ primorum parentum melotæ fuerunt, quod ex SS. PP. tibi probo: Dum enim S. Hieronymus ait, Cum de paradiso virginitatis eiectum tunicis DEUS vult vestire pelliceis, quas Helias ad paradisum rediens projecit in terram. Constat autem ex eodem S. Doctore & ex Clemente Alexandr. vestimentum & Heliæ projectum, quod pallium Scriptura vocat, fuisse melotem & quidem ex pellibus ovinis iuxta S. Ephraim; vel ex caprinis, vt putat S. Ambrosius, qui non semel *melotidem* appellat. Orsi. & Sozom. sup. S. Hieron. ep 22. 4. Reg. 2. S. Hier. ep. 28. S. Clem. l. 2. Pædag. c. 10. S. Ephr. paræn. 24. S. Ambr. l. 1. de Iacob. c. vlt. Et enarr. psal. 26. Et ep. 57.

Dolendum verò quòd vsus melotæ secundum nostrum Anonymum sub nomine Ioannis 44, à posterioribus monachis ea solùm de causa neglectus fuerit, quòd passim esset contemptui. Quasi verò non idcirco ab illis tanto magis diligi debuisset, cum DEVS ipse contemptibilia elegerit in hoc sæculo. Sed nimirũ facilè negligimus ea, quorum vel mysteria ignoramus; vel contra quorum institutum vitam convertimus. Sic quia cuticulæ nostræ amicissimi sumus, melotidis asperitatem de facili fugimus; significat enim ex mente Cassiani *mortificatam in nobis carnis petulantiam.* Sozomenus ait: Pachomiani ad exemplum Heliæ Thesbytis vestiebantur melotis, vt singuli ex pelle 1 Cor. 1. Cassian. & Sozom. sup.

corpori circumiecta virtutem Prophetæ semper in memoriam revocantes strenuè contra cupiditates venereas confligerent; atq; studio, quo ad eius vitam imitandam incendebantur, & spe similium præmiorum consequendorum inducti, multò alacriore animo sibi à voluptate temperarent.

Verumtamen saltem vnum habemus ex recentioribus, qui pelle indutus incedebat, nempe S. Romualdum, de cuius melota Germani villos decerpebant, vnde conijcio lanam seu pilos melotarum extrinsecus apud monachos fuisse, aliàs villi decerpi non potuissent. Et forsan hac de causa sæcularibus contemptui, monachis neglectui esse cœpit vsus melotarum, quòd potius feram repræsentarit, quàm hominem; sicut contigit S. Benedictum à pastoribus haberi pro bestia: pellibus enim, seu melota indutus erat. Hodie vix nomen melotæ intelligitur; quam tamen Pachomiani diebus ac noctibus portabant, prætérquam cum ad S. Communionem accederent. Moniales sub eadem regula melotas non habuerunt.

Petr. Dam in vita

In vita S. Bened.

Vita Pach. c. 22 28.

His omnibus vestibus cum prodibant Tabennesiotæ superinijciebant pallium, quo profitebantur se veros Christi philosophos, & deditos esse sapientiæ. Hoc indumentum adeò monachis omnibus vsitatum erat, ut pro eodem esset *agmina palliata*, atq; *agmina monachorum*, sicut Severus loquitur. Itē, videre *palliatum & pallidum*, atq; videre *monachum*, vt legis apud Saluianum. Tertullianus describens *pallium*, *Est*, inquit, *vestis extrema super omnes exuvias & peplos, habitus verecundiæ & sapientiæ*, cum originem habuerit à Græcis sapientibus, à quibus venit ad nostros. Ægyptij Mafortem dixerunt. Vnde Cassianus: Gestabant Ægyptij monachi & mafortes, id est, angusta palliola, quo collum atq; humeri tegebantur. Fuit amictus humilitatis, quo planetarum atq; birrorum pretia simul ambitionemq; declinabant, cujus nomen & Latinis & Ægyptijs commune est. Non tamen idem est quod Maphorium, quod est velamen capitis virorum feminarumq;, sine quo laborare Basilianis sub certa pœna prohibitum erat. Quamvis hoc ipsum maphorium etiam mafors à nonnullis dicatur. Neq; enim S. Hieronymus & Gregorius Turonensis aliud quàm velum monialium intelligunt, dum sacras castigant virgines propter mafortes holosericos, & hyacinthinos, itaq; laxos, ut & ventus in ijs ludere, & ad multiplicem ornatum sufficere potuerint.

Sulpit. ep. 2. ad Bassul. Salvian. l. 8. de gubern. Dei. Tertull. l. de pallio. c. 4.

Cassian. sup. c. 7.

Meursius in Laus. ex Phil. Carpath. S. Basil. t. 2. fol. 731. S. Hier. ep. 22 S. Greg. Turon. l. 10. hist. Franc. c. 16.

Mapho-

Maphorium ergo caput, mafors autem seu palliolum monachorum tegebat humeros, collum, brachia circumquaque. Hinc varia ipsius apud Græcos nomina. Græcus Ephraim καπανώπιον apellat. Arbitror, inquit, conducere monacho non exire cella χωρὶς καπανωπίου, sine superhumerali: indecens enim est absque pallio prodire; siquidem nudo amictu, siue cum solo colobio incedere, monacho turpe est & indecorum: scriptum quippe est, *Præcingere & calcea te caligas tuas, & circumda tibi vestimentum tuum* &c. Atque ab hac ipsa circumiectione dicitur περιβολαῖον, ἀναβολεὺς, ἀναβολαῖον. puto etiam *Amphibalum*, quo iuxta Sulpitium amictus erat S. Martinus, ne interiori veste nudus videri posset. *Epomis* ab humeris similiter dicitur. Et quoniam à monachis ad extremam vsque detritionem portabatur, communissimè dicitur τριβώνιον. à S. Augustino amiculum. Formam eius repræsentant palliola quorumdam nostrorum monachorũ, vt Franciscanorum, nisi quod Pachomiana nigra ac linea fuerint. Quanti autem veteres vsum pallij, quacumque tandem figura facti fecerint, constat ex Tertulliano. *Elingui*, inquit, *philosophia vita contenta est: auditur philosophus dum videtur. Grande pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt.* Nam vestis sapientiæ excludit omnem improbitatem, quamobrem Salvianus *pallium* nominat *signum sanctitatis*, & Gangrense concilium, *continentiæ*.

S. Ephr. de humil. aeq. c. — Act. 12. — Socrat. de concil. Gang. Sozom. sup. Euseb. l. 8 hist. c. 21. — Sulpit. 2. dial. c. 1. — S. Greg. Naz. orat. fun. S. Basil. — S. Aug. epist. 213. — Tertull. sup. c. 5. — Salvian. l. 4. ad Eccles. — Concil. Gãgr. c. 12.

Præter omnem hunc habitum Pachomiani ferebant caligas in pedibus seu calceos. Nostri Barbari caligas putant esse femoralia. En quàm hoc lepidum. In vita S. Cuthberti dicitur. Duo corui B. Cuthberto axungiam porcinam tulerunt, quam vir sanctus fratribus ad inungendas caligas præbuit. S. Hieronymus quoque ait: *Caliga ambulantis nigella ac nitens stridore ad se iuvenes vocat.* Caligæ ergo sandalia sunt: quod enim noster interpres dicit in actibus Apostolorum, *Calcea te caligas tuas*, Græcus habet *Sandalia*, ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. S. Chrysostomus Latinè ait, *Subliga sandalia tua.* quippe opus erat caligas seu sandalia certis ligamentis & pelliculis ad pedes ligari. Vnde in regula S. Pachomij dicitur, *Pelliculam caligæ aut cingulum amittens increpetur.*

Lib. 7. vitt. PP. Ovid. in vita c. 17. — Sulpit. 2. dial. c. 1. — S. Hieron. ep. 47. — Act. 12. — S. Chrysost. in hunc locum

Porrò non idem est calceamentum & caliga: illud enim tegit integrum pedem cum crure; hæc crus apertum relinquit. Vox pauperum ad divites apud S. Bernardum est: *Iumenta gradiuntur*

S. Bern. ep. 41.

diuntur onusta gemmis & nostra non curatis crura nuda caligulis. Quod exaggeratiuè dictum puto pro caligis; quamvis inter caligas & caligulas tanta differentia non fuerit, vt caliga crus aut tibiam operuerit, alioquin sandalium non fuisset. Est tamen inter vtrumq; discrimen, vt ex vita cognoscis S. Fulgentij, vbi omne genus calceandi pedes exprimitur. *Sic studio humilitatis*, ait auctor, *ambitionem vestium corporalium fugiens, vt nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum aut ultimis caligis in tempore hiemis aut caligulis in tempore æstatis simpliciter vteretur Intra monasterium sanè interdum soleas accipiebat; frequenter nudis pedibus ambulabat.* Vides gradationem à calceamentis vsq; ad soleas, quibus, ut ait Gellius, plantarum calces tantum infimè

S. Clem. l. 2. pædag. c. 11.

teguntur. Eamdem ferme S. Clemens stromateus exprimit. Viro, inquit, nudipedalitas supra modum convenit, nisi sit in militia: affinia quippe sunt τὸ ὑποδεῖσθαι & δεῖσθαι, calceari ac ligari. Et sanè perquam philosophicum est nudis pedibus incedere, ne dicam salubrius, & expeditius, nisi contrarium suadeat necessitas. Itaq; extra iter domi constituti, si discalceationem ferre nequimus, utamur soleis aut peronibus, quos Attici vocant κονίποδας, suntq; angusta & rustica sandalia.

Cassian. sup. c. 10.
Luc. 10.

Quare, ut intelligis, Pachomianis concedebantur caligæ, non calceamenta. Calceamentis, inquit Cassianus, non vtebantur, utpote Evangelico præcepto prohibitis. Si tamen infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodo caligis muniebant pedes vtpote non prohibitis, vt patet in S. Petro, *Calcea te cali-*

Lib. 13. noct. c. 21.

gas tuas. Has tamen caligas deponebant, cum accedebant ad percipienda vel celebranda sancta mysteria, ex illo scripturæ,

Exod. 3.
S. Bened. reg. c. 55
S. Paulin ep. 13. ad Sever.
S. Novat. Tõ. IV. Bibl. PP.
S. Basil. ep. 1. ad Greg. & ep 19.
Greg. Nyssen. in vita S. Macrin.
Bover. annal. Capuc. A. D. 1587.

Solve corrigiam calceamenti tui; locus enim in quo stas, terra sancta est. Sanctus Benedictus qui sua pleraq; ex antiquioribus accepit, suis pedules cum caligis concessit. Caligam monachalem S. Paulinus habet. Et licet olim innumeri monachi & moniales nudipedalia exercuerint, discretiores tamen monachorum magistri discalceationem omnimodam cum S. Novato collocabant inter opera mortificationis libera, contenti si fratres tegumenta pedum portarent de materia vili necessitati satisfaciente carentq; omni vanitate. Certè S. Basilius rudi solùm corio vsus est, & S. Macrina tam detritos gerebat calceos, vt eos vix mendici aspexissent. Et qualia censes fuerunt sandalia F.

Ruffini

Ruffini laici Capucini, quæ ad quadragesimum vsq; annum non deposuit? Numera in eis, si potes, corij præsegmina, quibus identidem ea resarciebat.

Atq; hæ erant vestes Pachomianorum, præter quas in cella habebant singuli Psiathium, seu tegeticulam, stoream, mattam aut mattulam; nam hæc omnia synonyma sunt. Fiebant à monachis de incisis scirpis, & super illis nunc stabant, nunc sedebant, nunc dormiebant, ac moriebantur. Vnus se matta vestiuisse legitur. Quomodo autem monachi psiathia fecerint, non semel in vita S. Pachomij legitur. Quod eis superstet erint habes in vita S. Abrahæ. Quod supersederint, Cassianus affirmat, cuius consueta phrasis est. *Psiathijs ex more consedimus.* Erant satis tractabilia ac mollia, hinc facilè ex dimidia parte super corpus dormientis contra frigus reduci potuerunt, ut legis apud Pelagiũ, & in vita S. Joannis Eleemosinarij. *Quanti sunt modò*, inquit, *qui psiathium habentes subtus dimidium, & supra dimidium non possunt extendere pedes suos?* In regula S. Pachomij vocantur *stragula. Dormiant*, inquit, *fratres non recumbendo sed sellas erige illis in quibus positis stragulis dormiant sedentes induti & cincti.* Ijsdem psiathijs etiam Ægyptij monachi pro lectis vtebantur teste Cassiano dicente, Lectus monachorum per Ægyptum psiathia, quibus per diem insidebant: capiti verò cervicalis loco supponebant Embrimium, rem, ex grossioribus papyris in longos gracilesq; fasciculos coaptatam, non nimiè durum, sed tractabile aptumq; fulcimentum cervicibus dormientium. Hæc autem embrimia pedali intervallo pariter colligata præstabant fratribus in synaxi considentibus humillimum sedile ad scabelli vicem. Atq; ad hos duos vsus monachorum embrimia idcirco vel maximè opportuna habentur & congrua, quod non solum sint aliquatenus mollia, paruoq; & opere præparentur & pretio, vtpote passim papyro emergente per Nili fluminis ripas, quam cuiq; volenti in vsum assumere nemo prohibeat. Præscribit etiam S. Benedictus suis fratribus *mattam* cui indormiant, super qua etiam monachi solebant mori. Perpende, inquit S. Ephraim, diem obitus tui, quando obrigescens iacebis in tua tegeticula seu storea, Græcè psiathio.

S. Hier. prol. Et Cassian. l. 4. instit. c. 13.
Pelag. libell. 11. n. 51.
Idem l. 10. n. 16.
cap. 43. 47. 12
S. Ephr. c. 16. vita Abra.
Cassian. collat. 15. c. 1.
coll. 17. c. 3.
coll. 18. c. 11.
Pelag. l. 7. c. 46.
Leont. vita S. Ioan. c. 20.
Pallad. c. 38.
Cassian: collat. 1. c. vlt.
S. Bened. reg. c. 55.
S. Ephr. paræn. 36.
Vide notas in Ephr.
Cassian. l. 1. instit. c. 8. 9.

Superest adhuc baculus Pachomianorum itineris ipsorum socius ad exemplum Heliæ, ut ait Cassianus, immò & philosophorum maximè Cynicorum, qui solebant incedere cum pera

S. August. l. 14. Civit. c. 20.

& claua, referente S. Augustino. S. Gordium quoq; cum pera & baculo de eremo prodiisse modò nosti, quo modo omnes anachoretæ procedebant prope Panephysin in Ægypto. S. Bernardus vsum baculi non probat nisi in ægrotis. In concilio quoq; Aquisgran. vsus baculi canonicis regularibus in choro interdictus est. Intantum invaluit vanitas. Contra lapsus in choro Breviarium est.

Cassian. collat. 11. c. 3.
S. Bern. apol. ad VVilhel.
A. D. 816. can 131.

EPISTOLA LIII.

Vita Pachomianorum.



SIc est vt dicis Iosippe. Colobia melotæ, & amicula monachorum non vnius teruncij sunt, nisi animentur interno spiritus fervore. In hoc consistit verissimus religiosorum habitus. Pluris ergo facio conversationem Tabennensium, quàm vestiarium. Acta S. Pachomij clarissima, & omni ex parte secundum Baronium sincerissima sunt, ex ipsis, obsecro te, audi inauditum B. Viri orandi ardorem. Tota nocte consistebat in oratione, & præ nimietate sudoris atq; lacrymarum ita pavimentum, ubi oraverat, humectatum reddidit, ut fusa illic aqua crederetur. Quid ad hoc nos frigidi dicimus? Per aliquot horarum spacia manus in oratione extensas non retrahebat, sed extensione diuturna veluti cruci confixum corpus retinebat immobile, & sic animum suum ad vigilandum in precibus excitabat. Ut autem ad nocturnas preces esset excitatior, Palæmon eius magister, ubi videbat eum adhuc novitium somno premi, eduxit eum foras præcipiens ei arenam de loco in locũ portare donec somni molestiam subegisset.

Baron. A. D. 318.
Vita S. Pach. cap. 15.
Ibid. c. 7.

Ad temperantiam non minori eum solicitudine suo exemplo provocabat. Instabat dies Paschæ, & magister ad discipulum: Quoniam cunctorum Christianorum universalis est ista festivitas, nobis quoque para, quæ usui nostro sunt congrua. Tunc ille promptus ad obtemperandum, id quod sibi præceptum est implevit: Præter solitum namque parumper accipiens olei cum salibus tritis admiscuit. Lapsanas enim, id est agrestia olera & herbas alias præter oleum consveverant edere. Cum ergo præparasset, ait ad senem: Feci quod sua paternitas imperavit. Cúmque post orationem B. Palæmon accessisset ad men-

c. 8.

ad mensam, vidissetque olei apparatum cum salibus, fricans manibus frontem, & ubertim fundens lacrymas ait: *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* Cúmque rogaret eum Pachomius, ut modicum quid ex eo sumeret, nullatenus acquievit. Tunc pro more sale & pane allato ad manducandum pariter consederunt. Sed quantum putas comederunt? Josippe non ad satietatem, ne dicam ad nauseam, & ventris distensionem, quamvis fuerit paschalis solemnitas. Confessio ipsius S. Pachomij ad Deum est: *Tu nosti Domine, quia ex quo suscepi hunc habitum monachi, nimis humiliatus sum in conspectu tuo: numquam satiatus sum pane & aquâ, vel qualibet creatura alia, quam fecisti.* c. 45.

Hinc mirum non est, si vir tam abstinens ad tantam senectutem pervenit: nos ob intemperantiam morimur, antequam, quid vita sit rectè cognoscamus. Sigebertus & alij communiter dicunt eum pervenisse ad annum ætatis centesimum ac decimum, & obijsse An: Dom: quadringentesimo secundo vel quinto. Pervenerit ad istam senectutem, sed in annis Christi erratur. In Bibliotheca SS. PP. extat insignis tractatus quo S. Oresiesis Pachomianos instruit. Eius meminit S. Hieronymus in catalogo de Scriptoribus Ecclesi: & in Præfatione ad regulam S. Pachomij, ubi dicit Oresiesin primum, qui cum Pachomio & Theodoro fundamenta jecerunt Cœnobiorum per Thebaidem & Ægyptum. Et licet in vita S. Pachomij legatur Orsesius, perinde tamen est sive nomines eum Orsesium, sive Orsisium, Oresiesin, Orsiesium aut Oriesin. Jn regimine Tabennesiotarum successit Petronio, hic Pachomio. Certè ipse sui regiminis meminit in tractatu suo dicens: *Loquar aliud ad vos audentius filij charissimi, ex eo quo credidit mihi Deus conversationis vestræ, & sanctæ communicationis gregem, non cessavi cum lachrymis monere & docere singulos ut placeatis Deo: nec subtraxi aliquid quod vobis utile sentiebam ut dicerem. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ eius. Implete quod vos scitis esse pollicitos: ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Loquitur etiam de S. Pachomio jam defuncto, & eum *sanctæ memoriæ* appellat.

Sigebert in chron. Baron. A. D. 402. Rosweid. in notis. Tom. IV. fol. 37. Vita S. Pach. c. 38. 53. Gened. in catal. c. 9.

Oresiesis autem mediatus Pachomij successor haud pervenit ad An: D. trecentesimum nonagesimum tertium; nam hoc anno S. Hieronymus scripsit suum catalogum, in quo inter

Ruffin. l. 1. c. 3. vitt. PP. defunctos ponit Oresiesin. Ruffinus quoque in sua peregrinatione, quàm ante A. D. 380. peregit, ait Tabennensibus tunc præfuisse Ammonem patrem trium millium Monachorum. Quomodo igitur S. Pachomius attingere & superare potuit annum Christi quadringentesimum? Itaque si vixit centum ac decem annos oportet natum fugisse longè ante A. D. 292. vel 295. & sic visitante Athanasio monasteria per Thebaidam & Ægyptum (quod contigit iuxta Baron. A D. 328) rectius dici potuit senex, & ætate defessus, prout habetur in eius vita: calculo autem Baronij fuisset tunc primum annorum 36. Itaque si S. Pachomius ad eam ætatem pervenit, vel longè antè natus est, quàm ut A. D. 402. vel 405. mori potuerit, vel visitatio S. Athanasij posterior fuit.

Vide Rosweyd.

Vita S. Pach. c. 27.

Ibid. c. 22. 23 24.

Sed quidquid sit de anno nativitatis aut obitus magni Pachomij: cum eo disciplina non interijt, quam viderunt qui ipso iam defuncto vixerunt. Inter tot millia sub unius abbatis gubernatione tanta fuit obedientia, quantâ non potest apud nos, inquit Cassianus, unus uni obedire pro modico tempore vel præesse. E cellulis evocati relinquebant dimidiatas litteras: nihil enim præferebant obedientiæ. Cavebatur diligentissimè, ne susceptus ad fraternitatem vel unum nummum de facultatibus retineret. Nullus audebat quidquam ad cellam deferre, ibique abscondere, & sacrilegij arguebatur, qui vel minimum in propriam requiem vertisset, talemque pro perdito deflebant. Absque magno crimine nullus audebat dicere: *Codicem meum, tabulas meas, &c.* & puniebatur, si tale verbum vel ignoranti excidisset. In mensa tantum erat silentium, ut putaretur refectorium esse vacuum. Sedebant ad mensam magis contingentes quàm sumentes cibos. Herba sale condita, quam *Lapsanium* dicebant, & aquâ diluta deliciæ erant. Per quadragesimam ignis in culina non conspiciebatur. Qui ad mensam ire noluisset, panem & aquã cum sale ad cellulam ferebat, sive in unum diem, sive in biduum. Extra mensam aliquid sumere nefas erat, & in horto aut decerpere, aut colligere fructum, sacrilegium. Prout reficiebantur, laborare debebant. Regula Præpositorum erat, non desiderare vestimenta pulchra, aut dapes lautiores, aut inebriari vino, quod cum liquamine nulli nisi ægroto concedebatur etiam extra monasterium. In vestitu observabant vilitatem, in somno moderantiam, & siquis casu

Cassian. l. 1. instit. c. 1.

c. 12.

c. 3.

Reg. S. Pach. Oresies. sup

Cassian. c. 13.

Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 3.

Cassian. c. 18.

S. Hieron. prol. ad regul.

Cassian cit.

Pallad. de Pachom.

Reg. S. Pach. fin. c. 23.

Vita S. Pach. c. 24.

Cassian. c. 16.

gillonem

Digitized by Google

gillonem fictilem seu baucalem fregisset, aut ad opus vel synaxin tardius occurrisset, si in psalmo modicum titubasset, fratri durius respondisset, iniuncta negligentius perfecisset, leviter murmurasset, lectionem vel aliud obedientiæ prætulisset, finita synaxi non illicò ad cellam concessisset, cum altero ad modicum substitisset, aut aliò secessisset, uel alterius manum tetigisset, si absq; facultate cum parente aut amico sæculari collocutus fuisset, clam litteras accepisset, aut scripsisset, in synaxi prostratus ad finem manere debebat, quoad eum abbas iubebat surgere. Ira, rixa, contemptus, furtiva comestio, cum feminis familiaritas, proprietas, & his similia castigabantur verberibus aut eiectione.

Hæc sancta conversatio etiam Domino placuit, vnde & Pachomio dixit: *Posteritas tua manebit in sæculum, nec vsq; in finem mundi deficiet.* Quibus verbis admodum compungor. Nescio enim quomodo Ordo hic non defecerit & numero & sanctitate. *Erit tempus,* dixit satan ad Pachomium, *post obitum tuum, quando inter tuos monachos prout libuerit debacchabor, & agam de his quæcumq; placuerit mihi. Cui sanctus vir: Nonne scis infelix quòd forsitan post nos meliores erunt? Novi, ait pessimus dæmon, quod contra caput tuum modò mentitus sis. Tunc Pachomius ait: Tu mendacij principatum geris: nam præscire nihil omnino prævales: hoc enim solius Dei est cuncta prænoscere. Respondit satan: Secundum præscientiam quidem, ut dicis, penitus nihil novi; conijciendo tamen plurima cognosco. Et S. Pachomio sciscitante quomodo conijciat? ait ille: Ex præcedentibus quæ sunt, ventura considero. Et vir sanctus ad eum: Quomodo conijcere potes exprime. Et ille: Omnis rei principium, inquit, processu temporis ad constitutum tendit augmentum, deinde ad detrimentum vergit. Sic ergo & in hac divina vocatione conijcio, quæ inter initia sua cælesti roborata præsidio signis & prodigijs varijsq; virtutibus creuit, Cum igitur senescere cœperit à proprijs minuetur incrementis, aut temporis diuturnitate lassescens, aut negligentiæ torpore deficiens, tunc adversus huiuscemodi potero prævalere.*

Vita S. Pach. c. 45.

c. 49.

Iosippe quid audio? Numquid & satan inter prophetas? De Pachomianis non loquor, quorum an unus supersit, qui non vel ab hæresibus, vel schismate infectus sit ignoro. Tangit ad amussim vaticinium hoc omnes ordines religiosos. Etiam novissimos contemplare, & eorum revolve principia. Væ mihi, quoties hinc inde vidi censeri bonos, qui non erant extremè mali.

Digitized by Google

EPISTOLA LIV.

De Habitu S. Antonij & suorum.



HAbebat Dominus in Thebaide Pachomium, in Ægypto Antonium. Modus quo quisq; suos regebat, diversus erat. Pachomiani vivebant sub certa regula divinitus eis tradita, in qua singilatim comprehendebatur quidquid agere per hebdomadem, quidquid habere indumentorum tenebantur. Apud Antonium res aliter erat, qui tam exactam vivendi normam suis non reliquit. Lego quidem ipsum intrinsecus vestimento cilicino, desuper pellicio vsum, gestasse ependyten ac pallium, diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes induisse B. Pauli tunicam in modum sportarum de palmæ folijs contextam, semel etiam processisse in veste candente. Sed vtrùm eodem habitu cum patre suo discipuli incesserint, non invenio. Si rem breviter audire cupis, sicut voluit eos generatim vivere iuxta modum perfectissimorum monachorum, ita & jussit eos vestiri. *Sanctorum* inquit ad Arsenoitas suos, *schemata baiulamus in conspectu infidelium gloriantes.* Et: *Multi de genere nostro induerunt indumenta pietatis; virtutem verò negaverunt.* Sed quæ, inquis, illa schemmata? quæ indumenta? Josippe monachis communiter consueta. Ut est *tunica*, quàm S. Antonius habebat cilicinam, *melotes & pallium*, quæ in morte legauit S. Athanasio & Serapioni. Vestis candens & S. Pauli tunica erat extraordinaria.

S. Athan. in vita c. 23. & 58. Vita S. Pauli erem. c. 13.

S. Anton. epist. 3.

Idem epist. 4.

Ioan. vlt.

Solus *ependytes* quid fuerit controvertitur. Scapulare dicunt. Ast Ægyptij Monachi scapulare, quod analabum dicimus, non portârunt. Quamvis si nudum nomen spectas, non modò scapulare, verùm etiam omne indumentum corpori, aut vestibus reliquis superinjectum ependytes dici queat. Sic vestem intimam S. Petri Evangelium vocat ependytem, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, *tunica succinxit se; erat enim nudus,* hinc Suidas *ependyten* appellat *indusium.* S. Athanasius tunicam exteriorem ependyten nominat. ὁ ἐπενδύτης σου μέλας. *Tunica tua sit nigra.* Et ne ambigere posses eum aliud quàm tunicam indicare, distingvit ependyten à maphorio & epomide, veste humerali. Quamvis S. Augustinus *epomidem & ependyten*, Hæbraicè *Ephod* pro eodem accipiat. Nihil horum omnium ependytes S. Antonij fuit.

Suidas V. Ependytes

S. Athan. de Virgr.

S. August. l. 7 qq. in Iudic. q.

Evang. vita Anton. c. 23.

fuit. Quid ergo erat quæris? *Melota.* Nam ubi Evagrius ait virum sanctum extrinsecus tulisse *vestem pelliceam*, quæ melota dicitur alijs, S. Hieronymus dicit *ependyten pelliceum. Pellis simplex, qua monachi Ægyptij etiam nunc utuntur,* ait Eucherius Lugdun. *ex uno latere dependens melotes dicitur.* Talem ependyten donavit S. Antonius Hilarioni, cui præter eam saccus erat pro tunica, & sagum rusticum loco pallioli. Denique moribundus Antonius cum omnia sua vestimenta distribueret, nil aliud habuisse legitur, quàm duas melotas, pallium, ac tunicam cilicinam. Unde mihi persuasissimum est, S. Antonij ependyten, maximè quod pelliceus fuerit, nihil esse potuisse, quàm melotem. Paucis igitur Antonianorum habitus fuit is quem monachi communiter portabant, *tunica, melotes, pallium, cucullus cum zona.*

S. Hieron. vita Hilar. Eucher. l. 2. hæbraic. nomin. c. 10. Vita S. Hilar. Vita S. Antô. c. 58.

EPISTOLA LV.

Sanctitas B. Antonij.



Anctus Ephraim (quem communiter Ephræm sed perperam vocant, cùm ipse se Ephraimum dicat ab Ephraim Iosephi filio in baptismo nominatum fuisse.) admodum verè dicit, *sicut hominem mundanum non coma, aut vestimentum faciunt, sed pravi mores, sic monachum non tonsura commendat seu habitus, sed cæleste desiderium, divinumq; vivendi institutum, quibus optima declaratur vita. Quid enim prodest angelicum ferre habitum, ducere autem vitam mundanam? habitu esse monachos, & moribus pestiferos ac sceleratos? habitu religiosos, & moribus exitiosos? manicas ferre usq; ad digitos, linguam verò usque ad pectus? Nolim mihi respondeas: monasterium ingressus sum & habitum angelicum gero: neq; enim homines, neque Deus delectatur habitu sine operibus.* Et: *Non putes in cingulo, aut veste longa consistere perfectionem monachi, aut in eo salutem positam quod mundas aut nitidas manus habeas, aut quod capite incedas abraso, comámve nutrias. Hæc autem non ut deprimam habitum, eiq; detraham dico, quod absit: sed ut habitui mores & opera congruere debere demonstrem: nam habitus absque operibus nihil est.* Consentit his etiam S. Greg: Naz. dicens: *Etsi monachi per singulares illas suas*

S. Ephr. in testam. init.

Idem de vita spirit. fol. 68.

Idem Serm. adversf. vit. vivent. fol. 92.

Idem in hypomnist. fol. 276

Serm. adversf. vit. sup.

S. Greg. orat. 23.

vestes

Digitized by Google

vestes animi demissionem, & vitam philosophicam demonstrent, & pietatis cultum; hoc tamen indicium leve est, ut quod consistat in re merè externa: neque enim pietas in parvis istis, aut vultus tristitia constat, sed in robore animi, in mentis puritate, & sincera propensione ad bonum, qualicumq; demum habitu incedamus. Id quod etiam Ethnicis notum erat; hinc apud illos tritum illud:

Cœl. Rhodig. 3. lect. ant. q. c. 12.

οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι, καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν, οὔτε ἰσιακοὺς αἱ λινοστολίαι.

Neque enim promissior barba aut detritum amiculum philosophos, neque lineus amictus sacerdotes facit Isidis.

Hæc cum scias, petis vt descripto S. Antonij habitu etiam eius habitum mentis, nempe sanctitatem tantisper depingam. Sed hic quid ferme aliud dicere possum, quàm quod Ruffinus in ecclesiastica historia? vbi cum mentio incidisset S. Antonij: *Sanè*, ait, *quoniam tanti viri fecimus mentionem, de virtutibus eius, atq; institutis, & sobrietate mentis, & in solitudine vitam degens, vsus solummodò consortio fuerit bestiarum, & de dæmonibus crebros agens triumphos placuerit DEO super cunctos mortales, vtq; institutionis suæ præclara vsq; in hodiernum diem monachis exempla reliquerit, volentem me aliqua exponere, ille libellus exclusit; qui ab Athanasio scriptus etiam latino sermone editus est.*

Ruffin. lib. 10. hist. c. 8.

S. Ephr. in illud Attende tibi c. 10. f. 327

Nihilominus ut orexi tuæ gratificer, iliadem in nuce tibi præbeo. S. Ephraim de sanctitate veterum PP. loquens, inter alia hæc refert: Sancti patres scientes inimicorum adversum nos conatum, non segnes fuerunt, cuiusmodi S. Antonius extitit: Nam & multa exercitatione, eaq; incitatiore ac vehementiore vsus est. Jejunabat enim semper, indumentumq; gerebat interius quidem cilicinum, exterius autem pelliceum, idq; ad mortē vsq; servavit, ita ut neq; corpus sordidū causa valetudinis aquis ablueret, neq; penitus pedes suos lavaret, neq; illos vmquam omnino vel aqua tingeret, nisi necessitate cogente: sed neq; quis eum denudatum vmquam conspexit; nec prorsus Antonij corpusculum nudum, præterquam cum post mortem sepeliretur, cuiquam patuit. Et si ista ad illius virtutem parva; ex ijs tamen, qualis DEI servus fuerit Antonius considerare, & æstimare licet. Quippe qui à iuventute ad tantam vsq; ætatem æqualem semper servabat in exercitatione alacritatem, & neq; senectute fractus delicatioribus vtebatur cibis; neq; propter debilitatem corporis immutabat sui indumenti habitum.

Aut si

Digitized by Google

Aut si fortè pedes aqua tingeret; tamen in omnibus illæsus manebat: nam etiam oculos illæsos, integrosq; servabat, recteq; cernentes. Et ne singula consectemur, cunctis qui cibis varijs & lavacris, diversisque indumentis utuntur, ipse multò illustrior apparebat, ac clarior, & ad fortitudinem alacrior. S. Athan. vitá. c. 6.

Inediæ, ait S. Athanasius, & vigiliarum in tantum patiens erat, ut incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione frequentissimè ita constanter, ut eodem in excessu mentis frequenter orante cum solis ortus cœpisset infundi, discipuli eius audierint eum in fervore spiritus proclamantem. *Quid me impedis sol, qui ad hoc iam orîris, ut me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* Palladius quoque refert: cum degustato primo somno solitum fuisse surgere, & psalmos usq; ad lucem decantare. Eius lectus erat iuncus contextus cum cilicio, nonnumquam nuda humus. Edebat semel in die post solis occasum, interdum quarta demum die reficiebatur; & in monte interiori, intendens vitæ austeritatem, die primùm quinto. Cibus erat panis cum sale, potus pauxillum aquæ, & cum ieiunaret integram hebdomadem; non plus tamen sumebat postmodum, quàm unum paxamacium, panem sex unciarum. Cassian. col. lat. 9. c. 31. Pallad. c. 28. In vita sup. Pallad cit. In vita cit.

Numquam hilaritate nimia resolutus in risum est: numquam recordatione peccati tristitiâ ora contraxit: non magnis stupentium se elatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo; nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant, sed temperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine. Cum eum sive cibum, sive somnum indulgere corpusculo, aut alias naturæ necessitates cogeret humana conditio, miro afficiebatur pudore, quod tantam animæ libertatem modici carnis termini coërcerent. c. 13.

Hanc sanctam conversationem eius discipuli strenuè imitati sunt. Erant in exteriori monte, apud quem primis temporibus habitabat, monasteria tamquam tabernacula plena divinis choris psallentium, legentium, orantium: tantúmque ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflaverat, ut futuræ spei aviditate ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent: qui infinitam regionem quamdam & oppidum à mundana conversatione sejunctum plenum pietatis & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum monachorum agmen aspiciens: quis virilem c. 11.

rilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem? Quàm bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Israël tamquam nemora obumbrantia, tamquam paradisus super fluvios, tamquam tabernacula quæ fixa sunt à Domino, tamquam cedri circa aquas.

Extenderunt profectò hæ cedri ramos suos non solum per Ægyptum, verùm etiam paulatim per orbem universum. Antonius namque cessante diluvio persecutionum in Ecclesia, quo monachatus penè submersus est, tamquam alter Noë ex arca suæ speluncæ prodijt, congregatisq; fratribus monachismum tanta fœcunditate reduxit, ut vix familia esset in Christianis, quæ monachum aut monialem non haberet, quamobrem iure merito à S. Hilarione nominatus est *Columna orbis terrarum.* Ubi demirari satis haud valeo, quomodo referente Ruffino vir tanti meriti ad unius pauperculi coriarij mensuram apud Deum non pervenerit. Nam cum aliquando in sua cella oraret, venit ad eum vox dicens: *Antoni, nondum pervenisti ad mensuram coriarij, qui est in Alexandria.* Quo audito senex surgens manè arrepto baculo in civitatem Alexandrinam festinus venit. Cumque ad designatum hominem fuisset ingressus, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propter te relicto deserto huc veni. Qui respondens ait: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse. Unde & ex cubili proprio manè consurgens, antequam in opere meo resideam, dico quod omnis hæc civitas à minore usque ad maiorem ingrediuntur regnum Dei propter iustitias suas, ego autem solus propter peccata mea pœnam ingredior sempiternam. Quod verbum antequam quiescam serò ex cordis mei recenseo veritate. Quod audiens B. Antonius respondit: In veritate, fili, sicut bonus aurifex sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es: ego autem veluti sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus necdum verbi tui assumpsi mensuram.

Pelag. libell. 17. n. 4.

Ruffin. l. 1. vitt. PP. n. 130.


S. Athan. in vita c. 56.

Mortuus est autem vir sanctissimus triennio antè, quàm imperium occuparet Iulianns apostata, hoc est A. D. 358. ætatis suæ 105. & aliquot mensium, ut ipse fatetur apud S. Athanasium. Natus est ergo A. D. 253. Monachum induit anno ætatis vigesimo, Christi 273. à quo usque ad ætatis annum 35. Christi

Christi 288. hinc inde discens ac vestigans sanctos monachos c. 2.
in villulis de more illorum temporum latentes, se deinde in ur- c. 9.
nam inclusit marmoream, ubi captato vitæ solitariæ gratissimo
gustu secessit in eremum, atque in quodam monte invento de-
serto castello, cuius ostium vallavit lapidibus, permansit inclu- c. 13.
sus annis admodum viginti, scilicet ad ætatis annum 55. Christi
308. quo fraternitatem assumpsit, monasteria circa montem e-
rexit, morbos curavit, aliosque monachos visitavit usq; ad per-
secutionem Maximini, quæ cœpit A. D. 309. quo martyrij de- c. 23.
siderio perrexit Alexandriam. At interfecto S. Petro Alexan-
drino Episcopo A. D. 310. cum annnm ageret 57. remeavit ad
suum monasterium, ubi impatiens popularis concursus fugit c. 24.
in desertum interius, & in monte interiori ad finem vitæ usq;
perseveravit. Intra quod tempus biennio antè prædixit hære-
sim Arianam, quæ damnato Alexandriæ hæresiarcha emersit A. c. 51.
D. 315. Litteras quoque à Constantino & filijs accepit & reddi- c. 50.
dit; Alexandriam descendit ad damnandam hæresin sub S. Atha- c. 41.
nasio. S. Ammonium monachum in cælum migrantem con-
spexit, quod referunt ad A.D. 337. Paulum eremitam no-
nagenarius visitavit, videlicet A.D. 343. ac denique diem su- c. 32. Gordon. in chron.
um sanctè obijt ætatis ut dixi 105. Christi 358. ut scias quot Vita S. Pauli c. 6.
annis sol hic Ægyptius plagas orbis illustrarit, & quot nunc lu-
ceat in astris.

EPISTOLA LVI.

De Habitu SS. Hilarionis, Ephraimi, Basilij & Augustini.



HI quattuor, Josippe, exemplum secuti S. Antonij monachismum mirificè propagarunt, Hilarion per Palæstinam, & vicina loca Syriæ, Ephraim per Syriam ac Mesopotamiam, Basilius per Pontum & Cappadociam, Augustinus per Africam. De S. Hilarione ait S. Hieronymus: *Certatim ad eum de Syria & Ægypto populi confluebant, ita ut multi crederent in Christum, & se monachos profiterentur. Necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum ante S. Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator & eruditor huius conversationis & studij in hac provincia primùm fuit. Habebat Dominus IESUS in Ægypto senem* S. Hier. vitâ S. Hilar. c. 9.

Digitized by Google

Antonium; habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem, cujus exẽplo per totam Palæstinam innumerabilia monasteria esse cœperunt. Qua de causa rectissimè à S. Antonio *Lucifer* appellatus est.

c. 19. Pelag. libell. 17 n. 4. S. Hieron. cit c. 3.

Eius habitum describit dicens: *Sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi B. Antonius proficiscenti dederat, sagumq; rusticum.* In fine adiungit *cucullam.* Saccus pro tunica erat: sic enim habes: *Omnes divitias post obitum Hesychio familiarissimo discipulo dereliquit, Evangelium scilicet, & tunicam saccineam, cucullam & palliolum, sagum nempe rusticum.* Saccinea porrò tunica, eadem quæ cilicina est, vnde infrà ait: *Omnes adiuravit vt eum terra operirent sicut vestitus erat in tunica cilicina, & cuculla & sago rustico.* Et rursus: *Capillum semel in anno Pascha die totondit: super nudam humum stratumq; iunceum vsq; ad mortem cubitauit: saccum quo semel fuerat indutus numquam lauans, & superfluum esse dicens, munditiam in cilicio, hoc est, in sacco quærere: nec mutavit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset.* Nec novum est saccum & cilicium esse synonyma. Nam etiam S. Augustinus, vbi nos in psalmo legimus, *Posui vestimentum meum cilicium*, saccum legit, addens in confirmationem quod alibi dicitur, *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio.* tamquam nihil intersit, sive saccum, sive cilicium legas. Josephus quoq; vbi nos in Scripturis legimus, *Davidem cilicio indutum rogasse Deum*, habet *sacco amictum.*

c. 38. c. 5. S. Aug. 1. p. enar. psal. 68. Psal. 34. Ioseph. l. 7. antiq. c. 13. Lib. 1. Paral. c. 21.

Portabatur autem saccus à monachis partim ad demonstrandã humilitatem, vnde à S. Clemente ἔνδυμα ταπεινοφροσύνης *indumentum humilitatis* dicitur, ob virtutem pœnitentiæ. Hinc S. Basilius: *Saccus humilitatis symbolum facit ad pœnitentiam: antiquitus enim Patres in sacco & cinere egerunt pœnitentiam.* Et S. Augustinus, apud quem idem saccus & cilicium sunt, docet cilicium vestem esse pauperum, eoq; indutos fuisse catechumenos petentes baptismum in signum detestationis prioris vitæ. Quin adeo saccus certum humiliationis indicium erat ut etiam Ethnici testimonio Tertulliani saccis velati, & cinere conspersi incederent, quando *annus arebat, & stupebat cœlum.* Docet autem S. Augustinus saccos de capris & hædis confici, quod utrumq; animal, ait, inter peccatores ponitur, ut mirum non sit, si saccus assumptus sit ad pœnitentiam & corporis mortificationem. Sed oportet eum intus ad cutem, non extrinsecus ferre.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 10. S. Basil. hom in psal 29. fin. S. Aug. serm. 112. diverf. c. 4. Idem l. 2. de symbolo. c. 1. Idem ep. 208. Tertull de Ieiun. contr. Psychic. c. 16. S. Aug. enarr. psal. 29.

ferre. Alij, inquit Epiphanius, occultum saccum portant, scilicet, qui ex ordine pœnitentiam exercent: *indecens enim est publicè in sacco prodire*, ut quidam faciunt, Euchitæ scilicet. Alibi docet, *Sacci vestitum publicum esse contra morem Ecclesiæ.* Sanè de se ipso B. Hieronymus ait: *Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat.* Sic nempe attriverat eam durities, & assidua perfricatio molestæ materiæ. Unde bene S. Basilius. Aspero, inquit, *indutus sacco.* Et S. Greg. Naz. memorat, *Quosdam petulantiam carnis domuisse sacco.*

S. Epiph. exposit fid. ad fin n. 17. Idem hæres. 80. n. 6. S. Hieron. ep 22. S. Basil. ep. 2. ad lapsi. S. Greg. Iābic. 18. fol. 214.

Pelliceum S. Hilarionis ependyten nuper tibi meloten esse dixi à Palladio χλαμὺς δερματίνη vocatur. Quod eius in obitu & sepultura S. viri nulla fiat mentio; causam esse reor, quòd scisso illo, quo eum donaverat S. Antonius, pauper Christi non habuerit, vnde compararet alterum.

Pallad. de S. Anton. c. 26. Vita S. Hilar. c. 38.

Cuculla ordinaria vestis omnium monachorum fuit, vti habes in comparatione S. Ephraimi cum Basilio, quam proinde portavit & Hilarion. Habuit & sagum, sed rusticum: nam sagum absolutè à probatioribus monachis tamquam vestis delicatior reprobabatur: Vnde Cassianus corruptiores anachoretas arguit, quod sagum in cellulis habeant obtentu humanitatis atq; hospitalitatis. Aliàs sagum vestis brevis erat, superinjecta reliquis, facta de lino, unde S. Paulinus *chlamydem curtam lini* appellat. Eo induebantur Romani tempore belli. A quibus loco pallioli ad monachos transijt tamquam ad milites Christi, quos inde S. Paulinus *sagulis palliatos* appellat. Ab Orosio *vestis mæroris* dicitur. Quare si portabatur à monachis melioris notæ, de crassa erat materia, & idcirco vocabatur *rusticum* ex vsu rusticorum. Deniq; sagum & stramenti genus est. Unde S. Benedictus: *Sufficiant matta, sagum, læna, capitale.*

S. Amphiloch. Cassian. l. 5. instit. c. 3. & collat. 19. c. 6. S. Paulin. ep. 7. ad Sever. Ibid. Orosi. l. 5. hist c. 18. S. Bened. reg. c. 55.

Quo tempore S. Hilarion in Palæstina, monachum agebat in extremis Syriæ partibus B. Ephraim Edessenus iuxta S. Gregorium Nyssenum. Vir hic eminentissimæ sanctitatis ad exemplum sui trahebat innumeros, qua causa eum S. Basilius *patrem monachorum per deserta Syriæ* nuncupat. Neq; enim minus ab eius nutu pendebant omnes monachi tam cœnobitæ, quàm anachoretæ per Syriam, quàm qui se exercebant in Palæstina ab Hilarione & qui in Ægypto ab Antonio. Vnde sicut Ægyptij & Palæstini in habitu se conformabant suis magistris,

S. Greg Nyssen. de laudib. Ephr. S. Basil. in colloq. cum Ephr inter opera Ephr. f. 154

Digitized by Google

S. Doroth. doctr. 1. S. Ephr. de acquir. humil. c. 88. serm. adverf. vitios. vitt. & in Attende tibi c. 2 In Proverb. & vita Iulian. S. Doroth. doctr. 1. S. Ephr. adu. vit. viv. Serm. de abstin. à cup.

sic & Syri suo Ephraimo. Is autem erat ex Dorotheo *Tunica absq; manicis, seu colobium cum signo crucis purpureo, zona pellicea, analabus & cucullus.* Colobij, cinguli, & cucullæ, etiam S. Ephraim recordatur, sicut & analabi, qui quia à scapulis pendebat, ab eodem etiam Scapulare nominatur. Ponebatur autem super humeros in formam crucis, & significabat monachos implere id, *Renuncia omnibus, & tolle crucem tuam & sequere me.*

Serm. adu. vit. viv. S. Athan. de Virg. Vita S. Euphrax. c. 6.

Ferebant & tunicam longam cum manicis vsq; ad digitos, nempe quando non laborabant. Oderat quippe vir sanctus tunicas breves supra crura sublatas tamquam indices mentis imprudentiæ. Manus autem nolebat passim nudas apparere, & per longas manicas abscindebat vanitatem ex comptioribus ac nitidioribus manibus: *Non enim putes,* inquit, *in eo salutem positam, quod mundas ac nitidas manus habeas.* Quocirca & S. Athanasius monialibus longas præscripsit manicas, & tunicæ Virginum Tabennensium protendebantur vsq; ad pedum extremitates, ne vel levissimum præiudicium pudicitiæ fieret à nuditate. Taliumq; tunicarum meminit etiam S. Ephraim & Dorotheus. Romani tunicas manicatas in feminis honestati, in viris adscribebant probro.

S. Ephr. in Prov. S. Doroth. doctr. 1. A Gell. 7. noct. c. 12. S. Euphr. de humil. acq. Idem de vita spirit. n. 64. Serm. de advent. 2. f. 473 In Proverb. f. 516.

De pallio supervacuum est aliquid superiùs dictis adjungere. Nec de cella absq; eo Syri prodire audebant. Calcei, nisi fallor, apud eosdem liberi erant. *Nudus & absq; calceis potiùs incedere eligito, quàm humilitate spoliari,* dum dicit S. Ephraim, calceatos fuisse intellige. Contrà, dum ait: *Ne hodie nudis incedas pedibus, & cras calceamentorum varietate gaudeas, scito* eos exercuisse nudipedalia. Vnum restat *Camisium seu camasium,* de quo idem Syrorum monachorum Dictator ait: *Insolentiæ signum est in monacho sinistram partem camisij indecenter assumere.*

S. Isidor. l. 19. Etymol. Pallad. c. 149.

Arbitror fuisse linteum, quod inter laborandum ceteris vestibus superinjciebant, ne materia operis eas, ut solet, inficeret. Sic Jsidorus ait tunicam sacerdotis lineam corpori adstrictam & vsq; ad pedes descendentem vocari vulgò camisiam. Et glossæ Basilicorum apud Rosvveydum in Onomastico ad Palladium dicentem S. Magistrianum Virginem Corinthiam in lupanari induisse suis vestibus, nempe exterioribus, tunicâ, camisia, & chlamyde, dicunt, Camisium esse tunicam laborantiũ ἀπὸ τοῦ κάματος, à labore potius deriuatum, quàm à cama, quod est grabatum, Græcè σκίμπους, vnde rectius legendum esse arbitror camasium, quàm

Digitized by Google

quàm camisium. Insolentia autem cuius S. Ephraim suos arguit, in hoc videtur fuisse, quod partem sinistram camasij indecenter super ulnam assumpserint, atq; in humeros reflexerint cum denudatione brachij, quod nolebat S. Ephraim summus vbiq; pudicitiæ præco.

S. Euphraimum secutus est magnus Basilius, quem in hodiernum usque diem chorus Monachorum in Græcia tamquam solem suum adorat. Eius regulæ & instituta monastica certum habitum non præscribunt, quo tamen ipse sit usus, eius verba indicant. *Existimabam*, inquit, *sat indiciorum esse ad demonstrandum statum humilitatis, si haberem indumentum abjectum, pallium crassum, zonam, calceosq́ e rudi corio.* Simplex & planè philosophicus habitus ac valde discretus consulens monasticæ paupertati, cavensque fastidia colobiorum, analaborum, camasiorum, ac melotarum. Quid enim potest Monachus desiderare amplius, si habeat tunicam, pallium, zonam & caligas? Placuit hæc discretio etiam S. Augustino, cui monachismus in Africa quidquid est debet: nam etiam hæretici ipsi exprobrabant ei, quod in eam mundi partem hoc vitæ genus introduxerit. In eius regula, quam eremitæ Augustiniani observant, nullum certæ vestis genus exprimitur; nec in germanis eius operibus reperitur, qualiter ante clericatum incesserit. Aliàs ex Salviano constat monachos Afros præter tunicam habuisse cingulum & palliolum; generalis habitus is erat monachorum, & sufficiens ad vitæ institutum demonstrandum, maximè si accessisset vilitas ex S. Basilio, & abscessisset vanitas & notabilitas ex S. Augustino.

S. Basil. epist. 79.

S. Aug. l. 3. contr. litt. Petil. c. 40.

Salvian. l. 3. ad eccl. cathol p. 461 & l. 8. de gubern. Dei S. Basil. reg. fusior. 22. S. Aug. in reg.

EPITSOLA LVII.

De Habitu singulari quorumdam Monachorum.



Vix possibile est, Iosippe, omnium Monachorum habitum etiam prolixâ epistolâ comprehendere. Præ oculis est quanta sit hodie diversitas vestium inter Religiosos, sic ut unus sæpe Ordo in diversis provincijs diversimodè incedat, & utinam in eodem sæpe Cœnobio uniformitas esset. Quid ergo mirum si antiquitas sibi non convenit in eodem habitu, ubi maior cura virtutum, quàm indumentorum erat? nec religiosi in certas familias

Digitized by Google

milias ut nunc tam solemniter distinguebantur. Sedebant plurimi vel sub vite monasterij sui, vel sub ficu cellulæ aut cavernæ suæ, & quod sibi videbatur rectum, hoc faciebant. Vestitum tribuebat aut paupertas, aut fidelium charitas, aut natura. Multis pili corporis pro vestimentis erant: multi varijs animalium pellibus nuditatem tegebant. Ferarum pellibus indutus erat Salomon ex rege Hungariæ eremita, vervecum S. Amatus & Marculphus, hædinis & caprinis innumeri; nec putes pelles has semper elaboratas fuisse, crudæ portabantur à S. Guthlaco. De varijs ciliciorum generibus, de tunicis ex palmarum folijs, de colobijs stuppeis, de diversis melotis hîc taceo. Scorteas has vestes nonnulli appellant, cuius generis & Sisyra est, nempe pallium de pellibus caprinis, indumentum Aphraatis & aliorum apud Theodoretum. Non pauci incedebant nudi, adeoque nonnisi aëre, cœlo, antris, sepulchris, aut ferreis vinculis obtecti vel loricis. Tempus me deficiet, si commemorare velim plurimos, qui per diversas solitudines errabant vestiti tam vilibus centonibus, quos nec Lazarus ante fores divitis collegisset. Prout quisque poterat suam carnem velabat. In congregationibus etsi non inveniebatur tanta varietas; si quæ tamen ab alijs non dependebant, ex arbitrio Abbatis se vestiebant. Hinc alij ferebant lebetam seu colobium, alij non: alijs erat *cruciferum analabum seu redimiculum* aut scapulare, alijs non: hîc usus erat melotæ, alibi non: S. Benedictus quoque suos iussit observare loci qualitatem, & in loco frigido concessit cucullam in hieme villosam, pedules & caligas, & pro itinerantibus femoralia, quæ monachis alijs non erant. Brocardus refert suis temporibus monachos Ciliciæ, Armeniæ, & Georgianorum supra tunicam griseam ac detritam, sed cum amplissimis manicis tulisse pelles arietinas, grossas ac rubeas adiecto scapulari nigro vili & aspero instar cilicij. Græci hodie utuntur tunica & caputio nigris aut griseis, ut nostros omittam, apud quos sæpe sola diversitas habitus animorum alienationem causat. Sæpe vidi religiosos hospites negligentius haberi ea tantum ex causa, quòd habitum gestent diversum, quasi non possit sub diversissimo schemate idem inhabitare spiritus. Quid si ex India quidam ad nos venirent, ubi quondam gens illa vestiebatur è lignis, monachi lignei?

Sulpit. 1. dial. c. 11. Ioan. Subdiac. l. 3. n. 11. & 12. S. Ephr. serm. in SS. PP. fol. 770.
Bonfin. de reb. Hungar.
Surius de S. Amato & l. 4. vitt. PP. Ovid. de Marcul.
Surius t. 2. de S. Guthl.
Tertull. l. 3. contr. Marc. c. 11.
Theodor. l. 4. hist. c. 24.
S. Ephr. serm. de beatit.
Vita S. Steph. iunior.
S. Bened. reg. c. 55.
Brocard. in descript. terræ sanctæ.
Ioã. Cotouic. in peregr. l. 2. c. 6.
Herod. l. 7.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA LVIII.

De Veste Cilicina.



NIsi scriptum meminissem, Josippe, *Væ qui ridetis*, risissem. Excussis enim & inspectis omnibus vestiarij mei arculis, ad sola cilicia venire noluisti. Credo quòd mordax odor tibi contrarius sit. Sed crede mihi: *Odor hic extricat omne genus dæmoniorum.* Non leve remedium in pilis & nodulis cilicij est. Subuculam cilicinam monchi Abraamis pluris suâ purpurâ fecit Imperator. Rectè proin S. Jvo: *Quæ vestium*, inquit, *nobilior est B. Cæciliâ, quæ cilicio membra domabat?* Sunt enim membra in nobis reluctantia spiritui, ac stimulantia ad peccatum. Unde sicut clavus clavo, sic stimuli carnis stimulis cilicinis extrudendi sunt. Id S. Martinus studiosè fecit, de quo sacer poëta.

Luc. 6.
Tob. 6.
Theodoret. in vita S. Abraã.
S. Ivo ep. 10.

Quin & contexto setis coopertus amictu
Exæsa assiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem vestis nimis aspera pellem,
Et cutis extentis stimulis attacta paueret.

Celsus beati Martini discipulus eodem utebatur remedio. Vnde Paulinus.

S. Paulin. l. 2. vit S. Mart.
Idem carm. ad Cythæriam.

Si modò lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigerum setis dum tegit & stimulet.

Vbi vides saccum pro cilicio usurpari, sicut aliàs tibi dixi synonyma esse: rectè ergo Basilius, vbi nos dicimus *In cinere & cilicio in cinere & sacco* dicit.

S. Abraham monachus syrus ad sui corporis mortificationem infra sagum per annos 50 tulit tunicam cilicinam, qualem & nepti Mariæ dedit: nam *decet virginis cutem*, vt Jvo ait, *cilicio esse squalidam.* S. Postumius cilicio corpus opertum habens per eremum cucurrit, vt miserum frangeret corpus. Et generatim de monachis S. Paulinus loquens vocat eos *horrentibus cilicijs humiles*: jam enim ex S. Cypriano & Ephraimo constabat vsum cilicij non infimum locum inter opera mortificationis habere.

S. Basil. in ps. 29.
S. Ephr. in eius vita.
S. Ivo. sup.
Vita S. Posthum. c. 6.
S. Paulin. ep. 7. ad Sever.
S. Cyprian. de ieiun. & tentat. Christi.
S. Ephr. serm. 3. de compũct.

Sed non debet apertè portari, ne vana ostentatio corrũpat bonum opus. Qua de causa Cassianus ciliciũ ab ordinario monachorum habitu reijcit, dicens sapere superbiam, & nullum

Cassian. l. 1. instit. c. 3.

corpori conferre emolumentũ: impedire item laborantẽ, & nec olim, neq; suo tempore in vsu fuisse, nisi apud paucos, vt fuerunt [S. Aug. ep. 81] monachi insulæ caprariæ, qui ut paupertatis studium forinsecus demonstrarent, cilicia tulerunt, *vestes pauperum*, vt ait [Idem serm. 112. diversf. c. 4.] S. Augustinus. Cassiano consentit S. Basilius. *Vestis ex pilis facta vsus*, inquit, *sua tempora habet: non enim temporalis ne-* [S. Basil. reg. brev. 90.] *cessitatis gratia harum vsus est, sed afflictionis & humiliationis ani-* [S. Greg. Naz. orat. funebr.] *mæ*. Vnde S. Pater cilicium solis noctibus portare solebat, ne id ab alijs adverteretur. Alij contra longiorem somnum, & noctium phantasmata cilicijs indormiebant. Alij de die portabant, sed subtus vestes, quem usum non reprobat Cassianus e- [4. Reg. 6.] xemplo regis Ioram, sanctique Antonij, plurimorumque mo- [S. Damasc vita Barl. c. 18] nachorum, in quorum persona S. Barlaam ait: *Vestes nobis ex asperis cilicijs sunt, & ovium pellibus:* illæ in his, hæ foris. [S. Sulpit. l. 4. dial. c. 1.] Quin & cilicijs insidebant, ne fœdarent vestes. Unde Sulpitius. *Cilicium cui insederat propius ad me admovit.*

Nec solum carnales stimulos, verùm etiam peccata ipsa [S. Aug. l. 2. consens. Evãg. c. 4.] cilicium virtute pœnitentiæ expungit. Portatur enim iuxta S. August. ad peccati significationem, immo & detestationem. [In vita S. Pelag.] Sic S. Pelagiæ pœnitentis indumentum erat cilicium, & publi- [Conc. Agath. can. 15.] cis pœnitentibus, ubi acceperunt benedictionem, illud expande- [Optat. Milev. l. 2.] batur super caput; quo circa ab Optato nuncupatur *velamen* [Pacian. paræn ad pœnit.] *pœnitentiæ, velamen mortiferum, & funus dignitatis:* nam omnis dignitas in pœnitentibus publicis expirabat. Obvolvebatur [Esaiæ. c. 3.] quoque cilicio pectus ipsorum, iuxta illud, *Pro fascia pectorali* [Damascen. ei c. 35.] *cilicium.* Denique super cilicium plures non solùm mori volebant, sed etiam in eo sepeliri, sicut legimus de S. Iosaphat, qui etiam patrem suum in veste cilicina tumulari voluit. I nunc [Theodoreth. vitã S. Polychron.] Iosippe, & contemne hunc habitum, quem omnes boni religiosi ab initio inter spirituales delicias habuerunt. De solo S. Polychronio lego, quod missum sibi cilicium contemptim remiserit: erat namque densius & elegantius. Vir autem sanctus contra omnem rationem esse putabat, elegantiam in habitu pœnitentiæ tolerare, vel conspicere.



ANTI-


Digitized by Google



ANTIQVARII MONASTICI TONSTRINA.

EPISTOLA LIX.

Tonſura quid ſignificet, cur fiat, & quomodo differat à raſura & corona.



Onderi, Joſippe, dicimur, cum capilli forfice minuuntur; radi, cùm novaculâ. Utrumque apud homines antiquiſſimo in uſu eſt. *Gentiles olim*, ait Tertullianus, *vel totum filij caput reatui vovebant; aut aliquem excipiebant crinem; aut totum novaculâ proſecabant.* Deciſos crines Numini, cui votum fecerant, in templo offerebant, ut Lucianus aſſerit. Pari ferè modo Nazaræi, etſi comam, cùm in voto erant, nutriebant; completis tamen voti diebus ante oſtium tabernaculi fœderis radebantur, abraſique capilli cum ſacrificio pacificorum comburebantur. Sacerdotes Iſidis & Oſiris in Ægypto totum corpus ſingulis diebus abradebant, ut nec ſupercilijs parcerent. Romani primam barbæ & crinium raſuram Dijs in templo offerebant, etſi abſque voto facta fuerit. Denique Argivi ſe devoverunt non prius comam detonſam alere, quàm Thyream recuperaſſent à Lacedæmonijs. Tonſura igitur & raſura iam antiquitùs vel ſub votum cadebat, vel in uſu apud Deo conſecratos homines erat, vel Numini offerebatur.

Terul. l. de anima c. 39.

Lucian. in dea ſyr. fin.

Num. 6.

Herodot. l. 2. S. Ambr. l. 6. epiſt. 36.

Sueton. in Neron. c. 12.

Herodot. l. 1.

Fiebat etiam in pœnam & ignominiam. Ita latrones

Vitt. PP. Ovid. l. 7. de S. Cuthbert. c. 17. Herod. l. 3. Philostrat. in Apollon. l. 7. Prochor in vita S. Ioan. S. German. in theor. rer. eccl S. Cyprian. ep 77.

quondam toto capite tondebantur. Et Herodotus ait, Zopyrum comam sibi deformiter totondisse, quasi id à Dario fuerit factum. Domitianus quoque Imp: Apollonio Thyanæo philosopho mago comam & barbam iussit in ludibrium auferri, id quod eum S. Ioanni Evangelistæ quoque fecisse pseudoProchorus tradit. Aliàs in eamdem ignominiam & derisionem S. Petrum ab Ethnicis tonsum fuisse legis in Germano Constantinopoli Episcopo. S. Cyprianus docet damnatos ad metalla consuevisse semitonderi, quod & servis accidebat apud Romanos. Et ex vita S. Fulgentij cognoscimus monachos ab Ariano presbytero flagellis ac fustibus gravissimè cæsos ac decalvatos fuisse. Narratque Siffridus presbyter Misnensis suo tempore hæreticos prius, quàm cremarentur solitos fuisse tonderi. Atque ex Concilio Ratisponensi Nonnæ velatæ fracto voto castitatis toto capite radi debebant. Et hæc ipsissima causa est, cur olim Pœnitentes in Ecclesia tondebantur, quia reos se profitebantur. Unde ex decreto Hispanico indigni censentur regio sceptro, qui vel sub religionis habitu aliquando detonsi, vel ob crimina decalvati fuissent.

Siffrid. Chrō. A. D. 1233. Vel August. A. D. 742. Sulpit. epist. 7 Concil. Tolet. VI. can. 17. A. D. 583.

Deniq; in luctu etiam quidam tondebantur. *Apud Delos*, inquit Herodotus, *pueri & puellæ tondent crines in funeribus.* Et Persæ Mardonium equitum præfectum cæsum in pugna ita luxerunt, ut se, & equos & iumenta totonderint. Alexander magnus sicut Persas in campo, sic & superavit in luctu: nam Hephæstione intimo amico defuncto non solùm equos & mulos tonderi iussit, verùm etiam pinnacula dempsit in luctum civitatibus, tondens mœnia, domos, & integras civitates. Ex adverso apud alias nationes qui versabantur in luctu, qui rei, qui accusati ac damnati erant barbam & capillamentum promittebant. Quæ res apud latinos auctores testatissima est. Orosium lege, Suetonium, Plinium cum Seneca, & mecum senties. Caius Cæsar, inquit Josephus, regem Agrippam vinculis solutum tonderi iussit: nam more Romanorum in captivitate capillos sinebat crescere. Eodem modo Patriarcha Joseph ob detersam captivitatem capite rasus est, vt scribit Beda cum Orosio. Potuissent addere, ob exutam quoq; servitutem: nam, teste Plauto, abrasio capitis signum apud veteres erat manumissionis. Quapropter tam tonsura, quàm rasura apud alios tristitiæ, apud alios signum erat lætitiæ. Apud alios, ait Herodotus

Herodot. l. 3. Idem l. 9. Zonar. l. 1. annal. Oros. l. 5. hist c. 17. Sueton. in Iulio c. 67. in Augusto c. 33. in Caio c. 24. Plin. 11. 7. ep. 27. Sen. 9. declā. 4. respons. 27. Ioseph. l. 18. antiq. c. 15. V. Beda l. 5. hist. Angl. c. 22. Oros. l. 4. c. 20. Plaut. in Amphith. act. 1. scen. 1. Herodot. l. 2.

rodotus, ritus est, statim in funere proximi capita deglabrare: Ægyptij in funeribus sinunt capitis crines augescere; barbam tamen tondent. Sic Job, inquit Beda, tempore tribulationis attonsus fuit, Joseph ab soluta tribulatione; ut mirum non sit, si homines etiam DEO consecrati nunc promissiores ferant barbas & capillos, nunc attonsos, nunc abrasos. Nam suæ causæ quilibet iustam habet intentionem, ut ostendam.

Beda cit. Iob Gen. 41.

Numquam, Josippe, homines in disputatione crinium convenire potuerunt. Argiui, antequam se devoverunt, criniti erant, Lacedæmonij tonsi: ex voto deinde illi tonsi, hi comati; præsente tamen periculo comam pectebant. Posterioribus tẽporibus Græcis omnibus capillus in humeros defluebat; quos tamen Theophilus Imperator, cum natura esset recaluaster, ita tonderi iussit, vt crines vltra collum non descenderent. Romani contrà capite & barba attonsi erant, quorum multi barbam etiam evellebant, ne facilius succresceret, homines mulierosi, & Romanorum nomine indigni. Franci solis regibus exceptis, tondebantur, Longobardi comam nutriebant omnes. Æthyopes qui ab ortu solis sunt, ait Herodotus, promissos crines, qui ex Africa, crispissimos inter omnes homines habent. Ægyptiorum firmissima capita sunt, ut vix lapidis ictu elidantur, cuius rei ratio est; quia ea à pueris radunt, sicq; postea ad solem durantur, vnde nec calvescunt. Germanos rutila cæsarie quondam comatos fuisse reperio, unde Suevorum, quos præstantissimos Germanorum Plutarchus ait, etiam insigne erat obliquare crinem, nodosq; substringere. Bavaros præterea in specie scio ex concilio Dingolfingensi capillum nutrivisse. Arabes tondebantur in rotundum tempora subradentes. Machlyes Africæ populi occiput crinitum gestabant, Auses sinciput. Maxies in eadem orbis parte dextram capitis partem gestabant comatam, sinistram rasam. Galatæ ruffas comas suas calamistro à fronte in cervicem reijciebant, quas tanta crassitie nutriebant, vt ab equorum iuba nihil differrent. Et quid in antiquis moror? Ante oculos est, hîc comatos, ibi tonsos, aut semitonsos esse provinciales, & vnam sæpe gentem per tempora in tonsura mutari. Me puero nemo penè crinitus erat, hodie nemo penè tonsus: & luxum seu stultitiã Caij Cæsaris in circũpositione circumplicatorũ crinium viri feminæq; imitãtur. Ridiculũ admodũ est: Quibus cæsaries non nascitur, emitur.

Herodot. l. 1. & 7.

Concil. œcũ. VI. can. 21. Luitprand. l. 5. hist. c. 9. Zonar. tom. 2. in Theophilo, ex Cedreno Anast. in vita Adrian. I. Henric. Spõdan. A. D. 58. n. 54. & 57. Idem A D. 516. n. 6. Anastas. cit. Herodot. l. 7. & l. 3.

Idem de situ & morib. Germanor. Plutarch. in Cæsare. Herodot. de situ &c. cit. A. D. 772. Herodot. l. 3. Idem cit.

Deodor. sicul. l. 4. histor.

Ioseph. l. 19. antiq. c. 1

Hoc autem noveris. Etsi subinde in capillatura laici cum laicis convenerint; personas tamen ecclesiasticas, monachi seu clerici extiterint, à laicis in tonsura semper discrepasse. Sic Ecclesia voluit: Concilium Tolet. IV. omnino prohibet, ne clerici per Hispaniam prolixis, ut laici, comis incedant. Triburiæ (quæ fuit civitas regia inter Oppenheim, & Moguntiam, nunc diruta) sub Arnulpho rege similiter statuitur, vt clerici ad sæculum reversi, & comam instar sæcularium nutrientes, iterum tondeantur. In concilio generali Constantinop. sub Agathone Papa jubentur clerici post pœnitentiam forma clericali retonderi: quod si verò se non emendent, nec peccata defleant καθάπερ οἱ λαϊκοὶ τὴν κόμην ἐπιτρεφέτωσαν, laicorum more comã nutriunto. Qua de causa Hildericus rex ultimus Franciæ de genere Merovingorum, & postea Ludovicus Pius recisis crinibus, quos vt Galliæ reges alebant, detonsi sunt, atq; ad monasterium & pœnitentiam trusi.

A. D. 633. can. 40.
A. D. 895. c. 27.
Concil. œcum. VI. cit.
Eginhard. in vita Carol. magni
Annal. regg. Franc. A. D. 829.

Inficias interim non eo, tam clericos, quàm monachos subinde in peius lapsos ad morem sæcularium declinasse in comendis & nutriendis crinibus. Et vtinam non modò essent, qui plus operæ in ornanda coma, quàm anima ponerent. Necessaria negliguntur, & corporis superflua summa cura curantur. Eremitæ quoq; huic interdum vanitati studebant. At hi omnes idcirco ab Ecclesia reprobati, correpti, & si non correcti, damnati sunt. Audi obsecro S. Augustini invectiuam. An ita, inquit, ipsis vacandum est, vt nec tonsores operentur! An quia evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint? An timent, ne vilior habeatur tonsa sanctitas, quàm comata? Nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei, quam infrà dicit perturbari & offendi vitio capillorum contra Apostolum præcipientem ne viri comati sint, ad distinctionem feminarum, quarum est nutrire comam, eaq; caput velare. Additq; comatos hos monachos non debere in exemplum adducere Samuelem, & ceteros qui olim non tondebantur: cum coma illorum non litteraliter, sed spiritaliter intelligenda sit pro velamine nostrorum mysteriorũ priscis velatorum. Tandem concludit. Vereor in hoc vitium plura dicere, propter quosdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa, & penè omnia veneramur. In concilio Romano A. D. 743. anathema iudicatur sive clericus, sive monachus præsu-

S. August. l. de oper. monach. c. 30. 31. 33.
1. Cor. 11.

præſumens laxare comam. In ſynodo Dingolfin. præcipitur corripi, & excommunicari, qui poſt tonſuram capillos vſu populari auſit nutrire. Quid ſi & vſu feminarum, ut hæretici Maſſalianenſes apud S. Epiphanium? S. Epiphan. hæret. 80.

Differt tonſura & corona tamquam efficiens ab effectu; quia per abſciſſionem crinium relinquitur in capite clerici vel monachi pilorum circulus, qui ex ſua forma corona dici cœpit. Ita loquitur S. Greg. Turon. In circuitu modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eiſdem coronam clerici fuiſſe ſignatam. Item Baronius ex S. Iſidoro: Quod autem detonſo ſuperius capite, inferius circuli corona relinquitur. Concilium quoq; Eboracenſe coronam à tonſura diſtinguit, vnde clericis præcipit, vt tonſuram habeant & coronam. Idem ijſdem verbis dicitur in concilio generali Romano ſub Innocentio III. De Atderico Barboſo Marianus Scotus Fuldenſis monachus refert, quod feminas & puerulos more clericorum coronando totonderit. Deniq; concilium Oxonienſe præcipit, ut clerici comam non nutriant, & honeſtè tonſi & coronati incedant. Quo verbo iam antè V. Beda vſus eſt in hiſtoria Anglicana, dum ait *Monachica tonſura coronatus*. Et ante Bedam ex S. Auguſtino cognoſcitur populum, cum aliquid enixius ab Epiſcopo poſtularet, per ipſius coronam rogitaſſe, adeò iam antiquitus non ſolum tonſura, ſed & corona in capitibus clericorum & monachorum erat. Vt mirer Tertullianum in libro de corona militis, vbi omnis generis coronas in medium producit, nullam feciſſe mentionem coronæ clericalis; niſi dicas eo tempore tonſuram eccleſiaſticam nondum dictam fuiſſe coronam. S. Greg. vitâ S. Nicet c. 17 Spondan ſup. n. 50. A. D. 1197. A. D. 1215. c. c. 16. Marian. chro. A. D. 1053. A. D. 1222. Beda l. 5 hiſt. c. 13. S. Aug. epiſt. 147. Tertull. l. de coron.

Si quæris qua de cauſa perſonæ eccleſiaſticæ tonſuram ferant, & eam quidem per modum coronæ circularem, ex V. Beda reſpondeo. Per coronam in memoriam nobis revocari coronam Chriſti, ſignum paſſionis ejus, quæ & ſpinea erat documento attonſis, vt ſicut ille crucem patienter portauit, ſic & nos tribulationes. Per raſionem verò capitis docet S. Clemens, ſignificari rationem noſtram non debere obnubilari comis ignorantiæ. B. Paulinus dicit per accisionem crinium denotari accisionem noſtrorum delictorum. Alij ſuperfluitatum, cum pili corporis ſuperflua ſint. Acciduntur autem in rotundum in modum coronæ, quæ circularis eſt, nempe ſine fine, ſignificatq; iuxta Bedam æternitatem vitæ beatæ. Concilium Ravennate V. Beda l. 5. hiſt. c. 22. S. Clē. Alex. l. 1. Pædag. c. 2. S. Paulin. ep. 3. ad Sever. Beda cit. A. D. 1314. rubr. 3.

vennate

vennate III. coronæ mysterium explicans ait: Clerici & religiosi coronam condecentem portent, qua designatur regalis esse generis, & sperare se assequi debere partem hæreditatis divinæ, quæ est rotunda. S. Jsidorus Hispalẽsis his ferè omnibus consentit dum ait: Hoc signo tonsuræ significari, ut vitia resecentur, & vt criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atq; inde innovatis sensibus, vt comis rudibus, enitescamus. Eam verò renovationem in mente oportere fieri, in capite autem demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod autem detonso superius capite inferius circuli corona relinquatur, eo signo regale Ecclesiæ sacerdotium demonstrari. Deniq; quia suprà dixi, Tonderi fuisse signum luctus & pœnitentiæ, quod etiam ex scriptura patet, Tonsurati cogitare debent se esse extra statum gaudij, & voluptatum. Quamvis ne tu Josippe, qui cum vulgo comatus es multum gaudere queas; nam iuxta S. Hieronymum Coma non est signum diadematis, sed fletus. Et ex doctrina S. Ambrosij laxare comam quondam reorum, accusatorum, damnatorum & lugentium erat. Addo & proditorum: nam Histiæus hosti arcanum proditurus seruo caput rasit, litteras impressit, & crines crescere fecit: deinde misit eum ad Aristagoram, jubens vt si scire velit, quæ agantur, servum radat & caput inspiciat.

S. Isid. l. 2. c. 4. de divin. officijs.

Iob 1. Isai. 22 Mich. 1.

S. Hieron. ep. 77.

S. Ambr. l. 3. in Luc. c. 3.

Herodot. l. 5.

EPISTOLA LX.

De Tonsura monachorum.



MOnachos ab eorum prima institutione aut tonsos aut rasos fuisse explorata sententia est. S. Dionysius Areopagita discipulus erat S. Pauli, hic eos tonsos esse affirmat, nisi dicas libros sub ejus nomine alterius esse, sed caue ne caput impingas in vindicias Martini Delrij. Stylus certè Græcus sapit antiquissimum auctorem. Surrexerunt Pachomiani, & tondebantur ex regula. Sic reliqui omnes, sed suo modo & tempore. De Daniele stylita Metaphrastes ait: *Et cum ei præfectus legisset regulam, & totondisset capillos, eum monastico habitu induit.* De Simeone Salo & Ioanne socio Leontius: *Vbi recepti sunt à Nicone abbate comam eis totondit, & habitum tradidit.* S. Stephano iuniori Georgius quidam dixit: *DEO pro me rationem reddes, nisi me hodier-*

Lib. de eccl. hier. c. 6.

In vita S. Steph. iunior.

Digitized by Google

hodierna die incũctanter detonſum in monachorum ordinem adſcribas. Ipſum autem Stephanum Joannes anachoreta totondit, & monaſtica veſte induit. Concurrentia igitur antiquitus ſunt *monachum fieri, & in monachum tonderi.* Ad monaſterium, inquit Beda, pervenit, acceptaq; tonſura locum ſecretæ manſionis intravit. Et eadem penè S. Auguſtino ſunt *Capillos minuere, & habitum religionis aſſumere.*

V. B. l. 1 hiſt. c. 13. & 20. S. Aug. ſerm. 67. Temp.

Originem tonſura accepit à Nazaræis, vt docet S. Iſidorus. Olim cum monachi probarentur in ſæculari habitu; tonſura cum habitu & profeſſione conferebatur. Vnde S. Gregorius Fortunato Epiſcopo Neapolitano præcipit, ut monaſterijs omnibus diſtrictiùs interdicat, vt eos quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare. Hodie res plerumq; aliter fit, dum cum novitiatu confertur tonſura. Unde ſicut ad novitiatum requiritur ſua ætas, ita ad tonſuram, quod pridem in concilio Moguntino ſtatutum eſt, ubi præcipitur vt nullus tondeatur ſine legitima ætate & ſpontanea voluntate.

S Iſidor l. 2. de eccl. offic. c. 4. & Cõcil. Aquiſgran. c 1 S. Greg. M. l. 8. ep. 23.

Concil. Mogunt. 1. A. D. 813. c. 23.

Ante mille circiter annos nonnulli tondebant ſemetipſos; nec tamen vivebant in cœnobijs. Hos iuſſit concilium Pariſienſe trudi vel in ordinem regularem, id eſt monaſticum vel in ordinem canonicum, nempe clericalem. Nonnulli in parva ætate tonſuram religionis cum habitu accipiebant à parentibus. Hi in concilio Tolet. X. jubentur manere in religione, ſi aliquamdiu tolerarunt. Alioquin tonſurare monachos communiter ad abbates pertinebat. Nullus præter Epiſcopum, ait concilium Pictavienſe, coronas benedicere præſumat exceptis abbatibus, qui illis tantummodò coronas faciant, quos ſub regula S. Benedicti militaturos ſuſceperint. Et in concilio Salisburgenſi decernitur: Nullus Prælatus religioſũ tonſuret, aut veſtes benedicat, niſi recipiat vnã de approbatis regulis, & ſe deſtinet certo loco.

A. D. 756. c. 11.

A. D. 656. can. 6.

A. D. 1109.

A. D. 1274. c. 14.

Poterant tamen abbates officium hoc committere alijs, ſicut & hodie per alios novitijs habitum conferunt. Sic Hugo Franciæ rex truſus in monaſterium S. Galli, deinde in Prumienſe ſub abbate Ansbaldo tonſus eſt ab Reginone loci cuſtode. Abbates hodie monaſticam tonſuram nemini ſuis manibus conferunt. Hinc tanti non fit, ut olim, cum prohibendum erat forfices aut manutegia in coronis faciendis exigere.

Regino. chrõ. A. D. 886. In concil. Pictav. cit. S. Iſidor. cit.

Eſt autem tonſura ex S. Iſidoro, cùm ſupernè detonſo

Digitized by Google

S. Paulin. ep. 3. ad Sever. capite infrà circuli corona relinquitur. S. Paulinus ait: *Tondere est medium crinem accidere*, tacens de circuli corona, quæ non Can. 76. fit, nisi etiam crinis inferior capitis detondeatur. Vnde apertum Concilij Nicœni præceptum est, vt tam monachi, quàm moniales alia indumenta, & alios mores habeant, quàm laici, & tondeant caput in modum coronæ. Hæc corona seu circulus non apud omnes vniformis est. Videmus benedictinos gestare pertenuem, latiorem habent Norbertini & Franciscani: Canonici autem regulares in multis locis latissimum. Nosti quid in hac diversitate lateat mysterij? Tonsura signum luctus, S. Greg. l. 1. de mirac. c. 28. & pœnitentiæ est, immò & humilitatis, vnde S. Greg. Turon. scribit S. Petrum ex humilitate fuisse tonsum. Itaq; quanto maiorem luctum, pœnitentiam, atq; humilitatem quisq; status religiosus profitetur, tanto magis crines ponit. Sic ut multi Salvian. l. 8. de gubern. totum penè verticem ad cutem usq; tondeant, quales tempore Socrat. l. 3. hist. c. 1. Salviani fuère Afri; qualis Julianus apostata, cum adhuc mona- Beda l. 4. hist. c. 1. chum ageret; qualis Theodorus, qui quattuor menses expectare debuit, donec ipsi coma cresceret, & subdiaconus ex mona- S. Paulin. ep. 7. ad Sever. cho ordinari posset, quippe ad cutem vsq; tonsus erat; quales deniq; alij, de quibus S. Paulinus: *Nos adeant*, inquit, *& revisent conservuli, & compallidi nostri, non improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, & in-* Idem ep. 3. *æqualiter semitonsi, & destituta fronte præerasi*, cujus rei mysticum sensum alibi exponit dicens: *Faciatis vt exorato Domino peccata nostra (quibus super capillos capitis multiplicatis animam habemus impexam) non accisione medij tondeantur, sed ad vivum, quasi novacula radente perimantur.*

Habes ergo cur pro forfice novacula, cur rasura pro tonsura subintroierit in monachismum. Volebant enim servi DEI per rasuram significare radicalem evulsionem peccatorum ex a- c. duo sunt 3. q. 1. nima, & abiectionem omnimodam rerum temporalium: nam juxra jus canonicũ *rasio capitĩ est temporalium omnium depositio.* Deinde cum scirent rasuram, & calvitium in contemptu esse, Surius t. 7. vita S. Guntheri spontaneum calvitium assumpserunt, vt eò magis à populo riderentur ac despicerentur, sicut legimus de S. Gunthero, quod idcirco barbam cum vertice toto deraserit. Sed sicut etiam optima tandem vina acescunt, ita sanctissimum hoc humilitatis institutum apud multos degeneravit in superbiam, dum per rasionem genarum ac capitis stultissima vanitate ostentare voluerunt

Digitized by Google

erunt nitorem cutis. Adulteros hos appellat S. Clemens, androgynos, & vtriq; Veneri deditos. *Vir*, inquit, *qui voluerit esse pulcher, ornet mentem, quod pulcherrimum hominis est, eamq; indies reddat cultiorem. Evellendæ sunt cupiditates, non pili.* In antiquis lectionibus Canisij memorandam legi de hac re historiam. Celebrabat Carolus magnus, si bene memini, Aquisgrani festa natalitia. Diaconus coram tanto monarcha cantaturus de nocte Evangelium nitidissimâ rasurâ se præparaverat. Factum est autem, ut inter cantandum se ventriosus araneus de tholo templi demitteret, dexterrimoq; ictu vani hominis erasam verticis cutem lethali vulnere sauciaret, ac se per filum suum tantisper retraheret. Iterum iterumq; hoc fecit, & absoluto negotio vnde descenderat ascendit. Vidit hoc Augustus, qui non procul adstabat. Sensit & Diaconus morsum: at præ reverentia Cæsaris manu non audens explorare, quidquid esset, tulit. Finito divino officio vbi domum concessit, totus veneno intumuit, & antequam inciperet summum sacrum in fata concessit. Quod cum inaudisset Carolus, reliquis omnibus causam tam inopinatæ mortis ignorantibus retulit quæ suis ipse oculis de aranea ea nocte vidisset. Hoc igitur præmium glabra vanitas tulit.

S. Clem. Alex. l. 3. Pædagog. c. 3.

Verùm tametsi monachi tam Orientis, quàm Occidentis aut rasi aut tonsi ordinariè fuerint; inventi sunt tamen qui comam aluêrunt non quidem vt mulieres, comptam, quod contra Apostolum, nec toleratum à Patribus fuisset, sed vt quidam de priscis philosophis squalidam, vt loquitur S. Basilius, αὐχμῶσαν καὶ πιναρὰν vt S. Gregorius, sordidam & horridam.

Non coma culta nitet,

inquit. Eam S. Hieronymus squalidi corporis incultam vocat Cæsariem, signum fletus. Et horum aliqui etsi cum hac coma in vertice capitis κουρὰν συμμέτρως iuxta Nazianzenum, hoc est mediocrem tonsuram habuerunt; non paucos tamen reor fuisse, qui ad exemplum S. Ioannis Baptistæ & Nazaræorum sub voto consistentium nec forficem nec novaculam admiserunt. Sic enim canit S. Gregorius.

S. Basil. ep. 1. ad Greg. S. Greg. Naz. orat. 12, & carm. 57. S. Hieron. ep. ad Heliod. & 77. S. Greg. Naz. orat. 12.

Ast alius voti vt Christo persolvat honorem
Intonsum servat tempus in omne caput.

Idem carm. 4. Greg. presb. vita S. Theod. Siceotæ.

Et quis quæso Paulum Eremitam, Gordium & similes in remotissimis solitudinibus totondisset? Ita S. Antiocho ere-

mitæ erant supercilia densa atq; conjuncta, cana barba, & capitis coma lanæ instar candida, & ad ilia vsq; protensa, similiter & barba & vngues prælongi. S. Joannicius vir justæ magnitudinis erat totus pannis obsitus, nudis incedebat pedibus, totus capillatus, & coma mirandum in modum promissa. De altero quoq; Metaphrastes ait: Cum adstaremus, videmus repentè monachum profectum è solitudine, & progredientem è nemore & ad nos venientem, vultu pallidum, genis macilentis, nudis pedibus, totum squalidum, tunica è pilis contexta, superhumerali & capitis tegumento tunicæ similibus, zona pellicea cinctum, circa lumbos, perinde ac fera hirsutum: neq; erat similis viro, qui cibo vescitur, sed carnis propemodum experti, & exangui. S. Ephraim etiam docet suo tempore fuisse, qui à prolixis suis capillis toto corpore contecti fuerint ac vestiti, quali forma S. Mariam Magdalenam conspicimus. Feruntetiam Danielem stylitam capillis capitis processu temporis adeò evasisse comatum, ut quadruplici coma discriminaretur: Longitudo autem eorum ad quattuor cubitos produceretur. Barba quoq; erat ei densa, quæ ipsa quoq; bifariam discriminabatur. Tale capillamentum S. Theotimus ex monacho Scytharum Episcopus nec in Episcopatu deposuit.

Metaph. in vita.

Idem in vita S. Theoctistæ Virg.

S. Ephr. serm. de SS. PP.

Metaphr. in vita

Sozom. l. 7. c. 25.

Sed ô rerum humanarum perversitatem. In hoc squalore, signoq; luctus, ac naturali cilicio sedem tandem invenit, stolidissima vanitas, & superbia, aliàs S. Paulinus tam aspero morsu non perstrinxisset quosdam monachos, quod improba fronte attonsi capitis criniti sint. Nec Turonensis Episcopus de S. Leopardo recluso dixisset: Non plaudebat, vt quidam, in demissis capillorum flagellis, aut barbæ, sed certo tempore tondebat & caput, & barbam. Hinc S. Ebrulphus etiam idcirco barbam & caput rasit, priusquam iret ad eremum, ut materiam abscinderet vanitatis. Atq; hoc Eremitarum vanissimum capillaturæ studium coëgit tandem Patres in sexto concilio œcumenico decernere, vt qui dicuntur Eremitæ, & circumeunt vrbes in nigro habitu & longis crinibus, versantes cum laicis & mulieribus, propriamq; professionem iniuria afficientes, recisis crinibus habitum ceterorum monachorum suscipiant, & in monasteria conijciantur. Quod si nolint, ex urbibus in solitudines, vnde sibi & nomina finxerunt, pellantur.

S. Paulin. ep. 7. sup.

S. Greg. Turô. de vita SS. PP. c. 11.

Surius t. 6. in vita.

Can. 42.

Vtinam Græcia spiritum hunc non exuisset. Cum enim

Aposto-

Digitized by Google

Apostolus dicat, *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Ipsi huius præcepti contemptores hodie, maximo studio crinium incrementis operam præstant tam clerici quàm monachi. Etenim in coronæ modum, sicut regula præcipit, tonsuram capillorum non faciunt, sed penè ut mulieres in fronte dividendo discriminant, servatis vndiq; capillis, ut colli nuda & aurium cartilagines protegant, quibus proin rectè quadrat illud S. Ambrosij: *Ergo & pariant, ergo & parturiant, qui crispant comam sicut feminæ.* Immo non modò tonsuram ecclesiasticam in se abijciunt, verùm etiam eos, qui ex institutione Romanæ ecclesiæ tondentur, aut barbâ raduntur in communionem non recipiunt, qua de causa Michaël ipsorum Patriarcha à Legatis Leonis IX. excommunicatus est.

1. Cor. 11.

Steuart. tr. contr. Græcos ex Pantaleone

S. Ambr. l. 4. ep. 15.

A D. 1093. in epp. Leonis IX.

Josippe si hos crinitos Græculos videret S. Hieronymus nonne sua cholera succensus eos inter instrumenta diaboli numeraret, & hircos appellaret? Iuxta Græcum Euchologium cum crinium resectio significet reiectionem irrationabilem cupiditatum, & ex doctrina S. Dionysij sinceram & apertam mentem, quid aliud de ijs dici potest, qui iactantiam in pilorum excrementis quærunt, quàm quòd sint pleni hypocrisi & cupiditatibus irrationabilibus? Ego si ejusmodi comptulum fortè video, spiritum S. Iacobi Nisibeni mihi opto, quo lascivientes puellas illicò fecit canescere. Quapropter S. Sabam admodum laudo, cui cum semel ambusta casu barba cresceret rarior gratias DEO agit, vt qui molestiæ causam ipsi dederit, ne propter barbæ densitatem sibi nimium placeret.

S. Hieron. ep. 22. & l. 2. cõtr. Iovin.

S. Dion. sup.

Theodoreth. c. 1. Vitæ S. Iacobi.

Metaphr. in vita S. Sabæ.

Invenio quidem S. Columbanum & Scotiæ quondam monachos ex parte fuisse capillatos, sed inde potius contemnebantur. Erat id genus tonsuræ à Simone mago, & idcirco Corona Simonis magi dicebatur. Primo aspectu in frontis superficie videbatur præferre speciem coronæ: at vbi ad cervicem considerando pervenisses, decurtatam eam, quam te vidisse putabas, inveniebas coronam. Cum ergo, ait V. Beda, sit decurtata & non rotunda, significat habere finem contra rationem coronæ, quæ cum sit circularis & sine fine, sigificat æternitatem vitæ beatæ. Quare S. Beda putat nullam tonsuram magis esse detestandum cùm propter auctorem, tum propter eius deformitatem; damnare tamen non audet, quòd anteactis temporibus in Anglia communis fuerit, nihilominus tandem

V. Beda l. 5. hist. c. 22.

Baron. A. D. 699. & 716.

abrogata est Ceolfridi abbatis potissimùm industria.

Cùm capilli identidem succrescant; opus renovatione tonsuræ est, ne nimis comati fiamus. Tempus in dispositione Prælati est. S. Hilarion nonnisi semel in anno tondebatur ad Pascha. S. Ebrulphus in monasterio singulis annis ter renovabat tonsuram. S. Romualdus novaculam in caput numquam patiebatur ascendere, sed ipse sibi perrarò solebat excrementa capillorum & barbæ forficibus attondere. Benedictinis Aquisgrani mandatur, ut radantur decimoquinto quoque die, & in octavis Paschæ, sed in quadragesima numquam, excepto Sabbato sancto. Sed cavendum ne in sabbato, aut profesto nimis serò. Terret me exemplum S. Aichadri Abbatis, qui cum sabbato quodam negotijs ita distentus fuisset, ut sui immemor horâ solitâ cum fratribus non tonderetur. Ergo ad vesperam ociosior factus tonsori se commisit. Sed ecce inter tondendum conspicit B. Abbas in obscuro cellæ angulo satanam cum pugillari colligentem omnes & singulos crines; quos etiam singulari industria numerabat atque inscribebat. Cui iratus S. Aichadrus, Quid, inquit, sceleste tibi in mea cella negotij? Facesse hinc, & tua sis damnatione contentus, neq; alios impellas ad id, quod ipse tam impatienter toleras. Ad quod satan: Quæris quid hic sit mihi negotij? Ignoras officij mei esse circuire habitacula servorum DEI, atq; ipsorum delicta diligenter observare, adnotare, ac deniq; principi nostro diabolo referre, ne vacuus coram ipso appaream & pœnas luam? Crede mihi, hac die singularem laudem ac mercedem ab eo expecto, quando narrabo, quo pacto tu initium sancti diei dominici opere servili inhonoraveris. Tu, inquam, qui deberes esse speculum ac forma vitæ sanctioris. O bonum abbatem, qui reus est nostri judicij! O virum egregium, qui sic in nostros casses incidit! O nobile exemplum antistitis, quo suos subditos perducit ipsus ad interitum! Nostri principes agnoscunt dignitatem hujus noctis, & monachi eam contemnunt. Hæc est illa nox, quæ nostrum imperium evertit, & Christiani floccipendunt. At qnid ago miser, ut homines abstraham à peccato & inducam ad pœnitentiam? Age, age monache, & absolue tonsuram tuam, vt crines tui meum libellum impleant. Queis auditis Aichadrus illicò tonsorem iussit quiescere, & conversus ad satanam, maledicte, inquit, meritò tibi supplicium auges, dum id quod ex simpli-

S. Hieron in vita S. Hilar. Surius in vita. Damian. in vita.

A. D. 817. c 6.

Surius in vita 15. sept.

Digitized by Google

ſimplicitate agimus tanti trutinas: mortale cenſes, quod nos veniabile apud DEUM credimus: occupati enim negotijs divinis quid refert, ſi curam corporis tantiſper differimus? Vt ut tamen hoc delictum ſe habeat, equidem ab opere deſiſto, & poſtquam egero pœnitentiam, hæc ſcriptura tua, & factum meum ita etiam ab animi tui memoria delebitur, vt nec recordari illius poſſis. Verùm quid multis tecum ago? Arrepto igitur baculo, factaq; cruce inſidiatorem velut canem rabidum è cella expulit. Convocatiſq; in unum fratribus, cum rem totam ipſis narraviſſet, confeſſus ſuum peccatum eſt. Res mira: Vix confeſſio, & communis omnium oratio ad DEUM peracta eſt, & ſemitonſum caput ad planitiem redijt, quaſi nec attactum à tonſore fuiſſet, certo indicio, ita per humilem pœnitentiam oblitteratum eſſe reatum de ſatanico pugillari, quemadmodum informitas de capite.

Quid ais ad hoc Joſippe? Ego judicia DEI cogito, ſimúlq; recordor B. Vitalinæ, ad cuius ſepulchrum cum accederet S. Martinus interrogans vtrùm præſentiam DEI meruiſſet? reſpondit: *Reſtitit mihi vna cauſa, quæ facilis in ſæculo videbatur: ſextâ enim feriâ, qua Redemptorem mundi paſſum novimus aquis ablui caput.* Quo dicto S. Martinus exclamavit: Væ nobis: Si hæc virgo hinc offendiculum meruit, quod ſexta feria caput abluit, quid nos faciemus, quos quotidie fallax mundus peccare perſuadet? Væ nobis, exclamo & ego. Si ſatan pilos Aichadri extra tempus debitum reciſos tanta ſollicitudine numeravit, & adnotavit, quàm anxia diligentia numerabit & adnotabit nummos ſingulos proprietarij, momenta temporis otioſi, inania verba loquacis religioſi? Hæc loquere & exhortare.

S. Greg. Turon. de gloria Confeſſ. c. 5.

EPISTOLA LXI.

De Tonſura Clericorum.



JOſippe dictum eſt antiquis, *Neq; in rotundum attondebitis caput, nec radetis barbam.* Et: *Sacerdotes nec radent caput, nec barbam.* Degebant enim ſub vmbra & velamento bonorum futurorum, debebantq; diſtingui à vicinis ſacerdotibus Iſidis raſis. Nazaræi de omni tribu eſſe poterant, hi quamdiu conſecrati erant, comam ſignificantem caſtitatem & parſimoniam nutriebant.

Levit. 19. & c. 21.
S. Paulin. ep. 3. ad Sever.

Simi-

Iosephus l. 5. antiq. c. 10. Similiter & Prophetæ à longis crinibus agnoscebantur. Samson, ait Josephus, tam per abstinentiam ciborum, quàm capillorum remissionem propheta iam futurus cognoscebatur. Et
&c. 11. Samuel futurus erat Dei propheta, crescebatq; eius coma, & potus eius erat aqua. Exceptis igitur Nazaræis post voti consummationem in veteri testamento omnia crinita erant.

Exadverso nostris hodie clericis, ut de monachis nil amplius dicam, dicitur *Tondemini*: ablatum est enim velamen à nobis, & versamur sub luce bonorũ priscis absconditorum. An-
c. Prohibete distī. 23. 1. Cor. 11. tiquissima lex est Aniceti Papæ: Prohibete fratres per universas regionum vestrarum ecclesias, vt clerici iuxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radāt. Petrus omnium clericorũ signifer hoc modo tonsus erat. Nam,
V. Beda l. 5. hist. c. 14. Beda referente, morienti puero apparuit, de cuius forma, cum
A. D. 816. c. 1. deinde rogaretur, *Attonsus,* inquit, *erat vt clericus.* Ab apostolis igitur tonsura clericorum descendit, vt habes in concilio Aquis-
Beda sup. c. 13. & 20. gran. & numquam non in vsu fuit. Hinc illæ formulæ loquendi, *Attonsus vt clericus.* Et, *Attonsus in clericum,* apud V. Be-
Surius in vita S. Bavonis. dam, Et auctor vitæ S. Bavonis: S. Amandus Episcopus S. Bavonem barba & capillo tonsum assumit in clericatum. Deniq;
In vita S. Euthymij. Cyrillus monachus. Otreius, inquit, Melitensis Episcopus cum S. Euthymium ordinavit Lectorem, pilos, qui ex lege tondentur, pueris totondit. Causam hujus tonsuræ assignat jus
c. duo sunt 12 12 q. 1. canonicum dicens: Hi namq; (clerici) sunt reges se & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite.

A. D. 398. can. 44. Vt hæc tonsura in clerico inviolata servaretur, Ecclesiæ
Aera circiter 579. c. 3. rectores semper invigilarunt. Concilium Carthaginiense decer-
A. D. 549. can. 14. nit. Clericus nec comam nutriat, nec barbam. Barcinonense: Nullus clericorum comam nutriat. Item Aurelianense V. nul-
A. D. 721. can. 17. lus presbyter aut clericus comam aut barbam facere præsumat.
A. D. 743. can. 7. Romanum quoq; sub Gregorio II. Si quis ex clericis comam
A. D. 847. c. 15. laxaverit, anathema sit. quod in altero deinde repetitur. Mo-
A. D. 506. 20. & A. D. 1175. c. 1. guntinum I. ait: Clerici comam ne laxent, qui laxaverint ad morem redeant. Deniq; tam in Agathensi, quàm Londoni-
S. Greg. Turon. in vita S. Patrocli. & l. 5. hist. c. 10. ensi præcipitur, vt clerici comati seu criniti etiam inviti tondeantur. Paucis dico, quicumq; in clerum adscribi cupiebat, debebat ab Episcopo petere tonderi sibi comam, ut legis in vita S. Patrocli.

Debe-

Digitized by Google

Debebat autem tõſura hæc eſſe congruens & canonica ex ſy-
nodo Lateran. ſub Innocentio III. & Londonienſi. Hinc per ſo- A. D. 1215. c. 16.
lum modũ ſphæræ crinem in vertice radere ſufficiens tonſura non A. D. 1200. c. 10.
eſt, ſi coma interim muliebriter per humeros fluat; quia corona Concil. Eborac. A. D. 1197. Later. cit.
non eſt. Clericorum verò tonſura ſimul & corona eſſe debet, ut
concilia decernunt. Quæ demum fit, ſi crines infra aures nota-
biliter non demittantur. Vnde ſtatutum concilij Ravennatis eſt. A. D. 1314. rubr. 3.
Clerici coronam condecentem portent quæ ſit rotunda, & ita ton- A. D 570. can. 66.
ſi ſint inferius, quod aures pateant. Lugdunenſe II. ait: Non o-
portet clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo ca-
pite patentibus auribus, & ſecundum Aaronem talarem veſtem
induere, vt ſint in habitu ornato. Salisburgenſe ſimiliter: Cle-
rici comam non nutriant, maximè ſacerdotes, qui taliter tonde- A. D. 1274. c. 9.
antur, vt pateant eis aures. Londonienſe quoq; ſub S. Anſelmo: A. D. 1102.
Criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non A. D. 1324.
tegantur. Deniq; Toletanum: Quilibet clericus per menſem
barbam ſibi radi faciat, nec crines deferat notabiliter infra aures.

Non ſine cauſa opinor hoc toties inculcari debuit: nam
clerici ſubinde in crinibus luxuriabantur. *Crines*, ait S Hieron.
calamiſtri veſtigio rotantur. Tales cùm videris, ſponſos magis S. Hieron. ep. 22.
exiſtimo, quam clericos. Hanc fatuitatem ſummè deteſtatus eſt Surius in vita l. 2. c. 29. 8 Nov.
S. Godefridus Ambianenſis Epiſcopus, ſic ut aliquando in Miſ-
ſa nativitatis Chriſti ſolemni ritu celebrans detrectarit ab eiuſ-
modi crinitis miniſtris oblata ſuſcipere; arcens eos ab altari, quã-
tumvis extra ſuam diœceſin. in Flandria eſſet. Qua libertate
comati clerici adeò conſternati ſunt, vt quia deerant forpices,
cultros ac gladios ad detondendos crines arriperent, tantùm ne
tam ſancti viri ſacrificio fraudarentur. Inter provincias neſcio
an vna magis hunc luxum abominata ſit atq; Hiſpania. Omnes
clerici, inquit Concilium Tolet. IV. vel lectores, ſicut levitæ & A. D. 633. can. 40.
ſacerdotes detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli co-
ronam relinquant. Non ſicut hucuſq; in GallICIæ partibus le-
ctores videntur, qui prolixis vt laici comis in ſolo capitis apice
modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpanijs huc-
vſq; hæreticorũ fuit. Vnde oportet vt pro amputando ab Eccle-
ſijs ſcandalo hoc ſignum dedecoris auferatur, & ſit vna tonſura
vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt vſus. Qui autem hoc non
cuſtodierit, fidei Catholicæ reus eſto.

Gallos arbitror cum Hiſpanis eamdem geſtaſſe tonſuram.

Digitized by Google

Narrat enim de S. Nicetio Gregorius Turon. quod ab ortus sui tempore clericus designatus sit: nam cùm partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum cernebatur: in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab ejsdem coronam clerici fuisse signatam. Atq; hoc est, quod Hispalensis Isidorus ait: Tonsuram esse, cum supernè detonso capite infrà circuli corona relinquitur. Et hunc modum ab Apostolis maximè S. Petro esse, quem V. Beda optimum censet, hodieq; à Romanis Pontificibus obseruatur, non quidem in signum pœnitentiæ & luctus, vt monachi, sed regiæ potestatis, summæq; perfectionis, quæ exigit vt ab anima tam sublimis officij cuncta superflua penitus resecentur. Qua de causa etiam Episcopi magna ex parte capitis radebantur vt demonstrat S. Gregorius Nazian.

S. Greg. in vita S. Nicetij.
S. Isid. l. 2. eccl. offic. c. 4.
V. Beda l. 5. hist. c. 22.
S. Greg. orat. in Maximum.

Si quæris vnde diversitas tonsuræ in clerum irrepserit: nam omnes quidem in sphæræ modum supernè vel tondentur, vel raduntur; infernè tamen alij breves, alij promissos gerunt capillos? Respondeo id ab Apostolis ipsis promanâsse. S Petrus Romanorum Pontifex comam non aluit, sicut & Romani omnes. S. Paulus in Græcia plerumq; versans more Græcorum promissos crines tulit, vnde & eos in Cenchris navigaturus Hierosolymam totondit. Super caput Iacobi novacula non ascendit, credo nec forpex exemplo S. Ioannis. Qui ergo crines nullos promittunt, S. Petri tonsuram imitantur; qui eos verò infernè demittunt S. Pauli. Criniti illi monachi & perpetui Nazaræi, de quibus nuper tibi scripsi, S. Iacobum auctorem habent. Nihil hæc diversitas Ecclesiæ nocet. Scimus, inquit V. Beda, quia neq; Apostoli omnes vno eodemq; modo attonsi sunt, neq; nunc Ecclesia Catholica vna atq; indissimili totũ per orbem tonsuræ sibi forma congruit, dummodò eadem & charitas omnium sit. Sola S. Columbani, seu Simonis magi tonsura ab Ecclesiasticis ablata est.

Act. 18.
Euseb. l. 2. hist. c. 23.
V. Beda sup.

Superest modò ne de signo hoc regio erubescamus. Presbyteri ergo & Diaconi semper coronas apertas habeant, ait concilium Coyacense. Et Londin. II. Clerici patentes coronas habeant, addidisset & monachos: nam sæpiùs eos vidi in capite silvescere. Salisburgense vult, vt qui sunt ordinis inferioris in tonsura à sacerdotibus non multum discrepent. Ravennatense jubet, vt qui in sacris ordinibus fuerit, aut beneficiatus in Eccle-

A. D. 1050.
A. D. 1102.
A. D. 1247.
Raven. sup.

sia

sia Cathedrali vel Collegiata venerabili, secundum condecentiam sui status portet latiorem coronam; alij verò mediocrem vel minorem suis statibus congruentem. In specie tandem concilium Palentinum in Hispania decernit, vt clerici in quattuor minoribus constituti coronam hâc minorem nequaquam portent. A. D. 1388. rubr. 3.

Forma quantitatis Coronæ pro minoribus Ordinibus. In sacris constituti ferebant majorem.

EPISTOLA LXII.

De Tonsura Monialium.

MIror, Iosippe, Valentinianum Imperatorem: qui cùm sciuerit Vestales Romæ virgines tonsas fuisse, id ferre noluit in sanctimonialibus per Occidentalem imperij partem quam regebat, nisi fortè in signum pœnitentiæ propter lapsum carnis, ut sanctus vult Ambrosius, ob quem toto capite radebantur, sicut iam nuper tibi dixi, quod dedecus Galli cunctis feminis fornicantibus inurebant. Itaq; moniales olim in sua consecratione per Occidentem non deponebant comam. Sed nec in Africa: aliàs in regula sua S. Augustinus non dixisset: *Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris spargat negligentia, vel componat industria.* Alibi graviter in easdem invehitur propter capitis ligamenta notabilia, tumidosq; vmbones capillorum, dicens eas intus pudere sacræ professionis, cùm isthæc sapiant mentem adhuc sæcularem. Quare laudem consecutæ sunt sorores S. Rhadegundis

l. 27. Cod. de episcop. & decret. Plin. l. 16. c. 44. S. Ambr. ad Virg. lapsf. c. 5 Ex concil. Ratispon. Capit. Franc. l. 6. c. 2. S. August. ep. 109. Idem l. de Virg. c. 34.

dis in monasterio Pictaviensi, quòd religiosè ac decenter capillatæ fuerint.

S. Greg. Turon. l. 10. hist Franc. c. 16 Nicæn. Conc. can. 76. S. Hieron. ep. 48.

In Oriente & Ægypto tondebantur omnes, & quidem ex concilio Nicæno in modum coronæ. *Moris est*, inquit S. Hieronymus, *in Ægypti, & Syriæ monasterijs, ut tam virgo, quàm vidua, quæ se DEO voverint, & sæculo renunciantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter ac velato. Nec hoc quispiam præter tondentes novit & tonsas, nisi quod, quia ab omnibus fit, penè scitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam; vel quia lavacrum non adeunt; vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent è concretis sordibus, opprimantur.*

S. Athan. l. de virg. Vita S. Pach. c. 28.

Ægyptias castimoniales etiam jubet tonderi. S. Athanasius. Pachomianas in Thebaide attonsas fuisse ex eo constat, quod inter ipsas & monachos nulla fuerit differentia, excepto vsu melotarum. In Græcia deniq; easdem tonsuram gestasse narrat Zonaras in Michaële Imp. & in Constantino fratre Basilij Porphyrogeniti, & in Romano ejus successore. Sic S. Stephanus iunior matrem ac sororem ductas ad mulierum monasterium totondit, ac cultui DEI consecravit. Nec obstat huic rei Gangrense concilium, in quo eæ solùm damnantur feminæ, quæ ob simulationem pietatis ab hære-ticis seductæ capita totonderunt, non autem quæ intentione veræ religionis.

Vita S. Steph. jun.

Conc. Gangr. c. 17. Sozom. l. 3. hist. c. 13. In suis constit 19.

Atq; hunc Orientalium tondendi morem si non introduxit, certè confirmavit Ioannes Tusculanus Episcopus sedis Apostolicæ Legatus in monasterijs omnium sanctimonialium Germaniæ, Bohemiæ, Poloniæ &c. præscribens etiam quo anno & ritu sacræ virgines tonderi debeant. Monialis, inquit, postquam decimum quintum ætatis annum transegit, & post duodecimum aut quintumdecimum ætatis suæ annum probationem in monasterio fecit, vltra annum professionis cogatur velum suscipere, ac sibi capillos iuxta scapulas amputare, omissa nempe corona de concilio Nicæno. Et hic modus tondendi DEI puellas observatur in hodiernum diem.

EPIS-

EPISTOLA LXIII.

De Barbæ Tonſura.

BArbam Ioſippe ſymbolum eſſe virilitatis, & ſi non diceret S. Baſilius, res ipſa loqueretur. (S. Baſil. in c. 7. Eſaiæ.) Barba ait S. Auguſtinus, ſignificat fortes, barba ſignificat (S. Aug. enar. pſal. 132.) juvenes, ſtrenuos, impigros, alacres, ideo quando tales deſcribimus, *Barbatus homo eſt*, dicimus. (S. Clem l. 3. Pædag. c. 11.) Pædagogus Chriſtianus, Barba, inquit, gravitatem vultui, auctoritatemq; & naturalem reverentiam concedit. Deniq; & multos à peccando retrahit, cum probro eſſe poſsit *Barbatum audere delinquere.* Hac de cauſa graviſsimè invehitur in eos, qui barbas radunt, quos appellat μισότριχας, ἄτριχας, τὸ ἄνθος τὸ ἀνδρικὸν μυσαττομένους, τὰς κόμας ὥσπερ γυναῖκες κοσμουμένους. (c. 3.) *crinium hoſtes, homines læues, virilis pulchritudinis oſores, muliebriter comatos.* Dicitq; plenas eſſe vrbes, qui hos tales androgynos picare, vellere, ac radere ſoleant, eiuſmodiq; officinas & magiſtros hujus meretriciæ fornicationis vbivis reperiri. Cum enim, inquit, natura viri ſimus, quomodo non contra naturam peccas ſi radaris, & ita levigeris? Lævem DEVS feminam condidit, ſolâ comâ ornatam, ut equum juba: virum autem vt leonem barba ornauit, pectusq; dedit hirſutum, per quod & robur eius, & imperium ſignificauit. *Barba ergo viri indicium eſt, meliorisq; naturæ.* Peſsimè proinde faciunt qui ut facie politi ac læves ſint, depilare ſe curant: nefas eſt enim barbam evellere, florem ſcilicet pulcritudinis natiuum, generoſumq; decorem. (c. 11.) Inferius ait: Abſit coma à viro: *barba plena ſit.* Si natura pilos in capite criſpaverit, nutriri poſſunt, ſed non nimium, ne degenerent in floccos fæmineos. Sufficiat viris barba in vultu. Si quis tamen de hac aliquid detondere velit, fiat abſq; raſura: turpe namq; ſpectaculum hoc eſt, cum eiuſmodi denudatio non ſit diſsimilis capillorum evulſioni aut lævori. Tonſura verò ſuas cauſas habet, tum ne capitis coma prolixior in oculos fluat; tum ſi quid de muſtace decerpendum eſt, ne largior in cibos incidat, quod ipſum tamen non novacula (contra naturam eſt enim) ſed forfice fieri debet: barba autem reliqua, cum nihil moleſta ſit, vexanda non eſt.

Tertullianus eadem acerbitate caſtigat eos, qui infideles erga faciem ſuam vultus ſuos novacula mutant ad inſtar Saturni, (Tertull. l. de ſpectacul. c. 23.)

Isidis & Liberi. S. Cyprianus inter ceteras causas persecutionis Decianæ numerat *Corruptam barbam in viris*, cum scriptum sit; *Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ.* Barbam, inquit, vellit, & faciem suam comit. Hinc S. Epiphanius arguit Massalianos monachos hæreticos, quod barbas resecarent, atq; eadem de causa Græci Latinos exosos habent, adeò vt Michaël Patriarcha Constantinopol. eos qui barbas rasissent, nec in communionem voluerit recipere.

S. Cyprian. l. de lapsis & l. 3. testim c. 84. S. Epiph. hæres. 50. Nicol. l. epist. 70.

Atq; his omnibus de causis monachi per Orientem & Ægyptum barbas semper promittebant. *Vestitus monachorum*, ait S. Hieron. *pulla tunica, renes accincti, barba prolixa.* scilicet more philosophorum, ut de S. Herone refert S. Greg. Naz. Qui etiam aliàs depingens monachum *Barba tibi sit longa*, ait. Barbam S. Sabæ, Danielis stylitæ, & Antiochi non refrico. S. Euthymius barbam hispidam aluit ad vsq; zonam promissam. Et cum fundasset suam Lauram pro 150 monachis, nullum admisit, nisi cuius vultus insigni barba dumesceret. Imberbes ergo & adolescentes amandavit, ne reliquis offensionem parerent ex muliebri, tersaq; facie. Quin monachi per Orientem in tantum sibi placebant de promissis barbis suis, ut in eis subinde sanctitatem ponerent. Vnde laudat suum sanctum patrem Gregorius Naz. quod sanctimoniam non collocarit in barbæ promissione, aut in expolita rasura capitis.

S. Hieron. ep. 4. S. Greg. orat. 21. Idem carm. 59. Cyrill. in vita. Metaph in vita S Quiriaci eremit. S. Greg. orat. 19.

Verùm stolidam hanc jactantiam eluere debuerunt ipsorum posteri iconoclastæ Copronymi temporibus. Qui severissima lege omnibus monachis edixit, ut faciem ac genas prorsus abraderent, contra legem scripturæ dicentis, *Loquere ad populum, & probibe, ne barbam in rotundum radant, aut eam impexam gerant.* Itaq; omnibus tam iuuenibus, quàm senibus barbam ad cutim vsq; radere præcepit, ut qui eos tamquam salaces equos ad bene semper curandam cutim, atq; ad lasciviæ studium extimularet. Quam legem cum monachi contemnerent, tyrannus ipsorum barbas cera ac pice illitas exussit.

In vita S. Steph. jun. Levit. 21. Sigebert. chron. A. D. 770.

Clerus orientalis similiter barbam promittebat ad exemplum S. Pauli Apostoli, quem prolixam habuisse barbam V. Beda ex visione quadam ostendit. Intellexisti quæ de patre S. Gregorij Naz. quæ item dixi de Michaële Patriarcha? Plurima non addo, solùm *bircorum barbas*, quas in nonnullis arguit S. Hieronymus, aspicio. Abradebant nempe genas, mento intacto, quod

V. Beda l. 4. hist. c. 14. S. Hieron. ep. 22

quod efficit effigiem barbæ hircinæ. Vnde mordax S. Hieronymi in Iovinianum dictum. *Velis nolis quamquam barbam raseris, inter hircos numeraberis.* Idem l. 2. contr. Iovin.

In partibus Occidentalibus tam inter clericos, quàm monachos nulla eſt in barbis vniformitas; Hic eam vnus tondet, alter radit, tertius nutrit. Iuxta Gregorium VII. clerici ab initio Eccleſiæ barbas cum Romanis tondebant. Greg. VII. ep. ad Iacob. Epiſc. Calarit. Vnde & de S. Petro legitur in Beda, quod non habuerit prolixam barbam vt S. Paulus, ſed quod attonſus fuerit vt clericus, nempe Romanus, ſed inquis, Qnomodo ergo per virtutem barbæ S. Petri in quadam Eccleſia vici Geſedis territorij Pariſienſis tanta miracula memorante Frodoardo contigerunt, ſi eam non aluit? Beda cit. Spondam A. D. 922. Ioſippe, S. Petrus barbam ſuam non raſit, ſed totondit, hoc eſt mediocriter aluit more Romanorum. Non audiſti S. Paulinum dicentem, *Tondere eſt medium capillum reſecare?* S. Paulin. ep. 3. ad Sever. Nec dices me comam alere, quia eam ad extremas penè aures demitto. *Crinem nutrire,* ait Cedrenus, *eſt eum vltra collum demittere.* Cedren. in Teophilo. Sic barbam nutrit, qui eam vſq; ad ſatietatem ſine moleſtia creſcere ſinit, qui mediam reſecat, iam tonſam habet.

In Hiſpania, ſæculo quinto, barbæ raſura clericis prohibita erat, ſed poſtmodum A. D. 1050 præcepta, & quidem ſemel in menſe ex concilio Tolet. A. D. 1324. Conc. Barcin æra circiter 578. c. 3. In concil. Coyac. Mutarunt ergo provinciæ conſuetudinem, Immo & monaſteria. Mea memoria plurimi monachi radebantur, qui hodie tondentur. Ego ipſe in pueritia barbæ meæ ad cutem vſq; inter fratres meos raſus, deinde per eius adoleſcentiam ac virilem ætatem tonſus ſum: nunc dum ſeneſcit, ad nauſeam creſcit, quamvis in loco diverſo à patrio monaſterio Quid mirum ergo, ſi provinciæ variant, dum ſinguli ita variamus? Diodorus Siculus ante quot tempora dixit: Diodor. ſicul. l. 4. hiſt. Barbas nonnulli radunt; nutriunt parcè nobiles raſis genis; alij ita promittunt, ut corpus tegant, ſic vt cum bibunt quaſi per canalem hauriant. Quanta ſit hodie in barbis fatuitas quis enarret? Vnus alit, alter tondet aut radit: hic ſemitonſus, alter ſemiraſus eſt, ut credas Treſantas Græcorum in vitam redijſſe, ſicut nominavit fugientes ex acie milites Ageſilaus, quorum barbas in pœnam partim radi, partim promitti iuſsit. Plutarch. in Ageſilao. Vnum noſtris deeſt, quod non à quovis, ut illi, pulſari poſsint. Videas aliquos vſq; ad apicem extremi menti barbam eradere, aliquos vſq; ad muſtacem. Muſtax unius vſq; ad aures, alterius ad oculos ferme

porri-

Digitized by Google

porrigitur, & ne per noctem forsan avolet, ligatur bacillis. Fatigantur tonsores, dum quotidie novæ vultus stultitiæ excogitantur. Et utinam solis relinquerētur sæcularibus. Regulæ Templariorum sæpe recordor, in qua dicitur: Omnes fratres ita tonsos habere capillos oportet, ut regulariter antè & retro, & ordinatè considerare possint. Et in barba, & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter observetur, ne superfluitas aut facetiæ vitium denotetur. Dummodò sacerdotes quotidie ad altare stantes hæc observarent, quorum sæpe mustaces plus de sacrosancto calice bibunt, quàm ora, vnde eos alere synodus Augustana sub Henrico sanctæ memoriæ Episcopo prohibuit.

Regul. templar. c. 28.

Si de Africana Ecclesia deniq; quæris, dico Barbas clericorum tempore S. Augustini fuisse tonsas ex concilio Carthagin. IV. fortè ad cavendam ex promissione barbæ jactantiam, quam ut magis ac magis de mento ac mente suorum popularium S. Pater tolleret, studiosè de barba non satis honorificè locutus est. *Barbæ*, inquit, *quis vsus, nisi sola est pulchritudo? Quare Deus barbam creavit in homine? speciem video, vsum non quæro.* Sed quidquid Ecclesiæ Doctor clamet, magis amamus & quærimus speciem quàm vsum, & fructum, hoc ipso vani filij hominum.

Can. 24.

S. Aug. serm. 6. de diverſ. c. 7.




ANTI-



ANTIQVARII MONASTICI ORATORIVM.

EPISTOLA LXIV.

Quomodo bene sit orandum.



CLemens Stromateus docet totam vitam veri Philosophi esse orationem, conversationem, & sermocinationem cum Deo: meminit enim sibi dictum ab Apostolo. *Sine intermissione orate.* Unde & S. Basilius totam vitam monachi vult esse tempus orationis, quod Euchitæ nimis simpliciter intelligentes inter monachos amplius laborare manibus noluerunt, scilicet ne ab oratione impedirentur, & legis Apostolicæ transgressores fierent. Quasi verò inter plectendas sportellas non simul dici possit Miserere mei Deus, ut eis objecit Abbas Lucius, & probat Augustinus & Basilius.

Clem. Alex. l. 7. strom. fol. 742.
1. Timoth. 1.
S. Basil. instit. monast. t. 2. fol. 354.
Pelag. libel. 12. n. 9.
S. Aug. de oper. mon. c. 17. & S. Basil. reg. fusior. 37

Iosippe, ut mens ad Deum actualiter absque intermissione elevetur, nec mens Apostoli, nec status huius vitæ est. Euchitæ sine dubio etiã dormierunt. Tam sublime bonũ si posset impetrari utique expetendum esset: quia *multum valet deprecatio iusti assidua.* Eloquia Dei, inquit S. Ephraim, meditata & suaviter decantata, nutriunt animam, & tuentur: corpus verò custodiunt, instituuntque; dæmones repellunt, & summam animæ tranquillitatem generant. Potéstne bono hoc aliquid maius esse? Quid si iam per omne tempus continuari posset? Monachus

Iacob. 1.
S. Ephr. ep. ad Ioan. f l. 271
Et de synax. c. 5.
Idem paræn. 1. de virt. f. 297.

chus, ait idem Syriæ magister, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus invigilans nocturnas phantasias pellit. Somnus si plùs, quàm psalmus diligatur, monachi mors est. Scutum monachi inexpugnabile est hymnus angelicus in ore eius: monachus cum intellectu canens amicitiam paternam comparabit. Divinum fluentum in ore monachi est psalmus confessionis, cuius possessor perfectus est. Ensis acutissimus adversus diabolum est psalmus in ore monachi.

Pelag. cit. n. 2

Verùm bene psallere & orare hoc opus, hic labor est. Fratres quidam Abbatem Agathonem interrogabant: *Pater, quæ virtus in conversatione plus habet laboris?* Et dixit eis: Ignoscite mihi, quia puto *non esse alium laborem talem, qualem orare Deum.* Dum enim voluerit homo orare Deum suum, semper inimici dæmones festinant interrumpere orationem eius, scientes quia ex nulla re impediuntur, nisi per orationem ad Deum: siquidem omnem alium laborem, quem homo in religiosa conversatione positus assumpserit, quamvis instanter & toleranter agat, habet tamen & possidet aliquam requiem: oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est, ut habeat laborem magni certaminis.

Climac. gr. 28. de Orat.

Tam laborioso operi quia pauci pro virili se tradunt, hinc nihil proficiunt. *Monachi charitas*, inquit S. Climacus, ad Deum, *maxime quo tempore adstat orationi deprehenditur:* statum tuum oratio manifestat tibi: hanc enim monachi esse speculum rectissimè tradunt Theologi. Sed, ô Deus! cuius mens non aliquando alienis cogitationibus distrahitur? S. Hilarion oravit, aliquando fixo in terram capite, & ut natura fert hominum, ait S. Hieron. abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat, insilivit dorso eius festinus agitator diabolus, & latera calcibus, cervicem flagello verberans, Eia, inquit, eia curre, quid dormitas? cachinnansque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. Palladius de S. Macario Alexandrino refert, quod quadam vice desiderârit per quinque dies absque ulla distractione divinitatem & cælestia contemplari: sed ultra biduum non potuit, à satana videlicet abstractus.

S. Hier. vita S. Hilar. c. 4.

Pallad. c. 22.

Odit hic, si quidquam aliud, pias preces sanctorum, sed similiter etiam delectatur nostra tepiditate. Mos est apud Capucinos, ut finitis de nocte vigilijs duas horas in choro per hiemem insumant in sacris meditationibus, ut Boverius commemorat.

Bover. annal. A. D. 1539.

Digitized by Google

morat. Bergomi autem factum est, ut fratres aliquando ex longa oratione ac meditatione fatigati omnes præter unum in somnum relaberentur. Extinctum erat lumen, & inde negligentia facilius delitescebat: Vigilanti tamen uni hoc visu demonstratum est. Videbat enim subitò quam plures masculos Æthiopas insilire cum gaudio in Ecclesiam, ibique & saltitare, & tympano molliter ludere, & choros non sine effusa lætitia agere; deinde paulatim ad fratres accedere, eosque blando tactu mulcere ad somnum extrahendum. Nesciebat vigilans pater quid vellet sibi hic ludus cacodæmonum. Ergo de manica extrahit igniarium, accendit lumen, ac videt passim omnes obdormijsse. Quos ubi excitavit cum horrore monuit, quo plausu satanæ, & quo ipsius astu in tantam socordiam pervenissent. S. Bonav. in vita.

S. Franciscus evagationes mentis pro gravi peccato habebat, easque statim confitebatur. Cum semel oraret Tertiam, & incideret ei vasculum quod paulò antè fecerat, finita oratione vasculum conjecit in ignem dicens: *En sacrifico te ei, cuius sacrificium impediuisti.* S. Stephanus Abbas Cisterciensis chorum ingrediens manu ianuam apprehendit dicens: *Manete hic cogitationes, quoadusq; divinum persolvero officium: postea si necesse fuerit redite.* Verè ars artium est inter orandum mentem sic figere, ut furtim quandoque non expatietur. In hac inconstantia,& miseria me solatur sententia Climaci. *Si dum oras,* inquit, *inimicus subtilissimè irrepit, animiq; intentionem clam ut fur avertit, bono animo esto, dum semper lubricam revocas mentem: angelis enim solis datum est huiusmodi non patere furibus.* In vitt PP. Ovid. l. 3. Clim. gr. 4.

Quò verò sonus oris & cordis facilius in unum conveniant, sicut requiritur ad veram benedicentis confessionem, ut S. Prosper definit, idem Climacus tibi modum præscribit optimè orandi. Ante omnia, inquit, in orationis nostræ chirographo gratiarum actionem sinceram statuamus: in secundo autem versu confessionem & contritionem animi ex intimo affectu prodeuntem, atque ita demum Regi nostro postulationem indicemus nostram. Optimus hic orandi modus est, sicut cuidam ex fratribus ab angelo Dei demonstratum est, & reperitur in divinis litteris usurpatus à S. Tobia, Sara, Daniele & socijs eius in fornace. S Prosp. in psal. 102. Clim. gr. 28. Tob. 3. Daniel. 3. & 7.

Compositio corporis ad bene orandum non nihil facit.

Cassian. l. 2. instit. c. 10

Incredibile ferme est, quanta quiete prisci patres synaxibus seu collectis interfuerint. Cassiani verba sunt. Cum ad prædictas solemnitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui consurgens psalmum decantat in medio nullus hominum penitus adesse credatur: ac præcipuè cum consummatur oratio, in quà non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitantia somnolenta diffutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstantes impeditura promuntur, nulla vox absque sacerdotis precem concludentis auditur, nisi fortè hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili spiritus fervore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non prævalet continere, per ineffabilem quemdam gemitum ex intimis pectoris sui conclavibus evaporare conatur. Jllum verò qui constitutus in tepore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum quæ prædiximus è faucibus suis emittit, aut præcipuè oscitationibus prævenitur, dupliciter peccare pronuntiant. Primò quod orationis suæ reus sit, quod eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundò quòd indisciplinato strepitu alterius quoque qui forsitan intentius orare potuit, intercipit sensum.

S. Ambr. l. 3. Virg.

Liberius Papa cum in natali SS. Apostolorum Petri & Pauli Deo consecraret B. Marcellinam S. Ambrosij sororem inter cetera sic eam adhortatus est: In ministerio Dei, virgo, gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. Alexandro sacrificante Macedonum rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse dicunt ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret. Frequens item sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi, hinc subitò circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reverentiam recognoscit quod per naturam ignorat. Quod si tamen præter intentionem & voluntatem in choro alicui tussis aut phlegma de pectore vel naribus evenerit

Tom. 6. Bibl. PP. post. reg. S. Bened.

Digitized by Google

venerit, conſtitutiones monaſticæ præcipiunt, ut poſt dorſum proijciatur, aut juxta latus, ne infirmis fratribus vertatur in nauſeam. Semper autem quod ſpuitur conculcetur. Eſſæi nec in medium nec ad latus expuebant. Conſultiſſimum eſſet ſtrophiolis has ſordes excipere. Ioſeph. de Eſſen.

Ut autem omnes imperfectiones ſive ex torpore, ſive diſtractionibus, ſive corporis infirmitatibus facilius in precibus vitarentur, ſtatuerunt patres noſtri eas in publicis ſynaxibus celeri fine debere concludi, ne fortè immorantibus nobis in eis, ut Caſſianus ait, redundantia quædam ſputi aut phlegmatis interrumperet noſtræ orationis exceſſum. Et idcirco dum adhuc fervet, veluti è faucibus inimici velociter rapienda eſt. Qui procul dubio cum ſit nobis ſemper infeſtus, tunc maximè aſſiſtit infeſtior, cum contra ſe offerre nos preces Domino velle perviderit cogitationibus ſeu diverſis humoribus excitatis abducere mentem noſtram à ſupplicationis intentione feſtinans, & per hoc eam tepefacere à coepto fervore contendens. Quamobrem utilius cenſent breves quidem orationes, ſed creberrimas fieri: Jllud quidem ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere poſſimus: hoc verò ut inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè cum oramus inſiſtit, ſuccincta brevitate vitemus. Caſſian. cit.

Inſinuat hunc morem monachorum breviter orandi S. Auguſtinus. Fratres, inquit, in Ægypto crebras quidem habent orationes; ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras evaneſcat, atque hebetetur intentio. Ab inſtructione angeli deſcendit hic modus. Qui cum Pachomio per diem non niſi duodecim orationes præſcriberet, & Pachomius nimis paucas eſſe quereretur, reſpondit Angelus: Has conſtitui, ut parvi quoque poſſent procedere ad perficiendam regulam, nec eis eſſet moleſtum: perfectos autem non indigere regula, cum totam vitam in ſuis cellis contemplando poſſint peragere. Et hunc canonem amplexus eſt in Occidente S. Benedictus in ſua regula, ubi vult ut *fratrum oratio ſit brevis & pura:* nam teſte S. Romualdo. *Melior eſt unus Pſalmus ex corde, quàm centum cum diſtractione.* S. Aug. ep. 121. c. 10. Pallad. de Pachom. S. Bened. reg. c. 20. S. Damian. in vita. B. diſcipulus eius in vita

Sive autem breviter, ſive longè orandum ſit, obſervandum eſt præceptum S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi. Pſalmos, in-

quit ſcriptor vitæ eius, ut cautè ac meditatim cantaremus, præcepit, alioquin aſperè increpavit. Reverâ enim diſplicet Deo feſtinata oratio. Novitius quidam, Gratiano nomen erat, pro culpa ſua à P. Guardiano ad chorum relegatus eſt, ut ibi ad revocationem uſque oraret. Cuius memoria cum Patri excidiſſet, Gratiano in choro pernoctandum fuit. Hora inſtabat decima, & ecce quamplurimi templum ingrediuntur ſplendidiſſimè veſtiti. Hi facta profunda reverentia SS. Euchariſtiæ, altari, fratrumque communi ſepulturæ, in his locis thus adolebant. Obſtupuit principio frater, deinde proximum ex ijs rogat, Ecquid hæc pompa, tamque ſplendidus amictus ſibi velit? Cui ille: Tam pretioſæ, inquit, immortales, atque imputreſcibiles veſtes donantur in cælis Capuccinis pro ſuis groſſis ac vilibus, quas in mortali vita geſtant. Sed quia tam opportunè ades, *dicas Guardiano, ut curet in choro canonicas horas lentius recitari; quia nihil in Eccleſia poſt uſum & cultum Sacramentorum Deo gratius eſt recitatione horarum canonicarum, cum ab ipſo Chriſto Domino inſtitutæ ſint.*

Bover. A.D. 1542.

In vita S. Leufridi aurea regula proponitur, quomodo ſe quiſque in toto orationis progreſſu habere debeat, ut eo perfectius oret. Facto ſigno pro officio Divino, inquit, dimittas omnia quæ erunt in manibus tuis, & primus eſſe in choro ſemper contendas tam nocte, quàm die. Exiens è cella fores ſine ſtrepitu aperi & claude. In cantu non frangas vocem, aut femineis accentibus alijs te dulciter canere oſtentes, ſed vocem tuam in fortitudine ſpiritus exaltans Deum tuum laudare ſatage. Non adhæreas humeris ad ſedilia, neque lacertis, ſed ſtans jugiter & viriliter genibus iunctis & pedibus, nec tibias ſuper genua, neque pedem ſuper pedem omnino reponas. Cum ſederis pedem ultra fimbriam non extendas: non ſuſpires ibi, non clames, non legas, aut horas dicas alta voce dum tacent alij. Non gemas, aut pectus ibi percutias immoderatè; quia hypocritarum hic mos eſt. Inclina & erige te uniformiter cum alijs. Semper cum ſedendum eſt tu ſis ultimus, & primus in ſurgendo. In choro non loquaris aut rideas. Non ſis vagus & curioſus; ſed ſemper aſpectus tui defixi maneant ad pedes tuos, ne in ullo obtutum angelorum offendas. Cum ibidem errores contigerint, tu neminem corrigas, ſed quietus perſevera. Cum ſtrepitus aut rumor acciderit, tu non eò ſtatim oculos volue, ſed

In Chron. Lerin.

ſemper

ſemper in eodem ſtatu perſeveres. Non ſis inquietus, & ſtrepitoſus. Si naſi aut pectoris indiges purgatione, tam diſcretè hoc perage, ne alijs nauſeam crees. In auribus aut naribus non figas digitos; neque ibi dentes purgaveris: hoc enim valde indecens eſt. Si pulicibus aut pruritu alio ſtimulatus fueris, ſi ſufferre non potes, honeſtè & cautè tibi provide, ne advertant id alij. Sine urgente neceſſitate non recedas ab officio. In fine defectus tuos examina. Cellam autem ingreſſus recites ſalutationem angelicam.

Tam vigilans morum compoſitio non facilè admittet distractiones. Canonicis Regularibus in Concilio Aquiſgran. non abſimilis inſtructio præſcribitur. Nempe ut horis canonicis interſint cura vigilantiſſima, humiliter ac devotè. Et mox ut ſignum datum fuerit feſtinatò omnes ad Eccleſiam conveniant, quam non pompaticè vel inhoneſtè vel incompoſitè, ſed cum reverentia, & DEI timore ingrediantur. In choro ſtent religioſiſſimè: non ocioſè fabulentur, ſed aut orent, aut cantent, aut audiant. A. D. 816. c. 131

B. Franciſcum in omnibus quidem admiror, ſed maximè in hoc, quod horas canonicas ſumma cum devotione recitabat. Et licet oculis, ſtomacho, pulmone & hepate graviter laborabat, nec ſe tamen inclinabat ad vllum parietem, ſed erectus manebat intecto capite, oculis non vagantibus, aut verbis dimidiatis. Si in via eſſet, conſtitit tempore orationis, etſi pluviæ eſſent. Dicebat enim, Si corpus in quiete cibum ſumit futurum eſca vermium quanto magis ſpiritus cibum animæ. Pſalmos recitabat tanta cum devotione, ac ſi coram DEO aſſiſteret. Joannes Silentiarius ſemper erat primus in choro, & vltimus à choro. Winvvalocus abbas à vigeſimo ætatis anno ad mortem vſq; numquam ſedit in templo. Ita veri DEI ſervi inveſtigarunt omnia, quibus DEO in oratione magis ac magis placerent. S. Bonav in vita. Cyrill. monach. in vita. Sur. t. 2. in vita.



EPISTOLA

Etenim olim finis orationis Missa vocabatur, quod tunc fiebat fratrum missio, seu dimissio. Sic idem alibi loquitur: *Congregationis missam stans pro foribus præstolatur.* Et: *Post vigiliarum missam.* Atq; iterum: *Diebus Dominicis ante prandium vna tantummodo missa celebratur*, id est vna synaxis ad orationem canonicam. S. Benedictus quoq; in regulá. Et tunc missæ fiant vel missæ sint post horas minores, & completorium. Et infrà. In diebus autem solemnibus vsq; ad missas sustineant. Deniq; S. Augustinus: *Ecce*, inquit, *post sermonem fit missa catecbumenis, manebunt fideles*, nempe per tempus sacrificij, in cujus fine cum fiat præsentium dimissio, dicitur *Ite missa est*, hoc est: Ite, dimittimi. Atq; ab hac missa seu missione à sacrificio totum deinde sacrificium Missa dici cœpit. Ita S. Ambrosius ait, se dum Missam facere cœpisset, intellexisse à populo raptum fuisse Castulum Arianum presbyterum. Amarissimè, inquit, flere & orare in ipsa oblatione, seu Missa, DEUM cœpi ut subveniret, ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret.

Idem l. 3. cit c. 7. 8. 11.
S. Bened. reg. c. 17. 35.
S. Aug. serm. 237. Temp. c. 8.
S. Ambr. ep. 33.

Sed ut ad institutum redeam, qui se valde humiliabant inter genuflectendum, caput vsq; ad terram demittebant, ut habes in œcumenico concilio VII. S. Ephraim vultum deponebat in genua. *Ingemui*, inquit, *vultuq; in genua deposito flevi.* De sessione inter orandum noveris Tertullianum arguere quosdam, qui dicebant positis penulis orare, & ad orationem sedere debere. Sed hoc quidquid sit, ego nocturnas collectas monachorum in Sciti non reprehendo, in quibus cunctis sedentibus ab vno dicebatur psalmus. Cassianus quoq; scribit fratres inter psallendum consedisse vel humi, vel in sedilibus humillimis, idq; ob corporis defatigationem ex laboribus, & jeiunijs assiduis. Deniq; ex regula S. Benedicti etiam discis, fratres inter preces sedere posse in scamnis, sedilibus, aut subsellijs. Quamvis non per integrum orationis tempus: quia nunc surgendum, & standum, nunc flectendum aut procumbendum est, qui duo modi ad luctum pertinent & pænitentiam, quamobrem diebus Dominicis omittuntur. Die Dominico, inquit Tertullianus, jeiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, cui adstipulatur S. Augustinus non semel affirmans die Dominica à stantibus orari, & Alleluia cantari. Et Cassianus: Hoc quoq; ait, nosse debemus, à vespera sabbati, quæ lucescit in diem Dominicum, usq; ad vesperam sequentem apud Ægyptios genua non

Act. 1.
S. Ephr. ep ad Ioan.
Tertull. l. de orat. c. 12.
Ruffin. l. vitt. PP. c. 29.
Cassian. l. 2. instit. c. 12. & l. 3. c. 8.
S. Bened. reg. c. 5.
Cassian. coll. 21. c. 20.
Tertull. de coron. milit.
S. Aug. ep. 119. c. 15. 17.
Cassian instit sup.

Idem collat. cit. à c. 12.

curvari; sed nec totis quidem quinquagesimæ diebus, quibus tempus Paschale concluditur. Cujus rei rationem deducit ex memoria Resurrectionis Dominicæ.

Tertull. apol. sup. c 16. S. Cyrill. cath 1. S. Aug. serm. 182. Tempor. & l. 2. serm. Domini in mont. c. 5. S. Clem. l. 7. Strom. fol. 724. S. Aug l. cõtr Fortun. & l. 20 contr. Faust.

Antiquitùs fideles inter orandum convertebant se ad Orientem, ex quo Gentiles putabant eos adorare solem tamquam Christum suum, ut indicat Tertullianus. Sed res ex alia causa descendit, quam monstrat S. Cyrillus Hierosolymit. nempe ut cogitaremus nos reverti velle eò; quò abjectus est Adam, nempe ad paradisum in plaga Orientali situm. Et sic etiã templa constructa sunt, juxta S. Clementem, ut ad Orientem versis vultibus staremus. Manichæi ut solem in conspectu semper haberent inter preces se cum sole gyrabant.

Socrat. l. 6. hist. c. 8.

Theodoret. l. 2. hist. c. 24.

S. Aug. in psal 87. Idem l. 9. Conf. c. 7. Paulin. vita S. Ambros. S. Basil. ep. 69. Socrat. sup

Choris alternantibus in Ecclesia cantare antiphonas, psalmos & hymnos ait Socrates esse à S. Ignatio Apostolorum discipulo, & Episcopo Antiocheno. Hic, inquit, visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Unde illa traditio in omnibus Ecclesijs recepta est. Quod si verum est, quomodo dixit Theodoretus de Flaviano & Diodoro strenuis fidei contra Arianos Antiochiæ propugnatoribus, sanctissimisq; monachis, *Hi fuerunt illi, qui primi tradiderunt choris psallentium in Ecclesiis alternare Davidicorum psalmorum versus, quod Antiochiæ per ipsos cœptum fines orbis postmodum decucurrit?* Nisi dicas morem illum à S. Ignatio inchoatum persecutionum temporibus omissum ab his fuisse restauratum. S. Augustinus non obscurè indicat Levitas in veteri testamento jàm alternantibus vocibus psalmos decantasse, & S. Ambrosium primum fuisse, qui eam consuetudinem in Occidentem transtulerit, vbi penè postmodum in omnibus locis invaluerit. S. Basilius eius auctor in Cappadocia fuit, adeò vt plebs de manè vsq; ad vesperam alternatim cantaverit. S. Chrysostomus idipsum incepit Constantinopoli.



EPIS-

EPISTOLA LXVI.

Quòd ſit ferventer Orandum.

Is vt efficaciam preces tuæ habeant? Ora ferventer. Qui tepidè orat, neſcio utrùm non potiùs DEUM irrideat. Cum divina maieſtate ſeriò agendum eſt. Petimus & non accipimus, quia frigidè & languidè petimus. Venit quidam ſenex in montem Sina, & cum exiret inde, occurrit ei frater in via, & ingemiſcens dicebat ſeni illi: Affligimur, abba, propter ſiccitatem, quia nobis non pluit. Et dixit ei ſenex: Quare non oratis & rogatis DEUM? Et ille dixit: Et orationem facimus, & deprecamur aſſiduè DEUM, & non pluit. Et dixit ſenex. Credo quia non oratis attentius. Vis autem ſcire, quia ita eſt? Veni ſtemus pariter ad orationem: & extendens in cælum manus oravit, & ſtatim pluvia deſcendit. Quod cum vidiſſet frater ille timuit, & procidens adoravit eum: ſenex autē ſtatim fugit illinc. Pelag. l. 11. n. 14.

Exempla fervidiſſimæ orationis paſſim occurrunt. Abbas quidam apud Pelagium, ut æſtum cordis in oratione fratribus demonſtraret, expandit manus ſuas in cœlum, & facti ſunt digiti eius velut decem lampades ignis. Gemini fratres in una cella habitabant, & minor eorum dum pſallebat, per unum quodque verbum exibat lampas ignis de ore ipſius, & aſcendebat in cœlum. Similiter & maior cum aperiebat os ſuum pſallens, tamquam fumus ignis egrediebatur de ore eius, & pertingebat in cælum. Cum Ioannes Diaconus aliquando vidiſſet orantem S. Simeonem Salum, extimuit. Iurabat enim ſe vidiſſe globos igneos ab ipſo in cælum aſcendentes, & circa eum in orbem tamquam clibanum ardentem, adeò ut non appropinquarit, donec perfeciſſet orationem. Senior quidam inviſit alterum: cum autem ante refectionem ſolitas preces ſimul inceepiſſent, in ſpiritu ita exarſerunt, ut obliti refectionis totum abſolverent cantando pſalterium, & duos integros Prophetas recitarent, inter quæ non modò dies, ſed & nox præterijt. Poſt quam incipiebant inter ſe de ſcripturis, & alijs ſanctis rebus conferre uſque ad veſperam, ſicque alter ieiunus, ut venerat, receſſit. Et tunc primum alter recordatus eſt ollæ ſuæ, in qua lenticulam coxerat.

Idem n. 8.
Ioan. Subdiac l. 3. n. 2.
Leont. vitâ S. Simeon.
Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 2. Pelag. l. 5. n. 56 57.
Greg. Turon. de glor. Confeſſ. c. 38.

Digitized by Google

In Gregorio Turonensi legimus sanctissimum quemdam monachum post expletum commune debitum in Conventu cum fratribus clam se ab ijsdem subripuisse, interq; condensos rubos, buxos & ilices se in preces coniecisse tanto mentis ardore, ut ij, qui clanculum eum insecuti, explorabant ipsum, viderint ex utraque oris parte flammam ignis egredientem ad cælos usque pertingere. De ferventi oratione B. Anselmi Lucensis Episcopi mira refert auctor vitæ eius. Novit Deus, inquit, quoniam videbar mihimet aliquando tamquam plenus spiritu ex ipsius aspectu, & quasi mei oblitus: videbatur enim ille mihi quasi angelus. Inter divina mysteria numquam vel rarò sedebat: Missarum solemnia numquam, prout percipere potuimus, sine lacrymis explevit; celebrabat autem quotidie. Quod si tamen ob impedimentum celebrare non potuisset, quod rarissimè contingebat, tota die illa tristior erat, & quasi gravis per nimium. Denique cum aliquando in magna compunctione cordis & lacrymis decantaret Psalmum 81. *Inclina Domine aurem tuam*, sensit Deum inclinatum, & tamquam aurem adhibere ad auscultandum.

Apud Gretser

VVilhel. Malmesb. de gestis reg. Angl. l. 3.

O quanta tunc temporis sanctitas erat in Cœnobio Cluniacensi, ubi hæc sanctissimus Antistes didicit! Eius magister erat Hildebrandus, qui postea Gregorius VII. appellatus est. Hic cum adhuc esset Archidiaconus & Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, cum Hugone eiusdem monasterij Abbate in itinere ad Ecclesiam quamdam divertit, in qua ambo pariter se prostraverunt ante aram. In multam horam cum preces protraherent, respexit subitò Hildebrandus Abbatem turbulento vultu infrendens. Cuius rei causam cum postmodum percunctaretur Abbas, respondit Archidiaconus: *Si me amare vis, cave ne me ulterius hac injuria expugnes. Dominus meus Iesus Christus, speciosus ille præ filijs hominum, postulationibus meis visibiliter adstabat, intendens dictis, & serenis favens oculis, sed tuæ orationis adductus violentia me deseruit ad te conversus.*

Petr. Ven l. 1. mirac. c 25.

Eiusdem monasterij Abbas fuit Petrus venerabilis. Hic memorandam narrat historiam de Prioris Bonævallis efficaci oratione. Apud castrum, inquit, Liziniacum, quod in Pictavîensi pago situm est, nuper quidam presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis super cælestem dignitatem miserrimæ vitæ conversatione deturpans non ad animarum, quibus præerat, curam, sed ad car-

ad carnis suæ voluptatem explendam sacro ministerio utebatur. Hic mundissimam Christi carnem & sanguinem in altaris Sacramento frequenter officio, non devotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumque ut sus immunda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, territus aliquando conscientiæ malo familiaritatem contraxit cum Abbate Bonævallis, eiusque cœnobij fratribus. A quibus cum sæpe moneretur, ut vitæ pœnitens sæculo renuntiaret, præter inanem spem nihil evicerunt. Perdurans ergo in perdendæ vitæ actibus vindicante Deo in morbum incidit, quo ingravescente post aliquot dies ad extrema pervenit. Aderat eum visitationis gratia Prior dicti monasterij, atque cum eo per aliquantum diei spacium, ipso quoque rogante permanserat. Et ecce nocte superveniente cum cunctis discedentibus solus lecto eius assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: Succurre, ait, succurre, ecce duo super omnem feritatem expavescendi leones in me impetum faciunt, hianti ore ac rictu feroci per frusta discerpturi me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum ut ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hæc & tremebat, ac velut devoraturos fugiens timore defecto corpori vires addente retro cedebat. Prior verò vocis illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat; ad preces tamen ipsa necessitate impellente conversus, pro misero illo, ut poterat, Dominum exorabat. Quo orante mutata voce æger, Bene, inquit, bene; recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltra nusquam aparent. Cum ergo de rebus varijs per horam fere inter se confabularentur, rursum inclamare longè terribilius quàm primò exorsus est. En, inquit, en ignis de cælo, ut torrens inundans, descendit, & super hunc lectum meum veniens, jamjam me in favillam vsq; comburet. Festina, adiuva, ora, si fortè & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens manibus & brachijs opertoria sublevabat, eaq; velut aliquid iuvare possent, invisibilibus ignibus turbatus opponebat, sed nequidquã: non enim corporalia tegmina à spiritalibus incendijs tegere poterant, quem cœlesti vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore denuò ad orationem convertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Cuius preces post paululum æger gratulabundus interrumpens

ait: Quiesce jam, ab igne tutus sum: nam dum super me cum impetu descenderet, interpositus est linteus, vsq; ad quem ignis pervenit, sed eum transire non potuit. Jam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousq; quis istorum finis sit agnoscas. Ad quæ verba cum Prior ab oratione surgeret, eiq; assideret, atq; eum solaretur, & ut antè, cum eo sermocinaretur, ægrotus subitò ad invisibilia raptus obmutuit, Priore rei exitum præstolante.

Post multum noctis spacium ad se reversus miserabiliter ingemuit. Et ha ha, inquit, ad iudicium æternum raptus sum, & eheu æterna morte damnatus. Traditus sum horrendis tortoribus igne inextinguibili cum diabolo & angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq; ad me frigendum undiq; succenderunt. Et cum Prior orationi, vt antea, incubuisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare: nec pro illo vltra fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Quem cum Prior de misericordia DEI commoneret ille eius cucullam prehendens, sicut, inquit, hæc vestis cuculla, & cui superiaceo palea est, sic id quod hic cerno ignita sartago est. Quæ dum loqueretur, gutta de sartagine ignea in eius manum vidente Priore cecidit, quæ cutem & carnem ad usq; ossa consumpsit. Tum ille acri cum gemitu. En, inquit, indubia rei probatio: nam sicut hæc partem meæ carnis, sic confestim totum me ignea vorago consumet. Ecce sartago propius admovetur, vt ei inijciar. Et jam linteum, in quo jaceo, undiq; arripiunt, vt me imponant. Quibus dictis subtracta voce, ac reflexa cervice immundum spiritum exhalavit tanto cum terrore præsentium, ut omnes aufugerint. Post aliquot dies cum hæc tota res cunctis innotesceret, apertum est sepulcrum eius, & ab omnibus ambusta manus ab ignea gutta conspecta est.

Non minoris virtutis fuère preces S. Columbani, qui fratris animam suis lacrymis & orationibus in corpore detinuit, licet iam evocata à Deo fuerit. Incidit aliquando Abbas S. Iustini in B. Franciscum. Quem ut veneraretur tamquam sanctũ Dei hominem incunctanter ex equo descendit, & colloquio aliquantisper habito rogavit, ut pro se oraret. Faciam, ait S. Pater, & digressus socio dixit. Expecta frater paulisper, dum debitum solvo orationis. Et oravit. Mira vis: nam inter orandum

Surius in vita c. 17. Nov. 21. S. Bonav. in vita c. 9.

Abbas

Digitized by Google

Abbas tam inſolita dulcedine ac viſitatione cæleſti perfuſus fuit, ut extra ſe raptus in Deum penitus elevaretur. S. Eliſabeth ſimili oratione profanum juvenem amore divino ſic incendit, ut tantum non emortuus fuerit. Sur. in vit. 19. Nov.

Si ſanctorum preces, Ioſippe, alijs prodeſſe tantum potuerunt, quid putas ſibiipſis profuiſſe? Sancta pœnitens nonne ſuis ſuſpirijs ac fletibus impetravit ut audiret, *Remittuntur tibi peccata tua?* Similem gratiam meruit Victorinus ille, de quo magnus Gregorius, qui prolapſus in peccatum in tantum de eo doluit, ut omni opulentia dimiſſa ingrederetur cœnobium. Ubi vivens in omni ſanctitate ante vigilias ſurgere ſolebat, & ad eremum exire vacareq; ſanctis precibus. Eum videns abbas aliquando egredientem, clam ipſum ſecutus eſt, & in latere montis orantem invenit. Dum autem finem orationis expectat, videt lucem cælitus ſuper ipſum deſcendentem tam claram, ut tota regio illuſtraretur. Quo viſo Abbas territus fugit. Cum verò redeuntem fratrem interrogaſſet ubi fuerit, & quid cum luce factum ſit, intellexit ſimul cum luce vocem de cœlo deſcendiſſe, *Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum.* De altero quoque refert viro magnæ compunctionis, & qui continuò aſpirabat ad Deum, Antonius audiebat, Huic, ait, dictum fuiſſe per viſionem nocturnam, Paratus eſto, quia Dominus iuſſit migrare te. Cumque ille non habere ſe ſumptus ad migrandum diceret, reſponſum protinus audivit, *Si de peccatis agitur, dimiſſa ſunt.* Quod cum is ſemel audiſſet, & adhuc trepidaret, eadem alia nocte audivit. Et poſt quinque dies febri correptus defunctus eſt.

Luc. 7. S. Greg. l. 4. dial. c. 4. & hom ſuper Evang. de 100. ovib. Idem l. 4. dial ſup.

Quid ſi nobis aliquando ſimile nuntium de cælo veniret? Meâ memoriâ vivere deſijt inter Capucinos manſuetus frater laicus. Cui ſimiliter oranti dictum eſt, *Remittuntur tibi peccata tua.* Sic ſurgunt laici, & ſuis precibus cœlum expugnant: nos autem inter quotidiana ſacrificia volutamur adhuc in carne & ſanguine. Stamus ad ignem, & ſi non frigore perimus, tepore marceſcimus.

Bover. in annal. A. D. 1610.



EPIST

EPISTOLA LXVII.

De loco Orationis, & Monachorum Synaxibus, seu Collectis.



NEscio quibus Prodicus olim prodierit, contra Ecclesiam stans ac docens, *Non esse penitus orandum*: Scriptura divina autem ait: *Non impediaris orare semper.* Et: *Sine intermissione orate,* & quidem vbiq; : *Volo,* inquit, *viros orare in omni loco, similiter & mulieres.* Privatis precibus quid nocet locus? Licentius apud Augustinum ad requisita naturæ discedens, paulò clarius cecinit, *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus.* Ob quod religiosissima femina S. Monica obiurgavit eum, quod inconveniens locus cantico esset. Sed rectè respondit Licentius: Quasi verò si quis me inimicus includeret, non erat DEUS exauditurus vocem meam. Nec minus displicet ingenium fratris illius apud Climacum. Cum aliquando, inquit, in congregatione essem, notavi sollicitũ atq; studiosum fratrem, dum à malis cogitationibus molestiam pateretur, nec inveniret illic locum idoneum orationi, ad naturæ necessaria simulata necessitate exijsse, atq; illic adversus hostes validissima oratione conflixisse. Cum verò loci indignitate permoverer: *Cur* inquit, *loci huius quasi minus idonei te facies movet? Persequebantur me immundæ cogitationes, ego in loco immundo vt mundarer à sordibus oravi.* Ipse novi senem, qui cum spontanea flagellatione se castigare volebat, & locus commodus non occurrebat, id peregit in locis privatis, cuius rei veritatem cruentæ maculæ in longa tempora demonstrarunt. Et quid ni colatur ubiq; , qui ubiq; DEUS præsens est?

Clem. Alex. l. 7. strom. fol. 722. Eccli. 28. 1. Thessal. 5. 1. Thimoth. 2. S. Aug. l. 1. Ord. c. 8. Psal. 79. Climac. grad. 15.

Pro publicis precibus ædes sacræ, templa, ecclesiæ, & oratoria constructa sunt. Hic nihil agendum aliud esse, nisi ad quod facta sunt, si non S. Augustinus mandaret, ostenderet hæc historia ex Boverio. Frater quidam, ait, bono zelo meliores imitaturus de suo Ordine pernox in oratione durare in Ecclesia non raro constituebat. Cum autem somno aliquoties corriperetur, ab angelo in forma pueri semel excitatus in dormitorium ductus est. Ubi antequam ex oculis eius evanesceret dixit: *Hic locus dormitionis; Ecclesia verò orationis est.*

S. Aug. in reg. Annal. Capuc. A.D. 1595.

A prima

A prima monaſteriorum ædificatione ſemper in ijs locus certus erat, in quo religioſi ſuas collectas & preces perficiebant. Antehac confluebant, cum populo ad Eccleſias communes, ſtabantque proximi choro ante homines ſæculares. Hodie plerumque confuſim omnes ſtant permixti viri cum feminis, pueri ac puellæ, ut vix clerus intra cancellos ab hac confuſione liber ſit. Quæ cauſa fuit, cur in Eccleſijs religioſorum, ad quas concurrere ſolet populus, chorus pro fratribus ſuſpendatur in altum ad publicas preces quietius perſolvendas. Olim intra cancellos, ubi chorus erat, ſolus conſiſtebat clerus. Pars illa, inquit concilium Turon. II. quæ à cancellis verſus altare dirigitur, choris tantùm pſallentium pateat clericorum. In hoc loco nec Imperatorem Theodoſium pati S. Ambroſius voluit. Debuit igitur foris cum laicis ſtare in parte Eccleſiæ ſiniſtra; quia feminæ dextram tenebant; ſic tamen ut maritatæ diſjungerentur à Virginibus.

S. Ephr. paræn. 28.
S. Dion. Eccl. hier. c. 6.
Baron. A. D. 390.
A. D. 567. can. 4.
Henric. ſpōd. A. D. 57.

Ceteroquin cùm fideles alij eſſent baptizati, alij catechumeni, etiam hi ab invicem ſeparati conſiſtebant, ſicut lugentes ab audientibus, audientes à ſubſequeſtratis & catechumenis, ſubſequeſtrati à conſiſtentibus. Pœnitentes, qui & plorantes & lugentes dicebantur, nempe ſuper commiſſis delictis, ex Apoſtolica traditione atque ordinatione ſtabant extra portam Eccleſiæ in *loco Fletus*, ubi ab ingredientibus proſtrati ad eorum pedes poſtulabant preces. Intra portam ἐν τῷ νάρθηκι (ut loquitur S. Greg. Thaumaturgus, Abbas Ioannes Raythu dicit ante portas quæ Baſilicæ vocantur, & veſtibulum templi erat) conſiſtebant pœnitentes, qui dicebantur *Audientes*, ex eo quod ſacræ Miſſæ intereſſe potuerint, uſq; dum abſolveretur tractatus & explicatio ſcripturæ, quam audire poterant, unde & *locus* dictus *Audientium* eſt. Proximè ſuam ſtationem habebant *Subſequeſtri & Catechumeni;* ſed locus hic erat intra Eccleſiam in poſteriori parte ambonis. Qui ſimiliter finita concione exibant clamante Diacono. Unde S. Auguſtinus, Poſt ſermonem fit Miſſa catechumenis, manebunt fideles baptizati quos ex eo *Conſiſtētes* appellabant, quod uſq; ad finem ſacrificij in Eccleſia perſeverare potuerint. Et horum illi qui participes fiebant corporis & ſanguinis Domini, & vocabantur *Communicantes* à non communicantibus iterum ſeparati ſtabant, ordine pulcherrimo.

Ioan. Rayth. in Climac.
S. Gregor. Thaum. ep. can. 11.
S. Aug. ſerm. 237 Temp. c. 8.
S. Epiph. expoſit. fid.

Verùm dimiſſis populi ſynaxibus, (quæ quibus modis

ac diebus per hebdomadem & annum celebratæ sint S. Epiphanius docet) ad synaxes priscorum monachorum me refero. Est autẽ *synaxis* aliud nihil quàm conventus & congregatio, nempe ad Ecclesiam. S. Hieronymus Latinè *collectam* vocat, aliaq; diurna, alia nocturna est. Convocatio penes vnum erat in cœnobijs, qui inde dicebatur *Canonarchus*, quasi director officij canonici. Hic ubi tempus erat, certum signum dabat, per diem quidem tuba, ut ait S. Hieron. vel pulsu ligni, ut Leo Augustus tradit cum Moscho, qua de causa etiam *Compulsor* nominabatur. Noctu ne quis signum excitantis fortè obaudiret, præfectus vigiliarum circuibat pulsans fratrum cellas, & excitabat eos voce psalentis *Alleluia*. Hinc respondebatur, *Bene Domine, charitas tua oblivioni non detur, det tibi Dominus hujusce rei præmium.* Officium horum magni fiebat, eò quod officium divinum ab eis dependebat, qua de causa à bonis fratribus summoperè colebantur. Certè S. Dorotheus ait, se eos ita amasse & coluisse, ac si ab ijs salus eius dependisset. Ut verò fratres excitarent statuto tempore, per noctem excubare debebant, certamq; horam explorare aspectu stellarum, quod quidem per Ægyptum ac Thebaidam facilè fiebat, ubi noctes omnes illustres sunt, atq; hac de causa nuncupabantur quoq; *Excubitores*.

S. Hierō reg. S. Pachom. S. Doroth. doctr. 11.

S. Hieron. sup Leo August. vita S. Chrysost. Mosch. c. 11. & 50.

S. Hier. ep. 27 ad Eustoch. S. Doroth. cit.

Cassian. l. 2. instit c. 17.

Doroth. cit. Reg. S. Pachō.

Congregatis itaq; fratribus primùm orabatur, deinde psallebatur, & sequebatur lectio de scriptura, atq; exhortatio. Expleto matutino injungebantur mandata per diem exequenda, quæ tam enucleatè observabant, ut etiam memoriæ dictæ mandarent. Semel per hebdomadem, nempe die Dominico officia pro tota septimana distribuebantur, & fiebat capitulum culparum. Quod tamen posteris temporibus dilatum est usq; post Primam canonicam, ut constitutiones monasticæ post regulam S. Benedicti volunt. Cluniacenses id instituebant lecto martyrologio & regula. Formulam se ibi proclamandi tradit S. Dorotheus: *Ignosce mihi Pater, quia ex ignavia, torpore, & somnolentia hac nocte non exurrexi ad vigilias.* Nec solum de malis operibus aut negligentijs, verùm etiam de pravis cogitationibus se accusabant. Dum autem quis culpam dicebat, nefas erat aliud quidquam loqui, nisi rogatus, ac tunc petitâ veniâ poterat, sed verissimis & paucissimis verbis. Excusationes indignissimè ferebantur, ut cum, verbi gratia, torpescens ad vigilias surgeret, & sibi ipsi parcens fortè diceret, *Febrē passus*

Reg. S. Bened. c. 35.

Tom. 6. Bibl. PP.

In vita S. Odō

S. Doroth. doctr. 9.

In constit sup.

S: Doroth. cit

passus sum & vertiginem, nec potui vllo pacto surgere: Deficiebam, debilis eram, caput dolebam, stomachi tormina patiebar, cum potius ignauiam fateri debuisset.

Collectæ tam diurnæ quàm nocturnæ erant vel priuatæ vel generales. Illæ agebantur omni die interdiu & noctu, hæ solis diebus Dominicis & festiuis. Illis præerat immediatus Præpositus, & interesse debebant fratres unius dumtaxat monasterij: his omnes intererant qui ad eamdem regulam & Abbatem pertinebant, cuius solius tunc erat exhortari fratres. Generales habebant plures orationes, oblationem incruenti sacrificij, & fratrum sacram communionem: nec ulli licebat psallere, hoc est responsorium dicere, nisi domuum præpositis & cœnobij maioribus, semperq; claudebantur exhortatione, quod aliàs non fiebat; attamen in his ter per hebdomadem de scripturis à domorum præpositis disserebatur, quo tempore finito sermone fratres inter se conferre poterant de disputatis, cum finitis alijs collectis illicò se ad suas cellas conferre debebãt. Quæ omnia maximè fiebant in Thebaide & Ægypto. Quid ab his alibi factum sit, suo tempore commodius dicetur. Reg S. Pachõ.

EPISTOLA LXVIII.

Quibus Temporibus Orandum Sit, vbi de Horis canonicis.



SI Christi consilium recipis, *Oportet semper orare, & non deficere.* S. Martinus id in extrema infirmitate secutus oculis ac manibus in cælum semper intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Eiusdem feruoris S. Caluppa assiduus erat in opere DEI; nec vacabat ad aliud, nisi aut legeret aliquid, aut oraret. Etiã cum parumper cibum sumebat, semper orabat. S. Iacobum fratrem Domini nostri precibus ita deditum fuisse, ut genua eius duritiem cutis cameli induerint, sicut B. Stephani Grandimontensis, qui præter horas canonicas, & regularia debita solebat facere innumerabiles genuflexiones. S. Cælestinus suis fratribus de nocte præscripsit centum geniculationes. Robertus eius discipulus vir magnæ sanctitatis quingenties in die naturali ad preces genua flectebat. Et virgo quædam apud Palladium per diem faciebat orationes septingentas. Besarion Abbas per dies quattuordecim manibus extentis perstabat in oratione,

Luc. 18. Sulpit. in vita S. Greg. Turon. l. 5. hist. c. 9. Et de vitt PP. in vita. Euseb. l. 2. hist. c. 23. In vita l. 3. vitt PP. Occid. Bened. Gonõ. vitâ. c. 18. Ioan. à Bosco in vitâ Pallad. Laus. c. 24. Pelag. l. 12 n. 3.

 quod

Theodoret. in Philoth. c. 24. quod fidem penè excedit. Deniq; ut plures omittam Zebinas apud Theodoretum superabat omnes sui temporis homines assiduitate orandi. In ea enim diu noctuq; versans non solum non satiabatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum ijs, qui ad ipsum veniebant, paucis disserens, non poterat in animum inducere, ut cogitationem à cælis deduceret, sed statim ab ijs liberatus, ut nec tantillum quidem ab eis quæ sunt DEI universorum separatus offerebat rursus deprecationem. Postquam autem non permittebat eum senectus, ut citra molestiam stare posset assiduè, sustentaculum ei præbebat baculus, cui innixus Dominum & laudabat & orabat.

Hi nempe Josippe noverant, quid esset, oportet semper orare, & non deficere, quod etiam S. Athanasius præscribit sanctimonialibus. *Sive manduces*, inquit, *sive bibas, sive cubitum eas, sive dormias, sive quid facias, Dei laudes in ore tuo resonent.* S. Athan. de Virg. S. Ambr. l. 3. Virg. Et S. Ambrosius: Solemnes orationes, ait, cum gratiarum actione sunt deferendæ cum è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum deniq; cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione Dominica frequente contexas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam sopor irriget, ut te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam divina meditantem somnus inveniat. Atq; hoc ipsissimum est quod Doctor Gentium ait: Coloss. 3. *Omne quodcumq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini nostri IESV CHRISTI, gratias agentes DEO & Patri per ipsum.*

Greg. Tur. in vitt. PP. c. 5. Opportunissimè huc pertinet S. Friardus. Hic ab infantia DEUM timuit: factus autem vir semper in DEI laudibus, semper in oratione & vigilijs durabat victum manibus quærens: Inter labores tamen ab oratione numquam cessabat, Psal. 123. assiduè crucem auribus & oculis imprimens, jugiterq; dicens psalmi illius versum *Adiutorium nostrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram.* Quo fiebat ut alijs cooperatoribus suis ridiculus haberetur: nam cum fortè inter eos messem legeret, inciderunt illi in examen vesparum, à quibus cum timerent ac resilirent ioco ad locum vocantes Friardum: Veniant, inquiunt, Benedictus, veniat religiosus, & assiduus orator ad hunc locum & metat. Quo cum ivisset ille, facto signo crucis, & pronuntiato versiculo suo, omnes vespæ in antrum suum irrepserunt,

Digitized by Google

pserunt, quoad Friardus laborem absolverit. Alia vice in arborem ascendens cum fracto ramo cadere cœpisset, ad vnumquemq; ramum, super quem ruebat dicens, *Christe omnipotens salva me*, illæsus decidit: in terram autem cum venisset, suum illud *Adiutorium nostrum* dixit, & surgens abivit.

Tantum valet deprecatio iusti assidua, quamlibet brevis sit. Certè quantarum virium sit versiculus *Deus in adiutorium meum intende*, prolixè demonstrat Cassianus. Quo solo P. Francisus Bergomas Capucinus dæmones eiecit. Quemq; cum S. Gudvvalus ad initium horarum canonicarum pronuntiaret, Angelos respondentes habuit, Domine ad adiuvandum me festina. Iacob. 5. Cassian. collat. 10. c. 10. Bover. in vita A. D. 585. Surius in vita

Ut autem nunc de iugi oratione amplius nihil dicam, apud Christianos semper in mandatis erat ante & post mensam orare. S. Basilij constitutio est: *Oratio meridiana dividenda erit, sic ut ante & post refectionem prandij oretur.* Eleganter Tertullianus, *Non prius discumbimus*, inquit, *quàm oratio ad Deum prægustetur.* Post aquam manualem & lumina, ut quisq; de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. S. Athanasius: Post synaxin horæ nonæ comede panem tuum præmissa oratione, signoq; crucis ter panem signa. adiunge & orationem recitandam absoluta refectione. Similiter S. Ephraim: Licet bis, inquit, in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito. M. Basilius huius rei rationem reddit. Preces, ait, mensam antecedant, tum propter ea quæ nobis impræsentiarum dantur; tum ab ea quæ imposterum ad utilitatem nostrã Deus reservauit. Eædem & sequantur ad actionem gratiarum præceptorum, & ut de cetero nos sustentet. S. Basil. instit. monast. t. 2. fol 394. Tertull apol. advers. Gent. c. 39. S. Athan. sup. S. Ephr. adhort. 1. fol. 280. S. Basil. epist. 1.

Quæ verò preces olim ante & post mensam dictæ sint, præter S. Athanasium nemo tradit, qui solus formulam Virginibus præscripsit alijs non receptam. S. Clemens ante cibum & somnum docet Christianos decantasse Deo hymnos & psalmos, nec tamen illos exprimit. In Evangelio quoq; dicitur generatim: *Et hymno dicto*, post cœnam *exijt in montem olivarum.* Cassianus ait, monachos recitasse psalmum ordinarium, si semel in die comedissent: si bis; tantum, inquit, faciebant simplicem orationem: sed nihil in specie exprimit. S. Columbanus tanti fecit benedictionem ciborum, ut decreverit sex per- S. Athan. cit. S. Clem. l. 7. Strom. f. 728. Marc. 14. Cassian. l. 2. instit. c. 15. S. Columb. p. 2. reg c. 1.

Surius in vita S. Amati 13. Sept. cussionibus castigandum eum, qui non singulis vicibus cochlear, quo lambebat, signavisset. Id cum nonnullis esset onorosius, in concilio Matisconensi hac de causa querelam deposuerũt. Baron. A D. 617.

Cassian. c. 19. sup. Ante somnum monachos convenisse, & psalmos cantavisse liquet ex Cassiano. S. Clemens quoq;, Athanasius, & Ambrosius docent ante somnum, immò & pòst orandum esse. Abbas Esaias ait, binas, antequam cubitum eas, orando, psallendoq; horas consume. In specie S. Basilius præscribit psalmum nonagesimum. Deniq; ante laborem præcessisse orationem scribit B. Ephraim. sup. citt. Esaias. Abbas orat. 4. S. Basil. reg. fusior. 37. S Ephr. de humil. acq. c. 75.

At sepositis his orandi temporibus, ab initio Ecclesiæ statuta & observata sunt à fidelibus, maximè Ecclesiasticis alia precandi per diem naturalem tempora. ut *noctis medium, Matutinum, Hora prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertinum, & ad finem diei artificialis.* Quod *Matutinum* hîc dico, *Laudes* intelligo à psalmis *Laudate* dictas, quæ olim non coniungebantur cum nocturno officio, seu vigilijs. Habes igitur octo tempora, unum media nocte, septem per diem artificialem, sicut S. Benedictus distribuit ex Psalmista, *septies in die laudem dixi tibi*, cui S. Ephraim consentit dicens: *septies in die ora, sicut à filio didicisti Isai.* Ubi matutinæ preces seu *Laudes* coniungebantur (sicut hodie passim fit) cum vigilijs nocturnis, *septies in die laudem dixi* intelligitur dies naturalis continens 24 horas. Psal. 148. & 150. S. Bened. reg. c. 16. Psal. 118. S. Ephr. in cant. suo t. 2. fol. 268.

Psal. 118. S. Cyprian. l. de discipl. & habit. Virg. Nocturnæ preces, quæ *Vigiliæ* dicuntur ex Psalmista originem habuerunt dicente, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, ut innuit S. Benedictus. Earum meminit S. Cyprianus dicens, *In nocturnis quoq; tenebris orandum.* Et S. Hieronymus ad Demetriadem, ait media nocte orandum, quod S. Paulam cum suis monialibus sedulò observasse scribit. *Matutinæ preces* seu *Laudes* desumptæ sunt ex eodem Psalmista, ut Cassianus docet, dum ait, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Et in matutinis meditabor in te. Item: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. S. Cyprianus ait: *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Huius temporis meminit non semel B. Hieronymus. S. Augustinus quoq; dicit, *Post galli cantum consuevisse esse tempus orandi*, & Paterfamilias primò manè cœpit operarios conducere in vineam suam. *Horæ primæ* canonicæ tam frequens memoria apud veteres non est, quia non erat apud omnes in usu, & salvari poterat quod ex psalmista S. Hieron. ep. 8. & 27. Cassian. l. 3. instit. c. 3. Psal. 62. & 118 Sup. S. Aug. confe. 29. psal. 118. Matth. 20.

mista

miſta de ſeptenaria oratione per diem naturalem affertur, ſi diſiungebantur vigiliæ à Laudibus. Originem eius in multis locis Caſſianus ait eſſe deductam ex eo, quod multi abſoluto officio matutino rurſus cubitum iverint, & dormiverint uſq; ad tempus Tertiæ ſat longo ſpatio, quo viſo ferventiores convenerunt ſtatuentes, ut fratres de cetero oriente ſole, hoc eſt, hora prima convenirent, ac DEUM invocarent, ac ſicut in reliquis horis minoribus tres pſalmos cum orationibus tempori accommodatis recitarent. Caſſian. ſup. c. 4.

Horæ Tertiæ, Sextæ, Nonæ meminit S. Clemens, Tertullianus, Cyprianus, & S. Hieronymus cum alijs. Eas inde ortum habuiſſe refert Caſſianus, quod horâ Tertiâ Spiritus ſanctus miſſus fuerit: Sexta Chriſtus crucem conſcenderit, ac S. Petro vocatio Gentium demiſſione lintei oſtenſa fuerit: Nonâ, ob deſcenſum Chriſti ad inferos, & quod eadem hora Cornelio prædicta ſit vocatio Gentium, & Petrus ac Joannes in templum orandi cauſa aſcenderint. Atq; hinc Cyprianus ait: *Horam Tertiam, Sextam & Nonam iam antiquitus in Eccleſia ad preces eſſe diſtributas.* Quibus adiungit *Veſperas* dum ait, *Recedente ſole eſſe orandum*, quod & S. Ephraim facit, Hieronymus, & alij. Anſam Veſperarum dedit veſpertinum ſacrificium cunctis diebus apud Hebræos celebratum & incruentum illud Chriſti Domini cœnantibus Apoſtolis, ut narrat Caſſianus. Sup. citt. Caſſian. c. 3. Act. 10. Act. 3. S. Ephr. de beatit. fol. 171. Num. 28. Pſal. 140.

Reſtat *Completorium*, quod diem & officium divinum claudat & compleat. Fit enim *die ceſſante*, & quidem *neceſſariò*, ut S. Cyprianus ait. Caſſianus hanc horam *Lucernalem* appellat, unde & eius preces *Lucernales* ab Epiphanio, & *Lucernaria gratiarum actio* à S. Baſilio, & à B. Chryſoſtomo *Lucernarium officium* nuncupantur, quod fiant, quando incipiente nocte lucernæ inferri ſolent, adeoq; tempus ſit lucernarum, ut loquitur Doctor Cappadociæ. Ruffinus has preces idcirco *Luminaria* vocat dum ait: Primum eis poſt *Luminaria*, id eſt poſt *preces Luminares*, appoſuit ſiccos panes. Harumq; precum ſub nomine *Lucernarij* etiam mentio fit in concilio Tolet. I. Uti & in Conſtantinopolitano V. ſub Menna poſt declamationes, ubi Epiſcopus ait ad populum: τὸ μέντοι λυχνικὸν τῷ σαββάτῳ ἑσπέραν πεποιῆσθαι. Interpres habet *Luminarium.* Deniq; in concilio Oecumenico VI. Ne genua, inquiunt PP, à veſperis ſabbati flectantur uſq; ad Completorium Dominicæ, Grecè λυχνικόν. Unde Sup. S. Epiph. in comp. S. Baſil de ſpirit. S. c. 29. S. Chryſoſt. pſal. 118. & hom. 59. ad pop. Ant. & de laudib. monach. S. Baſil. c. 2. fol. 731. n. 30 Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 5. A. D. 400. can. 9. Can. 9.

de

S. Basil sup. S. Greg. in vita S. Macrinæ

de S. Basilius ἐπιλύχνιον ait, & S. Gregorius Nyssenus ἐπιλυχνίους εὐχαριστίας. Lucernales gratiarum actiones.

Cassian. sup. c. 1. & 2.

Quæ cùm se ita passim habuerint circa horas canonicas in Ecclesia, soli monachi Palæstinæ & Mesopotamiæ per diem ad collectas non convenerũt, sed iugiter laborarũt per cellulas, & inter laborandum assiduè oraverunt usq; ad Vesperam, ac tum primùm ad preces simul convolarunt, sicut & noctu. Diebus tamen Dominicis & sabbati hora tertia synaxin celebrarunt ut SS. Eucharistiam perciperent, ut Cassianus memorat. Et huc fortè collimat S. Augustinus dicens monachos Orientis ad noctem usq; jeiunare, & vesperi convenire ad exhortationem patris, nempe quotidie, ut verum sit quod ait Hieronymus: Quotidie aliquid de scripturis dicitur, præter morem Ægyptiorum ubi non nisi ter per hebdomadam. Sed facilè hoc tolerari potuit, quia melius est semper quàm per intervalla orare. Deinde facto demõstrare hi monachi voluerunt, se de Euchitis non esse.

S. Aug. l. mor. Eccl. c. 31

S. Hieron. ep 22.

EPISTOLA LXIX.

De Vigiliis seu Synaxibus nocturnis.



S. Isaac. de contẽpt. mundi t. 6 Bibl. PP.

Alleluia, Josippe, stellæ mediam noctem indicant, surgendum est ad vigilias. Antiqua res est, & SS. Patribus multum laudata. *Noli putare, ô homo,* ait S. Isaac monachus, *quod inter omnes operationes monachorum sit alia quamlibet sancta conversatio maior vigilijs nocturnis, quibus citissime perveniat, & volet, & exaltetur mens in dilectione Dei.* Et S. Cyrillus in suis catechesibus satis laudare non potest nocturnas Synaxes propter acquirẽdam divinam sapientiam, meditationes, lectionem, contemplationes S. Scripturæ, psalmodiam, orationes, & compunctionem. S. Basilius quoq; ad Gregorium ait: Quod alijs manè est, hoc ascetis sit dimidiata nox, seu μεσονύκτιον, quod tempus oportunissimum est quietis & contemplationis, quando neq; oculis, neq; auribus occurrunt nocentia phantasmata, adeò ut memoria numquam aliàs tam commodè pristinorum peccatorum reminisci possit, aut profectum virtutum procurare, & in malo defectum meditari queat, quàm eo tempore. Cuncta hæc esse certissima docet experientia, ut meritò *carnalem* vocet S. Ephraim eum, qui negligens in his extiterit. *Væ mihi est,* ait S. Ambro-

S. Cyrill. catech. 9.

S. Basil. ep. 1.

S Ephr. serm. 1. de compũct.

Digitized by Google

Ambrosius, *si non media nocte surrexero ad confitendum tibi.* Et iam ex Ephraimo audivisti: *somnus, si plus quàm hymnus ametur, quod monachi mors sit.* S. Ambr. l. 2. c. 3. in Lucam S. Ephr. paræn. 1.

Et tamen delati sumus in hæc tempora, quibus nocturnæ vigiliæ in plurimis locis expirarunt, & magnus creditur qui sedulò surgit ad auroram, ut nocturnas preces cum Laudibus absolvat. Quin omnis illa devotio, quæ media nocte peragi consueverat, hodie conjuncta cum Laudibus dicitur *Matutinũ*, quocumq; tandem tempore persolvatur. Quid ad hoc dixisset S. Hieronymus, qui *Vigilantium* carpentem nocturnas vigilias appellauit *Dormitantium?* Concilium Aquisgranense eius asseclas Νυκτάζοντας à dormituriendo indigitat. A. D. 816. c. 130.

Quàm longè recessimus ab antiquis vestigijs? Leo IV. præcepit, ut omnes sacerdotes & presbyteri ad horas nocturnas omni nocte surgerent. Et concilium Oxoniense: Ut diurnum ac nocturnum officium studiosè & devotè celebraretur. Et ita factum est, ut ex Hieronymo, Chrysostomo, & Antiocho monacho Lauræ S. Sabbæ, alijsq; facilè cognoscere poteris. S. Anselmus Lucensis à media semper nocte, sicut ait Propheta, ad officium surgebat matutinale, nisi rarò parceret debilitati filiæ sibi commissæ, scilicet gloriosæ dominæ Mathildæ: nam mater omnium virtutum discretio regnabat in ipso. Zacchæus S. Pachomij discipulus in extrema infirmitate collectam fratrum numquam deseruit, & circa medium noctis surgens, usq; ad matutinas orationes alacer permansit. S. Gregorius Lingonensis Episcopus ubi ad primas vigilias noctis clam in Ecclesia oravit, ad lectum deinde se contulit, ut noctu ad officium Dominicum dato signo surgens cum reliquis dormisse videretur. Et licet Templariorum ac Tabennesiotarum regula fatigatos ex itinere à nocturnis vigilijs eximat; apud alios tamen & iam peregrinantes surgebant, quod docet Gregorius Turon. Hinc laude celebratur P. Hieronymus Mediolanensis, qui quomodocumq; ex itinere fatigatus esset; ad matutinum tamen officium media nocte indefessè surgebat etiam in via constitutus, quem deinde non pauci de suo Ordine imitati laudabiliter sunt. Leo hom. de cura pastor. A. D. 1222. S. Hier. ep. 8. & 27. Chrysost. hom 26. in acta Antioch. mon Bibl. PB. In eius vita. Psal. 118. Vita S. Pach. c. 52. S. Greg. Turon. vitt. PP. c. 4. Reg. Templar n. 18 & S. Pachom. S. Greg. Turon. de gloria Confess. c. 31 Bover. annal. A. D. 1584.

Surgebant & sanctimoniales, ut ex vita S. Euphrasiæ & Paulæ Romanæ liquet. Quin & solitarij, ut habes in vita S. Abrahæ eremitæ, & quemadmodum ad noctem psallebant psalmos duodecim, sic & media nocte, quos manè supplebant, si S. Ephr. vita S. Abrah. Pelag. l. 10 n. 76. 97 98.

Digitized by Google

mel ob pluvias hæſit in lecto. Et vox ad eum: Hominum ingratiſſime: Ni ego tibi opem tuliſſem pridem inter inferos arderes. Et iam ob exiguas pluviæ guttas preces & horas nocturnas omittis? Qua voce territus Joannes ſine mora ſtrato ſe proripuit, ac de more ad Eccleſiam properavit.

Caſſiani adhuc temporibus per totum Orientem vigiliæ, ſeu collectæ nocturnæ incipiebant feriâ ſextâ ad veſperam, durabantq; tota nocte. Atq; hoc fiebat in memoriam illius noctis, qua conſternati Apoſtoli ob mortem Dominicam manebant pervigiles. Sic ut ea nocte fratres ultra duas horas non dormirent. Idipſum ſervabatur die Dominico quo fiebat ut monachi illis duobus diebus non ieiunarent, ſed pranderent propter laſſitudinem vigiliarum, & quod reliquos quinque dies ſeptimanæ iam jeiunaſſent. Atq; hanc ſacram conſuetudinem Collator ait à temporibus Apoſtolorum in vſu fuiſſe. Caſſian. l. 3. inſtit. c. 89.

De pœnis edormientium alibi tibi dicam, quæ ſemper uſq; ad nos inter maximas erant. Infirmitas tamen ubiq; indulgentiam meruit, modò non fuerit ſimulata. *Non dicas*, ait S. Baſilius, *cum ad preces accedendum eſt, ventrem, caputq; doleo, incertos huius falſæ rei teſtes adducens, vt quietis gratia concors ſtudium vigilantiæ dimittas.* Falco qui ſua voce ac ſtrepitu S. Franciſcum ſingulis noctibus in deſerto Aluerniæ excitabat ad vigilias, gravius ægrotantem ad auroram primùm excitare ſolebat. Extra hunc caſum infirmitatis tam facilis diſpenſatio non eſt. Gregorius Turon. vir ſanctus in vigilia nativitatis Chriſti laſſus aliquando ſopore correptus eſt. Et ecce quidam concutiens dormientem iuſſit adire matutinum. Gregorius concuſſione ac voce jubentis expergefactus ſigno ſe crucis munit, ac denuò obdormit. At iterum concutitur, & ablegatur ad chorum. Evigilat rurſum Gregorius, ſed dum neminem videt, & ex anteacta vigilia graviter in ſomnum inclinatur, iteratò indormit. Tum deniq; is, qui toties ſoporatum monuerat, dormienti infringens alapam dicit: *Tu cum alios ad matutinum excitare deberes, dormitas ipſus.* Senſit ictum Antiſtes, ſurrexit, & ad vigilias mox conceſſit. S. Baſil. ſerm. de abdic. rer. Vita S. Franc. c. 8. Surius in vita 17. Nov.

Paulò mitius actum cum P. Joanne à Cuſtodia Capucino. Is longo itinere fatigatus ut domum venit, ſtatuit ea nocte matutinum edormire. Itaq; ſigno de more dato ſolus ipſe permanſit in ſtrato. Hîc neſcio quis ad eum intrat, & ad vigilias evo- Bover. A. D. 1588.

cat. Joannes ubi lassitudinem corporis exposuit, ab excubitore audivit, *Saltem in cella tua ores.* At cum præ tœdio nec hoc placeret, Excitator accensâ candelâ recessit. Ioannes parumper commotus habitu lucem extinguit, & in somnum resolvitur. Sed iterum iterumq; adest ignotus Canonarchus, & ad preces compellit. Cuius rei tœdio cum moveretur Ioannes, ut tam importunum Compulsorem oculis lustraret, de grabato desilijt: verùm nemine viso Guardianum accessit, &, Ecquemnam misisset rogavit? Ubi neminem intellexit, miratus DEI voluntatem de cetero etiam fessus ad nocturnas preces accessit.

Quid nobis Josippe fiet, qui neq; ad nocturnas, neq; ad matutinas preces inertes surgimus? Nocturnas preces vel ante somnum oramus, vel orto sole. Ita scilicet ructus non impedit orationem, nec capitis gravedo mentem deprimit. Sed nec crapulatorum apud DEUM valet excusatio. Cum S. Gerardus Abbas Cellensis & Borriensis in Lotharingia ex Gallia secũ ferret corpus S. Eugenij martyris, divertit ad pagum, in quo curabant duo monachi ex S. Germano, quibus sacra lipsana commendavit tantisper, quoad is Episcopo suum adventum significaret. Factum est autem, ut horum unus se noctu vino ingurgitaret, qua de causa gravedine capitis in densiorem somnũ resolutus ad solitum tempus Matutini officij non expergiscebatur. Hunc S. Venantius Episcopus verbis & verberibus corripiens, *Impudentissime*, inquit, *monache, quid stertis? Itáne debitum nocturni pensi exolvis? siccine dormis? Ermetus frater tuus de tua somnolentia conqueritur, qui iam pridem surrexit, ac te expectat. Hic tuus cultus est, quo me, & maximè S. Eugenium fidei tuæ commissum prosequeris?* Quibus dictis Werenbertus (hoc ei nomen erat) ocyus surrexit, & ad preces convolavit. Josippe, quantum negotium S. Venantius haberet, si adhuc Compulsoris officium gereret?

Surius vitâ S. Gerard. c. 12. Octobr.

EPIS-

EPISTOLA LXX.

Quid potissimum Orandum sit.

Nulla præstantior oratio *Dominicâ* est. Eam idcirco per excellentiam S. Augustinus *Fidelium* nominat *quotidianam*, quòd quotidie recitanda sit, ut satisfiat levibus ac brevibus peccatis. In canonibus ad concilium œcumen. VI. præcipitur, ut omnes fideles saltem bis in die manè & vesperi recitent orationem Dominicam, & symbolum Apostolicum. Qua de causa Leo IV omnibus parochis mandat, ut suis parochianis insinuent symbolum Apostolorum cum oratione Dominica, quod ijsdem verbis statuitur in concilio Bambergensi. Coyacense presbyteris & diaconis mandat, ut hæc infantes memoriter doceant. Cum S. Lupus Senon. Episcopus die quodam Dominico peracta Missa ad nobilem quemdam invitatus equitaret, in via sonum percepit in aëre. Cùm subsisteret, auscultaret, & vultum in cœlum converteret, intellexit esse choros Angelorum cantantium *orationem Dominicam*. Quod autem rursus ad symbolum, pertinet ait, S. Ambrosius, symbolum ait, debemus specialiter tamquam nostri signaculum cordis antelucanis horis quotidie recensere, quo etiam cum horremus aliquid animo recurrendum est.

S. Aug. ep. 121. & concil. Tolet. IV. A. D. 633. can. 6. Can. 7.

Leo IV. hom. de cura pastor

Bamberg. A. D. 1011

Coyac. A. D. 1050.

Surius vitâ S. Lupi 1. Sept.

S. Ambr. l. 3 Virg.

Psalmi, hymni, & cantica de Christo primorum fidelium exercitia teste Eusebio fuerunt. De psalmis patet ex omni historia. Non licebat cuiquam, ait S. Hieron. ignorare psalmos. Et S. Athan. *Psalterium habe, & psalmos disce. Sol oriens in manibus tuis librum aspiciat.* Et concilium Nicænum: Ut monasteria non relinquantur sine sororibus, inter quas erunt mulieres viduæ, quæ maritos habuerint, & constituetur eis diligens & probus magister, qui doceat eas legere librum psalmorum, donec bene didicerint, & discant memoriter psalmos præsertim Diaconissæ. De S. Wilibaldo puero legimus, quod in monasterio Walthaim sub Abbate Ekbaldo psalterium memoriter didicerit. Hæc prima magistrorum olim in scholis monasteriorum cura fuit. S. Brachio, ut ad S. Æmilianum in silvis venit, eiq; adhæsit, triennium cum eo moratus est, dum psalterium memoriæ commendaret. Theodorus Archiman-

Euseb. l. 5. hist. c. 28.

S. Hieron. ep. 27.

S. Athan. de Virg.

Nicæn. concil can. 74.

Phil. episc. vitâ c. 4. & 5.

S. Greg. Turon. vitt. PP, c. 6.

In concil. Nicæn. II. in subscript.

Digitized by Google

chos recitanda, Hæ olim fuerunt contributiones ſtatus Eccleſiaſtici ſuis regibus, quæ noſtra ætate niſi aureæ ſint, nullæ ſunt.

Pro perſolvendis horis canonicis per quotidianas collectas tam clerus quàm monaſticus Ordo ſuum ſemper habuit *Breviarium*, quo continetur quid quolibet die orandum ac recitandum ſit. Sed non omnium idem eſt: nam alias preces Eccleſia Romana clero, alias S. Benedictus in regula ſuis, aliàs Bruno ſuis præſcripſit monachis. Attamen hoc antiquitus in more fuit, & ſalvis feſtis adhuc eſt, ut per hebdomadem pſalterium abſolvatur. Ut nulla hora duodecim pſalmos excedat, docente Angelo, in uſu fuit ab Apoſtolorum temporibus. Sed Laudes à nocturnis ſeiungendæ ſunt, hoc eſt, ut ſtylo loquar antiquo, matutinum à vigilijs. Excipiendus eſt etiam dies Dominicus, qui pſalmos habet pro nocturnis octodecim, quod tolerabile eſt ſi recordaris veteres totam noctem in precibus conſumpſiſſe. De numero pſalmorum Caſſianus memorat dicens: Ea tempeſtate cum Eccleſiæ primitivæ perfectio penes ſucceſſores ſuos adhuc recenti memoria inviolata duraret, fervenſque paucorum fides nedum in multitudinem diſperſa tepuiſſet, venerabiles patres pervigili cura poſteris conſulentes, quinam modus quotidiano cultui per univerſum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conveniunt, ut hæreditatem pietatis ac pacis etiam ſucceſſoribus ſuis abſolutam ab omni diſſenſionis lite tranſmitterent: verentes ſcilicet nequa in quotidianis ſolemnitatibus inter viros eiuſdem culturæ conſortes diſſonantia, vel varietas exorta, quandoq; in poſterum erroris vel æmulationis, ſeu ſchiſmatum noxiũ germen emitteret. Cumq; pro ſuo vnuſquiſq; fervore infirmitatis immemor alienæ id ſtatui debere cenſeret, quod contemplatione fidei ac roboris ſui facillimum iudicabat, parum diſcutiens, quid generaliter plenitudini fratrum poſſibile eſſet, in qua neceſſe eſt infirmorum quoq; partem maximam reperiri, diverſoq; modo enormem pſalmorum numerum inſtituere pro animi ſui virtute certarent, & alij quinquagenos, alij ſexagenos pſalmos, nonnulli verò ne hoc quidem numero contenti excedi eum debere cenſerent, eſſetq; inter eos pro religionis regula piæ contentionis ſancta diverſitas, ita ut tempus ſolemnitatis Ueſpertinæ ſacratiſſimæ ſuccederet quæſtioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium pſalmos cantaturus exurgit. Cumq; ſeden-

Caſſian. l 2. inſtit. c. 5.

hic poſtquam murmuratione novi huius oneris ſuos ab hoc cultu retraxiſſet, mox adverſus monaſterium tot undiq; hoſtium deprædationes, rapinæ, incendia, cædeſq; divinitus excitatæ ſunt, ut nec auctoritas imperialis à monachis implorata his malis curandis ſuffecerit. Itaq; cauſa tandem calamitatum B. Petro Damiani monente cognita, ſtatim ac de culpa pœnitentiam peregerunt, ſolitaſq; B. Virginis laudes reſumpſerunt, ab omnibus eiuſmodi malis liberati ſunt. Petr. Damian epiſt. ad fratres in eremo.

Officium pro defunctis B. MARIÆ virginis antiquitus eſt: cum ante annos octingentos Aquiſgrani ſtatutum ſit ſpeciales pſalmos abſq; *Gloria & Invitatorio* in eo recitandos. Confraternitates pro defunctis inter Monaſteria ſumpſerunt initiũ in Bavaria A. D. 772. in concilio Dingolfingenſi. ubi tredecim Abbates & ſex Epiſcopi cum clero & monachis fœdus inierunt, ut quiſquis horum obierit, ſuperſtites pro eius anima ſive in cœnobio, ſive in domo Epiſcopali centum miſſas ſpeciales cum totidem pſalterijs cantare facerent. Pium opum mox æmulatores nactum eſt: ſiquidem A. D. 859. in concilio Tullenſi ſimile fœdus inter ſe contraxerunt Epiſcopi & Abbates, ut certas preces pro confœderatis defunctis recitarent. Litteræ & inſtrumenta quibus defunctus viventibus fratribus annuntiatur antiquiſſimo nomine vocantur *Rotulæ*, ſicut in vita Joannis Gualberti reperies, qui obijt A. D. 1073. ut intelligas hanc laudabilem fraternitatem mox in plura regna commigraſſe. Quamvis & hæc pietas exhibeatur fratribus defunctis in ſuo cuiq; cœnobio, ut tantumdem cibi & potus per menſem præbeatur pauperi, quantum antea præbebatur viventi, id quod iam in concilio Trecenſi A.D. 1127. vel 1128. regulæ Templariorum inſertum eſt. A. D. 817 c. 50. & 66. Reg. Templar c. 3.

Sed de antiquitate Breviarij ſat dictum. Vin' puſillum audire de nobilitate? Si quæ de præſtantia dixi horarum canonicarũ jam exciderunt, veniat in mentem S. Felicis eremitæ Breviarium. Hoc in mare delapſum diu natavit in undis, ſed meritis & precibus ſancti viri ſtupidum elementum cognovit ejus dignitatem, nec madefecit, timens ne vel ſyllabam in eo corrumperet. Sed quia ſincerus es dic obſecro te cur rides? Eiuſmodi Thaumaturgos, inquis, multo plures novi, quorum Breviaria hem quoties natant in vino, & quod plus eſt ſine meritis & precibus non modò non corrumpuntur, ſed nec pulvis abluitur. l. 3. vitt. PP. Ovid. in eius vita.

dicium. Versipellis spiritus sciens collectas religiosorū Deo esse gratissimas omnia tentat, ut eas odiosas per nostram negligentiā ante Deum efficiat. Hinc unum à choro penitus detinet, alterum elicit, tertium serius adire facit. In choro hunc reddit distractum, illum inertem, alium properantem, multisq; in his omnibus defectibus suggerit impeccantiam, quidquid contrà latret & mordeat conscientia. Sic nempe est versutus ad omnia, versatus in omnibus. Veniebat ex his maleferiatis nebulonibus unus ad S. Macarium dicens, Surge Abba, eamus ad collectam nocturnam. Cui S. Abbas: O mendax & veritatis inimice, quid tibi consortij, quid societatis est cum collectis, & congregatione sanctorum! At ille: Latet te ergo Macari, quod sine nobis nulla collecta agitur? Veni & videbis. Tunc ille: Imperet tibi Dominus. Et conversus ad orationem petijt à Domino ostendere rei veritatem. Itaq; abijt, & ecce vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos Æthiopas discurrere huc atq; illuc, & velut volitando deferri. Moris est autem inibi sedentibus cunctis ab uno dici psalmum, ceteris vel audientibus, vel respondentibus. Discurrentes ergo illi Æthiopes parvuli singulis quibusq; sedentibus alludebant, & si cui digitulis duobus oculos compressissent, statim dormitabat: si cui verò in os immersissent digitum, oscitare cum faciebant: Ubi verò post psalmum ad orandum se proiecissent fratres, percurrebant nihilominus singulos, & ante alium iacentem in oratione quasi mulierum specie ferebantur, ante alium quasi ædificantes atq; portantes aliquid, ac diversa quæq; agentes apparebant. Et quæcumq; dæmones quasi ludendo formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant, ut postea singulorum relatione monstratum est. A nonnullis tamen ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi vi quadam repulsi præcipites deijciebantur, ita ut nec stare quidem prorsus, aut transire iuxta eos auderent: alijs verò etiam infirmis fratribus supra cervices & dorsa ludebant; quia non erant in oratione sua intenti. Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 29.

En mi Josippe petulantem invidiam hostis generis & orationis nostræ. S. Hilarionem ut ab intentione sua & attentione dæmones abstraherent, spectaculū pugnantium gladiatorum præbuerunt, sic ut unus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens sepulturam rogaverit. Coram S. Pachomio multi convenientes in unum arboris folium magnis funibus colligare vi- S. Hieron. in vita c. 4. In vita c. 17.

 debantur

debantur, & summo conamine trahere dextra lævaq; ductis ordinibus, ac se se mutuò cohortantes sic insistere nitebantur, ac magni lapidis moverent pondus immensum. F. Vitus Hyrmiensis laicus frater inter Capucinos admodum perfectus dum in Agriciensi conventu pomeridiano tempore cum novitijs communi orationi in Ecclesia incumbit, vidit per eandem Ecclesiã satanam incedere scabellulis ac pulvillis onustissimum. Quem cum rogaret, quid ea sibi vellent, audivit: Misereor novitiorum, qui cum defatigati ad orationem accesserint, sibi quærunt talos ad sedendum, ac sedes adcubitos apponendos. Ut ergo mollius orarent, hæc quæ vides, eis apportare volui.

Bover. A. D. 1532.

Novit nos ridere satan, donec prosternat, quomodocumq; tandem surgamus. F. Cyprianus graves in altera vita dedit pœnas, quod in templo orans plus dormitaverit, quàm vigilaverit absq; respectu præsentis Ven. Eucharistiæ; & tamen preces erant liberæ. Quid si suum Breviarium ita recitasset?

Idem. A. D. 1584.

Aliquibus suadet, ut serius ad chorum accedant. Pessimum hoc religionis indicium est. Bartholomæus ex Episcopo Laudunẽsi Fusinacensis monachus cum inter clericos aliquando sederet ad collationem fratrum, aspexit quemdam monachũ serius adventantem, nigrumq; parvulum iuxta eum gradientem, atq; per cucullam tenentem. Quod cum Abbati retulisset, intellexit haud esse mirum hunc fratrem à dæmone regi ac duci, cùm sit vitæ admodum negligentis. Iuxta regulam S. Pachomij serius ad synaxes accedens præter publicam increpationem debebat stare in loco convivij, seu cella vescentium per diem. S. Basilius non alacriter ad psallendum adeuntem, aut corrigi jubet aut abijci. Secundum Cassianum si quis fratrum ad diurnas preces ante primum psalmum finitum, & ad nocturnas ante secundum non accessisset, debebat foris stare usq; ad finem, & exeuntibus alijs culpam, submissa in terram pœnitentia, vel causam tarditatis exponere. Deniq; censurâ S. Benedicti serius veniens ad vigilias, vel ultimus stet, vel in loco separato ad hoc constituto, ut erubescat. Ultimus quoq; stet, qui ad diurnum officium tardius venerit.

Robert. de monte in chrõ A. D. 1150.

S. Basil. reg. brev. n. 281. Cassian. l. 3. instit. c. 7.

S. Bened. reg. c. 43.

Nonnullos instigat, ut ante finem orationis discedant. Quot genera quæruntur hîc vanarum causarum? *Ne discedas* inquit S. Basilius, *ante finem orationis umquam, reputans discessum talem gravem jacturam. Si enim carnem tuam pascens à mensa facilè*

S. Basil. hom. de abdic. rer.

Digitized by Google

ſa facilè non recedis priuſquam ſatur es, quanto magis nutrimento ſpiritus ad finem uſq; inverſandum. Recordaris utiq; illius monachi apud S. Gregorium, qui cum ex Oratorio ſuo praviſſimo more ante Miſſam, ſeu finem egrederetur, à S. Benedicto viſus eſt per fimbriam à nigro puerulo extrahi. Correctus eſt frater hic, poſtquam eum S. Pater ſua virga paſtorali percuſſit, ſed utinam pluribus hæc gratia contingeret. Frater quidam erat in Carthuſia Londonienſi nomine Georgius. Huic cuncta in cœnobio erant nimis oneroſa. Unde ſemel tœdio victus à divino veſperarum officio receſſit deambulatum, ut ſolebat, in Capitulo. Vix pedem intulit, & imago Chriſti in crucem fixi ob ingredientium oculos collocata, averſa facie dorſum faſtidienti monacho præbuit. Quo viſo miſer è veſtigio amens efficitur, cadenſq; in deſperationem per medium annum ſic permanſit. Quo elapſo fratrum precibus ſibi quidem reſtitutus eſt, ſed nulla vitæ inertiſſimæ ſubſecuta eſt emendatio. Quippe eo uſq; proceſſit hominis malitia, ut ex ſententia generalis capituli ab Ordine proijceretur. S. Greg l. 2. dial. c. 4. Hiſtor. martt. Angl. c. 8.

Verè magna impudentia eſt colloquium cum divina majeſtate cœptum temerè interrumpere. Nec quiſquam perſonam Judæ proditoris de cœna Dominica immaturius exeuntis melius repræſentat, quàm is qui ante tempus à collectis diſcedit. Totum hoc opus à ſatana eſt, cuius vires noſtris defectibus creſcunt. Coloniæ ad S. Cæciliæ monaſterium ſanctimonialis erat annis juvenis, virtutibus adulta. Hæc immatura morte præventa trahebat ægrè animam, quando ceteræ citabantur ad Lucernarium. Vix dum cœptus erat alter pſalmus, & ſono campanæ ſorores ex more vocantur ad morientem. Ergò relicto Completorio certatim omnes convolant ad noſocomiū. Nondum ad lectulum ægrotæ pervenerant, & infirma derepentè quaſi ſana & inſana de grabato exilire, in ſinum Abbatiſſæ confugere, & opem miſerabiliter implorare. Intrarunt, inquit, unà cum ſororibus quamplures dæmones, & me ſecum moliuntur rapere ad infernum. Cui cum abbatiſſa dixiſſet, ſanctè & laudabiliter vixiſti filia, non eſt quod timeas, ſubiecit illa: Non in me mater, ſed in ſororibus culpa eſt, quæ cum nunc DEI laudes abſolvere debuiſſent, illis imperfectè relictis properarunt ad me, ex quo mali genij nacti ſunt locum pariter huc ingrediendi, ac me vexandi. Quod ubi audierunt illæ, incun- Ioan. 13. Surius vita S. Annon. l. 1. c. 36.

Digitized by Google

stanter ad chorum redierunt: ægra verò ut se ad lectum recollegit, placidissimè defuncta est.

S. Hieron. in reg. S. Pach.

Ex regula S. Pachomij sine licentia nullus audebat exire de choro. Qua lege blandiri sibi fortè possunt Superiores ipsi, qui cum non habeant, à quo licentiam petant, pro voto intrant & exeunt. Quorum causæ supremo tribunali reservantur. Interim audiant: Cosmas à Martino magister erat novitiorum inter Capucinos. Hic ut defunctus est P. Vincentio Andriensi apparuit. Rogatus qui se haberet in altero mundo, respondit: Propter quædam venialia in purgatorio detineor: eorum maximum DEUS iudicavit, quod sub horis canonicis subinde choro egressus sum, ut fratrum laborantium opera inspicerem. Ita nec bonus prætextus absq; culpa est, dum à choro abstrahit.

Bover. A. D. 1592.

Quod nunc judicium manebit eos, qui se à choro vel nulla, vel levi ex causa penitus subtrahunt, quibus sua mala B. Ephraim prolixè commemorat? S. Basilius à choro sine causa absentes jubet per duas hebdomades ab alijs seiungi, hoc est includi, ut pedes eorum quiescant. Gravis pœnitentia in nostro, sed in foro DEI levis est. DEUS enim longè severius hanc ignaviam vlciscitur; quoniam negligentes odit. Dicam rem mirandam, ait S. Dorotheus, quam à sene audivi. Qui cum nocte quadam in Ecclesia excubaret, in principio psalmodiæ vidit quemdam è sacrario egredi cum veste splendida habentem in manu caliculum cum sacrificio & hostia, quam pergens intingebat in calicem, eoq; perambulans fratres omnes obsignabat. Eorum verò qui ad vigilias non surrexerant loca & sedes nunc tangebat, nunc transibat: id quod etiam ad finem precum rursum exeundo de sacrario faciebat. Quod cum admodum admiraretur senex, procidit ad pedes circumeuntis flagitans expositionem mysterij. Cui is: Angelus DEI sum, ad hoc missus, ut benedicerem ac signarem eos, qui sedulò atq; impigrè ad initium psalmodiæ veniunt, & ad finem usq; perseverant. Et senex: Cur absentium quorumdam sedes obsignasti? Illorum, inquit Angelus, sedes signavi, qui ad vigilias promptissimè occurrissent, nisi eos necessitas, obedientia, benedictio vel imperium Abbatis excusasset, ac dormire fecisset. Æquum est enim, ut bonum saltem propositum & voluntas ita remuneretur. Illi verò qui psalmodiæ interesse potuissent, sed inertia torpe-

S. Ephraim in vita S. Iulian. fol. 762.
S. Basil. fin. reg. brev.

S. Doroth. doct. 11.

scere

ſcere maluerunt, indigni à Deo ſunt habiti, quorum ſedes benedicerentur. Ergo pertranſij. Quàm ſanctè proinde B. Theodora in extremis mandavit. *Conſuetas preces nec umquam negligito. Inſtatis monachorum Horis, ſcilicet, Matutina, Tertia, Sexta, Nona, ac Veſpertina ſedulus eſto.* Magna pars ſalutis in hoc eſt. Surius in vita 11. Sept.

In Catalogo regularium pœnitentiarum apud Pachomianos muſſitans, garriens, ridens, ſub pſalmis, oratione, lectione debebat ſolvere cingulum, & inclinata cervice, manibus ad inferiora depreſſis ſtare ante altare, veniam poſtulare, ac promittere emendationem, ſuſtinereq; increpationem à Præpoſito. Dormiens ſub diſputatione confeſtim jubebatur ſtare tamdiu, quamdiu Præſidi placuiſſet. Climacus ait: Ad orationem plerumq; ſtantibus nobis animadvertit pater ſanctus quoſdam invicem colloquentes, quos ante fores Eccleſiæ ſtatuit, jubens ut per ſeptem dies cunctis intrantibus proſternerentur ſive clerici ſive presbyteri fuiſſent. S. Benedictus deniq; præcipit, ut errantes in choro coram omnibus ſe humilient: infantes autem vapulent. Climac. grad. 4. S. Bened. reg. c. 44.

Diſſolutorum oratio horret fœtetq; coram Deo. Juſtinus beatæ memoriæ Capucinus aliquando raptus in extaſin, pervenit in ſpiritu ad Eccleſiam cum religioſi matutinum officium peragerent. Speravit bonus pater auditurum ſe concentum Angelorum, ſed ecce nihil percipere aliud potuit, quàm horrendos latratus canum, grunnitus porcorum, mugitus boum, & verba blaſphemiæ. Territus hoc tam monſtruoſo matutino ſupplex à Deo poſcit, quid hoc ſibi velit? Et vox ad eum: Illorum religioſorum preces, qui diſſolutè vivunt, regulam negligunt, alioſq; rectè viventes impediunt, nihil aliud eſſe, quàm blaſphemias ac voces belluarum. Bover. A. D. 1547.

Quid ad hoc cogitas? non expaveſcis? Cenſeo hanc Dei ſententiam non modò religioſos, ſed & malos clericos & laicos tangere. Quoties ingemui & flevi dum oranti & ſacrificanti mihi intus dici putabam, id quod de ſacrificijs & oblationibus Iudæorum olim per Deum dictum eſt: Qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quaſi qui ſuillum ſanguinem offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Iniqui ſunt cœtus veſtri; calendas veſtras & ſabbatum, & ſolemnitates Iſaiæ c. 66. Idem c. 1.

mnitates


mnitates odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini.

Finirem epistolam, nisi dicendum superesset canonicas preces suas statas temporum horas habere, vnde & dicuntur *Prima, Tertia, Sexta* &c. quòd his horis ab ortu solis recitari debeant. Boni religiosi & clerici circa hoc non insolliciti sunt. S. Sabbas cum in causa Ecclesiæ esset apud Imperatorem Justinianum cum ipso consultans, audivit fortè horologium enuntiare horam tertiam. Momento ergo surrexit, ac relicto Augusto recitavit statutas pro ea hora preces. Discipulo autem suggerente, Imperator, pater de te tam sollicitus, & tu tam inurbanè eum deseris? Cui Sabbas, non mirum est fili. Imperator facit quod debet: ergo imitemur illum. Quare cum hac hora sit tempus apud nos orandi, faciamus ipsi quoq; quod debemus. Atq; hanc diligentiam DEO placere exemplum S. Hugonis Lincolniensis ostendit. Hic cum multis aliquando Prælatis ac clericis in itinere constitutus, manè rogatus fuit, ut se citius expediret, matutinasq; preces ad proximum hospitium differret: latrones enim, si moras necterent, viam reddituros intutam. At vir sanctus cum consuesset horas canonicas constitutis horis recitare, differre tamdiu officinm matutinum noluit. Eant, inquit, qui velint: ego ante matutini pensum non me moveo. Quidquid inde accidat, DEI voluntas fiat. Res mira: Quotquot ante dictas preces iverunt, inciderunt in latrones. Solus Hugo post preces se DEO committens evasit incolumis. Legerat nempe S. Basilij regulas, ubi præcipitur, ut nec manus moveatur prius, quàm absolvatur synaxis seu oratio canonica.

Surius in vita 5. Decembr.

Surius in vita 17. Nov.

S. Basil. sup. reg. 37.



EPIST

Digitized by Google

EPISTOLA LXXII.

De Cantu.



Ihil eſt tam ſanctum quod maleferiati hæretici non conſpurcent. Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus quid in Eccleſia antiquius, ſanctius, dulcius? Et tamen Henriciani hæretici dicebant *Deum cantibus Eccleſiaſticis irrideri.* Jubet Apoſtolus ut noſmetipſos doceamus & commoneamus in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus noſtris DEO, ſcilicet ut ipſum irrideamus. Ab exordio Eccleſiæ fideles habuerunt hymnos, & cantica ſpiritalia, quæ non in ædibus privatis ſolùm, ſed & in Eccleſijs populus cum clero cantabat teſte S. Hieronymo, quod pòſt in concilio Laodicenſi abrogatum eſt ſanctione facta, ut de cetero ſolus clerus cum cantoribus tacente plebe cantaret, ne ſcilicet imperitia vulgi ſuavitas cantus diſturbaretur.

Henric. Spōd. A. D. 1147. n. 8.
Coloſſ. 3.
Euſeb. l. 5. hiſt. c. 28.
S. Chryſoſt. hom. pſal. 41.
S. Hieron. præfat. ep. ad Galat l. 2
Conc. Laodic. c. 15.

Quemadmodum ergo cantus Eccleſiaſticus in veteri teſtamento cœpit apud Levitas, ſic apud eoſdem manſit in novo. Monachis tamen ſua jura ſervata ſunt, ut in ſuis cœnobijs, oratorijs ac ſynaxibus quotidianos pſalmos & hymnos decantarēt, id quod apud Eſſenos in more erat, quos alternatim DEO laudes ceciniſſe, additis etiam modulis ac religioſis geſtibus, ut drama non ſimplex cantus eſſet Philo commemorat. Non replico quæ antehac tibi dixi de cantu clericorum & monachorū. Inſpice SS. Patres, & ubiq; cantum reperies. De cœnobitis S. Hieronymus ait: *Poſt horam Nonam in commune concurritur, pſalmi reſonant.* Hoc ubiq; locorum fiebat. S Auguſtinus quantum ex cantu cleri Mediolanenſis compunctus fuerit, dicam inferius. Anno Chriſti 772 electus eſt Adrianus I. Hic ubi reperit monaſterium Honorij Papæ in nimiam deſolationem per quamdam negligentiam venire, divina inſpiratione motus noviter ædificavit, atq; ditavit, & Abbatem cum ceteris monachis regulariter ibidem vitam degentes ordinavit, & conſtituit eos, ut in Baſilica Salvatoris, quæ & Conſtantiniana dicta eſt, iuxta Patriarchium Lateranenſe poſita officia celebrarent, hoc eſt, Matutinam horam, Primam, Tertiam, Sextam, ſed & Nonam, etiam & Veſpertinam ab vno choro quidem (qui du-

Philo. de vita contempl.
S. Hier. ep. 22
Anaſtaſ. Bibliot. in Adrian.

dum singulariter in utroq; psallebant) monachi ex monasterio S. Pancratij ibidem positi, & ab altero choro iam fati monasterij S. Andreæ & Bartholomæi Honorij Papæ, quatenus pijs laudibus pariter psallentes hymniferis choris læti resonarent cantus reddentes Domino gloriosum melos. Paulus I. fugientibus ex Græcia propter persecutionem Copronymi monachis Romæ congregationem construxit, quam Græcæ modulationis psalmodiæ cœnobium esse decrevit. Deniq; in Ecclesia Africana nisi cantus fuisset, S. Augustinus non carpisset eos, qui de protractiori cantu in Ecclesia murmurant.

Idem in Paulo I.

S. Aug. serm. 251. de Tempor.

1. Cor. 14.

Et licet feminis ex Apostolo Paulo in sacris ædibus silentium imponatur, qua de causa etiam cantare in Ecclesia prohibitæ olim sunt in synodo Antiochena: feminæ tamen sanctimoniales non minus ac monachi in suis choris & oratorijs cantare semper consueverunt. *Post Alleluia cantatum,* inquit S. Hieronymus, *nulli resilire licitum erat, sed prima, seu inter primas veniens ad collectam ceterarum operiebatur adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore. Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant.*

Apud Euseb. l. 7. hist. c. 24

S. Hier. ep. 27.

Atq; hac de causa solliciti maiores nostri ut cantus in Ecclesijs rectè & ordine perageretur tam diurnus, quàm nocturnus in suis collegijs scholas instituerunt, in quibus musica & cantus studiosè disceretur. Unde adhuc in Ecclesijs cathedralibus durat officium cantoris, cuius quondam erat juventutem in cantu instruere, cantumq; in Ecclesia regere, quem Beda *Archicantorem* Ecclesiæ appellat. Sic Trithemius quoq; probat monachos olim in cœnobijs docuisse musicam. Refertq; Anastasius Sergium II. ad Leonem III. etiamnum puerulum adductum, ab eo traditum esse in scholam cantorum, ut ibidem & in communibus litteris, & in cantu erudiretur. Deniq; in concilio Valentino decernitur ut *scholæ divinæ & humanæ litteraturæ, nec non & Ecclesiasticæ cantillenæ diu neglectæ iterum erigantur.* Talis scholarcha fuit sub Paulo Papa Pipini temporibus Georgius monachus, & post eum Simeon, in quorum schola alij deinde monachi eruditi cantum in Romana & Gallicana Ecclesia sub eodem Pontifice strenuè reformarunt.

V. Beda l. 4. hist. Anglic. c. 18.

Trithem. l. 2. de viris illustr c. 6.

A. D. 855. c. 18.

Paul. Pont ep. 43. apud Gretser.

Cum autem sit angelicum negotium Deo laudes cantare, nescio quo spiritu ducantur ij, qui in choro vel non cantant omnino,

omnino, vel ſolum muſſitant, vel cantum diſcere nolunt contra omnem religioſam antiquitatem. Socrates fidibus per ocium canere diſcens aliquando dixit: *Minimè improbum aut pudendum eſſe, quod quiſq; neſciat diſcere.* S. Wilibaldus cantu eccleſiaſtico ſu ra modum uſque ad effuſionem lacrymarum delectabatur. Mens S. Auguſtini quantopere elevabatur ex cantu in Eccleſia! *Quantum flevi,* inquit, *in hymnis & canticis tuis ſuaveſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Laërt l. 2. vitt Phil. in Socrate. In eius vita c. 5. apud Gretſer. S. Aug. l. 9. Conf. c. 6.

Ioſippe, ſi modi muſici ad pietatem rectè componuntur, incredibile eſt quantum valeant ad erigendum animum. *Excantant*, ait Philo, *paſſiones animi, & affectus componunt immodicos: excitantq;* ſecundum Iuſtinum martyrem *cum voluptate quadam animum, & flagrans ad eius quod canitur deſiderium.* Hinc ſancta antiquitas omni in id ſtudio incubuit, ut à cantu propulſaretur omnis levitas & immodeſtia, & quod piæ devotioni damnum inferre poteſt, ut ſunt molles fractique vocum inflexus etiam à Gentilibus damnati, cum nihil quàm curioſitatem alant, & auditorem magis ad ipſum cantum, quàm ad rem quæ canitur noxia delectatione trahant. *In ſonis,* inquit S. Auguſtinus, *quos animant eloquia tua, cum ſuavi & artificioſa voce cantantur, fateor aliquantulum acquieſco; non quidem ut hæream, ſed ut ſurgam cum volo: nam cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccaſſe confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Phil. de vict. offer. S. Iuſtin. q. 107. Spondan. A. D. 60. n. 13. S. Aug. l. 10 Conf. c. 33

Sit ergo cantus ſuavis, ſit & gravis, atque artificioſus. *Cantus*, ait S. Bernardus, *plenus ſit gravitate, nec laſciviam reſonet, nec ruſticitatem. Sic ſuavis, ut non ſit levis. Sic mulceat aures, ut moveat corda. Triſtitiam levet, iram mitiget, ſenſum litteræ non evacuet, ſed fœcundet. Non eſt levis iactura gratiæ ſpiritalis levitate cantus abduci à ſenſuum utilitate, & plus ſinuandis intendere vocibus, quàm inſinuandis rebus.* Concilium oecumen. VI. de hoc ita ſancivit. *Eos,* inquit, *qui in Eccleſiis ad pſallendum adſunt, volumus ne utantur inordinatis clamoribus, aut naturam ad clamorem urgeant, aliquidve eorum, quod eccleſiaſticæ ſanctitati inconveniens & inconſuetum eſt, adſciſcant; ſed cum multa attentione & compunctione pſalmodias Deo, qui eſt oc-* S. Bern. ep. 312. Can. 75.

Digitized by Google

cultorum inspector, offerant: pios enim ac devotos esse præcepit sacra pagina filijs Israel. Et Concilium Aquisgran. *Psalmi non excelsis vocibus, sed planè ac dilucidè cantentur. Qui cantare nesciunt, dum discunt, in choro taceant.* S. Anselmus Lucensis durus fuit in eos, qui non cautè ac meditatim cantassent. Regula S. Augustini est: *Psalmis & hymnis cum oratis Deum hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum.* Quibus verbis expungit cantus hæreticorum sui temporis plurimorum, qui sub melle musicæ plebi instillabant virus pestilentiæ, quales fuerunt Ariani teste S. Athanasio, & Socrate; Meletiani ex Theodoreto; Donatistæ S. Augustini relatione; Appollinaristæ, quorum cantica viri inter labores & pocula; feminæ verò ad colum personabant, ut Sozomenus in historia commemorat.

A. D. 816. c. 137.

In eius vita

S. Athan. orat 2. contr. Ariã Socrat. l. 6. hist. c. 8. Theodor. l. 4. hæret. fab. S. Aug. ep. 119. Sozom. l. 6. hist. c. 24.

Quamvis ijsdem S. Patris verbis possit etiam intelligi exclusa particularis devotio & neglectus legum generalium, quæ sæpe fit ut cantetur quod rubricæ dicunt non esse cantandum. In eo qui ad chorum deputatus est, nihil est turpius, quàm ignorare leges chori, aut singularitatem velle inducere. Quocirca pridem in Concilio Tolet. IV. statutum est, *ut per omnem Hispaniam aut Galliciam unus esset ordo orandi, & psallendi; unus modus in missarum solemnitatibus, unus in vespertinis officijs.* Et in Bravarensi: *Placuit omnibus communi consensu, ut unus atq; idem psallendi ordo in matutinis & vespertinis officijs teneatur, & non diversæ ac privatæ: neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtæ.* Quo vides suos mores monachis semper fuisse permissos, etsi in aliquibus à regulis clericorum dissenserint. At dum nec hi, nec illi orant aut cantant, nisi quod auctoritate Ecclesiæ legunt esse cantandum, non inducunt inamœnam difformitatem, verùm potius ornant deauratum Reginæ vestitum jucundissima varietate.

A. D. 633. can. 2.

A. D. 563. c. 19. c. placuit. dist. 12.

Psal. 44.

Nam ut & hoc noveris, in cantu, etiam quo clerici in Ecclesia utebantur antiquitus, erat aliqua diversitas. S. Athanasius, teste B. Augustino, in Ecclesia Alexandrina tam modico flexu vocis sonare fecit lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Qui modus mihi videtur similis illi, quo pleriq; monachi psallendo suas horas perficiunt, estq; medius inter cantum & simplicem pronuntiationem. In Oriente cantabatur suaviori vocum concentu, qui audientium animos

S. Aug. l. 10. Conf. c. 33.

Idem l. 9. Cõf. c. 7.

quantum-

Digitized by Google

quantumlibet triſtes mulcere poſſet. Quam formam S. Ambroſius in Eccleſiam ſuam introduxit, quæ mirificè etiàm S. Auguſtini animum permulſit. Sed in hunc concentum tot hodie irrepſerunt abuſus, ut noſtri muſici ſimiliores hiſtrionibus, quàm cantoribus eſſe videantur. Quare Romana Eccleſia mediam ſecuta viam, nec Alexandrinam ſimplicitatem, nec Orientales compoſitos numeros in omnibus amplexata, ſic temperavit utrumq;, ut miram quamdam cùm ſuavitate adiunxerit gravitatem. Hic *cantus,* quia paſſim in omni choro uſurpatur, *choralis* inde dicitur, & à Gregorio XIII. reformatore *Gregorianus.* Placuit olim & Afris hic modus, ſicut & Alexandrinus. Unde iuxta S. Auguſtinum his ſe in Eccleſijs ſuis magis accommodare voluerunt, quàm concentui Orientalium. Spondan. A. D. 60. n. 14. S. Aug. ep. 119.

Si de muſicis inſtrumentis quæris, dico quod de concentù muſico, quem *figuralem* vocant. Deme ipſis levitatem, confer gravitatem, & ea cum Clemente Alexandrino liberaliter ſuo tempore admitto. Sed vereor vt etiam Catonis imperium hoc poſſit. Quæ igitur Zizania abſq; detrimento tritici eradicare non poſſumus, judicio Domini ſinamus creſcere uſq; ad meſſem. Interea quia domus tua ſæpius frequentatur à clericis & religioſis per occaſionem inſinua ipſis canonem concilij Hiſpalēſis I. quo dicitur: *Presbyter inter epulas nec cantet nec ſaltet.* Item Carthaginienſis IV. quò *clericus inter epulas cantans jubetur acerrimè obiurgari, immò ſi perſtiterit in vitio excommunicari.* Hoc tonitru, ni fallor, terrebis ſaltem aliquos, ſi non corriges. Clem. l. Pæd. c. 4. A. D. 618. A. D. 398. can. 62.

EPISTOLA LXXIII.

De ſacra Religioſorum Communione.



S. Cypriani gnome eſt, *Mens deficit, quam non receпta Eucharistia erigit, & accendit.* Primi fideles, quorum pars ſelecta fuerunt monachi, quotidie perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, & communicatione & fractione panis & orationibus. Hæc ſancta conſuetudo in nonnullis provincijs ſat diu duravit. Cypriani temporibus Afri quotidie communicabant. *Conſiderantes milites Chriſti,* inquit, *idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* De S. Cyprian. ep. 54. Act. 2. S. Cypri. ep. 56. Idem de orat. Domin.

oratione Dominica similiter ait, Laicos in usu quotidiano habuisse SS. Eucharistiæ perceptionem *Si quotidianus est panis,* inquit S. Ambrosius, *cur post annum illum sumis? Accipe quotidie.* Permansit hæc praxis apud Africanos quosdam usq; ad S. Augustini tempora, quibus fatetur aliquos diebus singulis communicare, quod & faciendum suadet, ubi exponit sermonem Domini in monte. De Romanis S. Hieronymus ait: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper,* nempe omnibus diebus, *Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: unusquisq; enim in suo sensu abundet.* Idem de Hispania affirmat ad Lucinium Bæticum.

S. Ambr. l. 5. de Sacrament. S. Aug. ep. 18. Idem l. 2. serm Dom. in monte c. 7. S. Hier. advers. Iovin. Idem ep. 28.

Certè monachis vehementer suadet S. Apollo Abbas quotidianam communionem. *Oportet,* inquit, *si fieri potest, monachos quotidie communicare sacramentis: qui enim se ab eis procul amovet, Deus quoq; procul ab eis discedit.* Quocirca monachi S. Apollonij, qui erant plurimi, singulis diebus ad horam Nonam ante refectionem corporis communicabant, ne si longè fierent à perceptione Sacramenti, longè fierent à DEO. S. Simeon stylites dum fuit in monasterio, quotidie divinum cibum percipiebat. Idem ante nostram memoriam fecit F. Felix sanctissimæ vitæ Capucinus, qui ipsos 40 annos in sacro Ordine degens eleemosinā suis fratribus Romæ emendicatam cum omni alacritate comportare non desistebat. Eum in quotidiano usu SS. Eucharistiæ imitatus est F. Ruffinus vir summus amator religiosæ paupertatis, sic ut etiā minutissima panni segmenta ab alijs proiecta in suum usum collegerit. De me tibi reffero, qui antequam ordinarer indignus presbyter, quotidie communicare debui contra gravissimas infestationes dæmonis & maleficarum. Ex quo saltem id sum consecutus, ut animæ nocere non potuerint, quidquid corpori factum sit.

Pallad. c. 52. Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 7. Anton. in vita t. 2. Bover. A. D. 1587. Idem cit.

Cùm monachismus per S. Antonium & Pachomium in orbe magnis auctibus incresceret, quotidiana fratrum communio non amplius in usu erat. Pachomianos Sozomenus ait nonnisi primo & ultimo hebdomadis die sacrum pabulum accepisse, quod clarius exprimens Palladius dicit die sabbati & Dominico. Idipsum de monachis Palæstinæ & Mesopotamiæ tradit Cassianus. De Ponti & Cappadociæ religiosis scribit S. Basilius, *Nos,* inquit, *quater id per hebdomadem facimus, Dominico, feria quarta, sexta, & Sabbato: alijs item diebus si reccurrat festum*

Sozom. l. 3. hist. c. 13. Pallad. c. 38. Cassian. 3. instit. 2. S. Basil. ep. ad Cæsariam.

alicuius

Digitized by Google

alicuius martyris, ut adeò rectè dixerit S. Augustinus: *Multi in Oriente non quotidie communicant.* S. Aug. sup.

Qui bis aut sæpius per hebdomadem non communicabant, id ut minimum semel faciebant, aut sabbato, aut die Dominico. Esseni suas synaxes præcipuè sabbatis celebrabant. Palladius quoq; in vita S. Natanaelis oblationis sabbati meminit. Pallad. c. 18. Ægypti monachos singulis Dominicis SS. Eucharistiam percepisse docet apud Cassianum Theonas Ægyptius: id quod Cassian. collat. 27. fin. de reliquis passim omnibus narratur in vita S. Quiriaci apud Metaphrastem, & in Hellene Palladij. Pallad. c. 59. Causam reddit Abbas Pastor dicens, Pelag. lib. 18. n. 17. *Monachi propterea desiderant sabbato dominico*, hoc est, die Dominico, *venire ad fontes aquarum*, nempe ad corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI, *ut purgentur ab omni amaritudine dæmonum malignorum.*

Unde cognoscis monachos olim non in omni solemni synaxi participasse de divinis mysterijs: nam cum in toto penè Oriente solemnes collectæ celebrarentur in sabbato, multi tamen monachorum, ut vidimus communicabant solùm diebus Dominicis. Causam esse suspicor, quod ob tanti sacramenti reverentiam satis esse crediderint alterutro die accedere; vel quod sabbati solemnitas paulatim cessaverit, aut penitus observata non fuerit, sicut Socrates ait de Romanis & Alexandrinis, quod Socrat. lib. 5 hist. c. 21. ex antiqua traditione die sabbati mysteria non celebrarint. S. Basilius tamen (qui oculatus rei testis esse potuit, cum Alexan- S. Basil. sup. driæ & in Ægypto versaretur) refert, populum Alexandrinum & Ægyptios plerumq; à celebrante sacerdote Eucharistiam accepisse, domumq; portasse, seq; inde proprijs manibus communicasse divisâ in tot particulas hostiâ, quot dies interessent, dum sacerdos iterum consecraret. Id quod temporibus persecu- Baron. A. D. 57. tionum potissimum fiebat, cum non dabatur occasio sæpius in publicis conventibus esse, aut sacra mysteria celebrare. Quam consuetudinem etiam post persecutiones mansisse aliquamdiu superstitem ostendit Baronius.

Certè S. Basilius commemorat monachos per solitudines dispersos sua tempestate, ad id secum portasse Ven. Eucha- S. Basil. cit. ristiam in sua eremitoria, ut in absentia & defectu sacerdotis, aut præsente solemnitate vel periculo suis se manibus communicarent: nam etsi subinde sacerdotes ad solitarios excurrebant, Pelag. l. 5. n. 11. qui eos sacris mysterijs reficerent, id tamen semper fieri non Pallad. c. 59. poterat.

Digitized by Google

poterat. Nitrienses & Cellienses anachoretæ, quia erant numerosissimi, suos ex gremio sacerdotes habebant, qui ipsos statutis diebus communicabant. In abstrusioribus locis ubi non nisi singuli habitabant, aut admodum pauci, communio vel
Pelag. l. 7 n. 24. nulla, vel rara erat. Qua de causa legimus unum à sathana miserabiliter seductum. Itaq; si communicare volebant debebant
Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 69 quamdiu recurrere ad proximam Ecclesiam. S. Paulus eremita
In vita eius. quamdiu vixit sine sacramentorum perceptione? Maria Ægyptiaca per annos 47. nihil sumpsit de vivifico corpore & sanguine Christi. Monachi cœnobij Abbatis Zosimæ Dominicâ primâ Quadragesimæ sacro epulo pasti, deinceps manserunt in anachoresi sine perceptione sacramentorum usq; ad Dominicam Palmarum. Apud hos defectum SS. Eucharistiæ supplevit spiritus sanctus: nam novimus aliàs neglectum sacrosanctæ communionis à SS. PP. numquam fuisse probatum, & sa-
Pallad. c. 21. tanam idcirco nactum esse potestatem in feminam, quod per
In vita c. .. quinque hebdomades non communicaverit; sanumq; fuisse concilium S. Epicteti datum comiti cuidam, si velit ut nulla infirmitas, seu vexatio aliqua in ejus domo prævaleat, per singulas septimanas cum omni familia Dominica sacramenta cum devotione intima & mundo corde percipere festinet. Quid mirum ergo si mala undiq; nos comprehendant tam intra quàm extra religionem, cum non sine dedecore respectu priscorum tem-
Turon. III. c. 50. A. D. 813. porum laicis in concilio Turon. præcipi debuerit, ne per annum
Clem. ne in agro. §. sanè l. 3. tit. 10. saltē non minus quàm ter communicarent, & religiosis à Clemente Pont. menstrua communio? Veteres sibi probro duxissent non omni septimana ad mensam Domini accessisse.

Hoc autem in more erat antiquitus, ut communicantes SS. Eucharistiam de celebrante proprijs manibus, ijsdemq; in
Baron. cit. Ruffin. l. 1. c. 29. cit. formam crucis cancellatis acciperent, atq; inde ori admoverēt, cuius rei testes sunt Ruffinus, S. Ephraim & alij. Discrimen
S. Ephr. contr negant. resurr fol. 215. tamen inter utrumq; sexum erat. *Mulier*, inquit concilium
A. D. 578. Altisiodorense, *nuda manu Eucharistiam non sumat, sed qualibet*
can. 36. *Dominicale suum habeat, id est, nitidum linteamen in manibus,*
Can. 101. Ruffin. cit. c. 20. *quo Christi corpus excipiat à sacerdote.* Ex adverso reprehenduntur viri in sexta synodo œcumenica, quod sacram communionem vice manus in alio aureo, vel simili receptaculo de manu presbyteri accipiant, diciturq; corpus hominis omni auro nobilius. Itaq; viri manus nudas, feminæ tectas habebant; utri-

q; consci-

Digitized by Google

que conſcientiã nitidiſſimam. Dioſcorus Abbas apud Thebaidem centum ferè monachos ſub ſignis habebat, quos ſumma cura monebat, ne quis ſub ſacra communione haberet conſcientiam maculatam etiam per phantaſias nocturnas.

Horrendum eſt, quod A. D. 1586. contigiſſe narrat Boverius. Antonius Rheginus frater laicus officio ianitoris fungebatur in cœnobio, cum nocte intempeſta pulſatum fuit tintinnabulum, ſurgit, & ad fores properat: quibus apertis, ecce ſex adſtare videt cacodæmones melanchlenos, quorum aſpectu cum frater terreretur, unus ex eis, qui dignior videbatur ait: Noli timere: imperium DEI eſt, ut accedas Guardianum, qui quam primum unum de presbyteris huc cum ſacra ſtola mittat, & calice. Paruit oſtiarius, & paulò pòſt ſecum ſacerdotem adduxit. Ad quem ſuperior ille dæmon: Oportet, inquit, ut ſequaris. E præcedentes ſimul ex ordine omnes presbyterum venerunt ad ſepulcrum extra Eccleſiam; in quo pridianus defunctus jacebat. Cuius cadaver orci veſpillones raptim exhumarunt, & ut eius os aparuerunt, mandarunt ſacerdoti calicem ſupponere. Quo facto unus de mortui occiput valido pugno cæcidit, & (ô res mira!) ad ictum illicò ſacra hoſtia, quam ante mortem indignè ſumpſerat, in calicem decidit. Quam pater ad Eccleſiam, dæmones autem cadaver è loco ſacro aſportarunt.

Monet me hæc hiſtoria, ut ex conſtitutionibus Ioannis Legati Apoſtolici in noſtris provincijs tibi dicam, quo ritu Venerab. Sacramentum per plateas ad ægrotos portandum ſit. Præcedat, inquit, clericus cum tintinnabulo & lumine, qui obviantes moneat, ut dum is tranſit, genuflectant & dicant ter Pater & Ave, atq; inde habeant decem dierum indulgentias. Cap. 8.

Clauderem epiſtolam, niſi obſtaret proiecta feminarum audacia, quæ Ludovici & Lotharij Jmpp. temporibus eò inſaniæ devenerunt, ut non ſolùm ad altare publicè miniſtrarent, & ſacra vaſa contingerent, verùm etiam ipſum corpus Chriſti & ſanguinem populis porrigerent. Sub Carolo magno abbatiſſæ lege compeſcendæ erant, quod benedictiones cum manus impoſitione & ſignaculo ſanctæ crucis ſuper capita virorum ſolerent dare; quibus Græcorum abbatiſſæ nihil cedere volentes ſuarum monialium excipiebant confeſſiones. Et quid te duco ad antiqua? Cum noſtrorum hæreticorum Prædicantiſſæ ma-

Conc. Paris A.D. 829. c. 45.


Lib. 1. leg. Franc. c. 76. Balſ. t. 1. Iuris Græcoman

ritis impeditis suorum parochianorum confessiones audiant, ut eis Gretserus ostendit. Josippe DEUS non claves Ecclesiæ, sed culinæ feminis tradidit.

Iacob. Gretser. l. 1. de Benedict. c. 8.

EPISTOLA LXXIV.

Vtrùm olim in Ecclesiis monachorum fuerint Cathedræ, Baptisteria, & Confessionalia. Et; cur & quando monachi ad curam animarum admissi fuerint?



Quamdiu clerus sufficienter ac vigilanter in opere stabat, Josippe virorum optime, tamdiu perseverabāt in laica sua, sed religiosa vocatione, monachi, dediti contemplativæ vitæ & operi manuali. Cavebatur enim omnimodis, ne ordo Ecclesiasticus vitæ monachicæ, & ecclesiasticis utilitatibus, ut S. Gregorius loquitur, Regula monachatus impediretur. Hinc in synodo Dingolfingensi, quæ civitas est Bavariæ, A. D. 772. ipsis cura parochialis adempta est, quam *neutiquam ut statui suo congruam probare potuerunt, neq; ex canonibus, neq; ex decretis Patrum, neq; ex regulari vita ipsorum.* Quocirca ab universis Abbatibus facta professio est, ut minimè titulis popularibus se ingerere vellent, plebsq; sub potestate Episcoporum secundum sanctas synodos & decreta PP. Permanerent. In Parisiensi synodo A. D. 329. similiter statuitur. *Canonica auctoritas,* inquiunt Episcopi, *docet monachos quietem debere diligere, & intentos esse tantummodo ieiunio & orationi in locis, in quibus renunciaverunt sedulò permanentes, ut nec Ecclesiasticis, nec sæcularibus communicent.* Qui canon ad verbum desumptus est ex can 4. generalis concilij Chalcedonensis.

S. Greg. l. 3. epp. 11.

cap. 46.

Aliud officium monachi, aliud clerici est: aliud suæ solius, & aliud invigilare saluti alterius; sæpeq; videmus ad se curandos optimos, ad alios verò esse ineptissimos. Qua de causa non imprudenter indignatur S. Augustinus, assumi ad clericatum monachos monasteriorum desertores, cum & facilis sit relapsus, & Ordini clericorū fiat indignissima iniuria, nisi fortè, sicut vulgares, inquit, dicunt: *Malus choraula bonus symphoniacus est:* ita ijdem de nobis iocabuntur dicentes, *Malus monachus bonus clericus est.* Nimis dolendum si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam gravi contumelia clericos

S. Aug. ep. 76

ricos dignos putemus, in quorum numero sumus, cũ aliquando etiam *bonus monachus vix bonum clericum faciat*, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Diversa proinde instructio monachi ab instructione clerici est, & una ab altera independens.

Cassian. l. 10. instit. c. 17.

Olim Patrum permanens sententia erat apud Cassianum, *Omnimodis monachum fugere debere mulieres & Episcopos*: illas, ne inquinarentur; hos ne ordinarentur. S. Pachomius hac in re cautissimus erat: Cum enim tot millia monachorum sub se haberet; non patiebatur tamen inter eos esse quemquam, qui clericatus officio fungeretur. Dicebat enim, multò melius esse atq; commodius monachis non solum nullius prorsus honoris quærere primatus & gloriæ, verùm etiam occasiones huiuscemodi de cœnobijs amputare, quoniam frequenter hinc inter fratres contentiones, & æmulationes inutiles nascerentur. Sicut enim scintilla ignis cum in messem ceciderit, non citò restinguitur, & interdum totius anni fructus exurit, ita cogitatio feralis ambitus si in mentes irrepserit monachorum, ut vel primi cupiant esse, vel clerici, nisi cito suggestionis huius ardorem de suo corde pepulerint, illicò perdent continentiam multis laboribus acquisitam.

Vita S. Pachom. c. 24.

Contra hanc ambitionem rectoris Ecclesiarum subinde vehementissimè locuti sunt. Anno Christi 418. cum Hesychius Episcopus Salonitanus eam inter monachos suæ diœcesis adverteret, rem Zosimo Papæ significavit. Qui respondit hoc vitium vulgare esse non solum Italis, sed & Hispanis, Gallis, & Afris monachis. *Monachi* inquit, *etiam inepti, & de populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia maior est, brevi tempore eò dementiæ venerunt, ut passim ad Episcopatus immaturi legibus temerariè anhelarent.*

Zosimus ep. 1. ad Hesych.

A. D. 1122. mortuo Girardo Abbate Cassinensi, electus Oderisius Romam ad Pontificem profectus est, ut consecraretur, habitusq; in concilio, quod fortè celebrabatur, tam ab ipso Papa, quàm à Cardinalibus in magna gloria. Quod videntes Episcopi inviderunt tanto honori, surgentesq; dixerunt nihil superesse aliud, nisi ut sublatis virgis & anulis servirent monachis: illos enim Ecclesias, villas, castra, decimationes, vivorum & mortuorum oblationes detinere. Conversiq; ad Papam: *Decidit*, aiebant, *pudor: canonicorum honestas oblitterata*

Conc. Rom. sub. Callixto.

est: clericorum religio corruit, dum monachi contempto cælesti desiderio jura Episcoporum insatiabiliter ambiunt, & omnes quæ sua sunt quærunt; & qui mundum cum concupiscentijs reliquerunt, his quæ mundi sunt inhiare non desinunt. Et quidem per S. Benedictum vltrò quiescendi locus offertur, ad Episcoporum iura rapienda diu noctuq; occupantur. Quàm bene ergo & humiliter S. Hieronymus. *Non ambimus*, inquit, *sacerdotium, qui latemus in cellis*; & *quorum officium* iuxta B. Bernardum, *non docere, sed lugere est.*

S. Hieron. ep. 66. S. Bern. ep 89 A. D. 1109.

Hac de causâ in concilio Pictaviensi decreto summi Pontificis statutum est, ut nullus monachorum parochiale ministerium presbyterorum baptizare, prædicare, ac pœnitentiam dare præsumat. Item in concilio generali sub Callixto: Interdicimus Abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & missas publicas cantare; Chrysma & oleum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum parochijs manent. Alexander II. ita statuit: Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi concilij monachis quamvis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, civitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omninò cessare censuimus. Sic pridem etiam S. Leo Papa I. ad Maximum Antiochenum Patriarcham scripserat monens eum sedulò cavere, ne præter DEI sacerdotes ullus sibi vendicare audeat jus docendi, prædicandiq; sive monachus, sive laicus sit, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. In quam ambitionem cum postmodum delati essent Inclusi quidam per Hispaniam, â Toletano concilio detrusi sunt in Monasteria.

c. 17. c. iuxta 16. q. 1. A. D. 454. Tolet. VII. can. 5. A. D. 646.

Ut monachi in suis cœnobijs erigerent Cathedras, Baptisteria, & Confessionalia ad curam animarum pertinentia, nemini tam adversum fuit, quàm S. Gregorio Pontifici. *Nemo potest*, inquit, *& Ecclesiasticis obsequijs deservire, & in monastica regula ordinatè persistere; ut ipse monasterij districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.* Reverà enim alia causa est monachorum, alia clericorum. *Clerici pascunt oves, ego*, inquit, S. Hieron. *pascor.* Nicænumq; concilium ab etymo probat conversationem monasticam per omnia singulariter agere debere. Qua de causa præcipit, ne monachi cuiquam pœnitentiam tribuant, nisi sibi invicem; nec quem-

S. Greg. l. 4. ep. 1. c. Nemo. 16. q. 1. S. Hieron. ep. 1. ad Heliod. c. placuit sup.

quam

Digitized by Google

quam sepeliant nisi suos. Immò S. Gregorius de monasterio S. Andreæ iussit auferri Baptisterium. Et cum pro monasterijs statuisset ad celebrandas Missas externum presbyterum ab Episcopo destinari, vix tandem concessit Victori Episcopo Panormitano, ut pro monasterio S. Hermæ presbyterum de gremio cœnobij ordinaret, qui tamen extra suum monasterium nihil sui Ordinis perageret. Quod si quid clericale agere vellet, amplius in monasterio non esset, ut ad Marinianum Episcopum scripsit. Fixum enim erat in mente huius Pontificis, monachos ex suo instituto pertinere ad claustrum, clericos ad populum; unde & Maximiano Episcopo Syracusano dixit, Ne clerici simul sint Abbates, nec abbates in monasterijs clerici in Ecclesijs. Quod omnino diu in Ecclesia observatum fuit quibusdam in locis, sicut partim constat ex epistolis Pauli I. Pont. partim ex concilio Aquisgran. quo dicitur: *Abbas, Præpositus, Decanus licet non presbyteri lectoribus benedictionem tribuant.*

S. Greg. l. 2. epp. 57. Lib. 3. ep. 18. Lib. 5. ep. 41. Lib. 7. ep. 18. Lib. 3. ep. 11. A. D. 817. c. 62.

Et forsan adhuc res in antiquis terminis esset, ut monachi cum Antonio suo, Pachomio ac Benedicto in suarum angulis cellarum latitarent, nisi eos in publicum protraxisset necessitas. Hæc potissimum in clericos totondit eos atq; ordinavit: hæc eis cathedras, infulas, & curam animarum tribuit. Quippe cum intermoriente paganismo cum tanta succresceret seges Christiani populi, nec clerus sufficeret, necesse fuit de propinquo monachismo suppetias postulare. Submurmuret licet S. Hieronymus ac dicat, *Monachum non docentis, sed plangentis habere officium.* Si id requirit salus animarum, monachus cum Joanne Baptista simul & plangere potest, & docere. Et, nisi me fallit affectus, utilius à planctu & sancta contemplatione in exedram & aram ascenditur, quàm à risu & vanitate mundi. Ordinantur hodie, qui heri magistri erant omnium levitatum in sæculo, & non potius ordinetur monachus qui in studio pietatis omnem penè vitam exegit? Tantus populus iuge poscit auxilium, clerus nec numero præstat, nec semper exemplo, an non currendum ad monasteria? S. Augustinus etsi desertores monachos nolit ordinari; in clerum tamen assumebat meliores ac probatiores monachos. Eudoxium quoq; insulæ Capraríæ Abbatem per epistolam monebat quidem ut cum suis teneret propositum, nec esset velocior ad gradus Ecclesiasticos: attamen addit, si mater Ecclesia suis fratribus indigeret, blandiente signi-

c. monachus. 16. q. 1. S. Aug. ep. 76. & ep. 81.

te ſegnitia non eſſent tardiores. Quippe de ſententia ſive Proſperi ſive Pomerij, *Belluarum eſt ſibi vivere, ne ſuas utilitates in commune conferre, ubi id requirit neceſſitas.* Laborantibus, inquit, opem ferre nolle, cum poſſis, & communi bono poſthabito ocioſa quiete frui velle nihil habet æquitatis. Et iterum: Contra iuſtitiam faciunt hi, qui merito ſuæ converſationis vel eruditionis electi, ocioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt. Et cum poſſint laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ adminiſtrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Additq;: Dignitas Eccleſiaſtica nec ambienda eſt, nec vitanda: qui verò præeſſe ac prodeſſe populis poſſunt, ſi quæſiti non fuerint, iuſtè ſeipſos percipiendæ ſapientiæ ſtudijs tradunt.

Lib. 3. vit. contempl. c. 22.

c. 28.

Talentum infodere non ſemper tutum eſt: S. Marcus eremita ait: *Satius eſt delicti cuiuſdam particularis reum fieri, quàm talenti planè abſconditi.* Multos de ſuis latebris hæc ſententia protraxit. S. Athanaſius, Baſilius, Euſebius Vercellenſis quot monachos Eccleſijs præfecerunt? S. Gregorius ipſe conceſſit Candido Epiſcopo, de ùrbe veteri, ut ſi quos in ſua diœceſi haberet monachos dignos presbyteratu, exigente Eccleſiarum neceſſitate, & conſentientibus ipſorum Abbatibus eos ordinaret. Auguſtinum quoq; & Mellitum monachos in Angliam miſit ad convertendam provinciam, quibus & ante mortem monachorum ſubſidium deſtinavit. Quod S. Fulgentius tot clericos de ſuis monachis ordinaverit fecit ex concilio Nicæno cuius canon eſt: *Epiſcopus ſi pro caſtellis, villis, ac vicis ſacerdotes habere non poſſit, accipiat bonos monachos eoſq; ordinet.* Sic etiam jubet Papa Siricius, Monachos, inquit, quos morum gravitas, & vitæ ac fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officijs aggregari & optamus, & volumus. Idem habetur in concilio Iterdenſi. De monachis hoc adijcimus, ut cum pro Eccleſiæ utilitate aliquos Epiſcopus probaverit in clericatus officio promovendos, cum abbatis voluntate debeant ordinari. Deniq; Gelaſius ad Epiſcopos Lucaniæ ait: monachos aſſumi poſſe in clerum, ſed nonniſi poſt accuratam examinationem, & eruditionem vitæ monaſterialis.

S. Marcus diſput. cum cauſidico.

S. Greg. l. 5. ep. 27.

A.D. 597.

A.D. 602.

Can. 54.

Siric. ep. ad Himer. c. 13.

A.D. 524. can 3.

Gelaſ. ep. 9.

A.D. 494.

Et eſto, neceſſitas non omnes monachos ordinarit: virtus tamen, vitæq; ſanctimonia, zelus fidei atq; animarum quot monachis contulit curam paſtoralem? Dormiente ſubinde

clero

Digitized by Google

clero quid non Zizaniorum ſuccrevit, aut ſuccreviſſet, niſi monaſticus Ordo vigilaſſet? Monachi ex Ægypto cum clerus non auderet, idola ſuſtulêre. Monachi contra Arium Ægypti populum in fide continuerunt, Syriam defenderunt, Nicæno concilio unanimiter adhæſerunt, & quantum in ipſis erat, Orientem conſervarunt. Quid non fecit Athanaſius, Baſilius, Gregorius, Flavianus, Chryſoſtomus, Epiphanius, & alij per Græciam, Orientem & Ægyptum innumeri? Monachi erant. Subintrabat Neſtorius. Quantus tum zelus monachorum! Contra Monothelitas quis potentior ac ferventior S. Maximo monacho? Iconoclaſtas quis magis fregit Theodoro ac Stephano ſanctiſſimis monachis? Lege hiſtorias Eccleſiaſticas, & ſole clarius apparebit Eccleſiam ſtetiſſe plerumq; zelo monachorum. Quid non Eccleſiæ contulit S. Benedictus? Quæ non Regna & Provinciæ monachis Epiſcopis ſuam aſſignant ſalutem? Eant per ſingula qui hæc opus ex profeſſo tractant. Orientem Brocardus curioſè peragravit. Reperit clericos præ contemptu in ocio eſſe, monachos pro merito cathedras obtinere, & ſolos agere curam animarum. Græci ad Eccleſiaſticam dignitatem neminem admittunt, niſi prius monachatu initietur. Etiam indigniſſimus Photius ut ſedem S. Jgnatij occupare laicus poſſet, primò monachus, deinde clericus per gradus conſecratus eſt. In hodiernum diem quid non debet Eccleſia clerico-monachis?

S. Aug. ſerm. 50. V. D. c. 10.

Sozom. l. 4. hiſt. c. 9. & l. 3. c. 12.

Brocard. deſcript. terræ ſanctæ.

Henric. ſpond A. D. 858.

Itaq; clericatus monachorum aut ex neceſſitate, aut ex virtute eſt. Optimi quiq; ab hac dignitate refugerunt, adeò ab ambitione alieni erant. Dracontius exquiſitæ ſanctitatis monachus cum etiam Ethnicis flagitantibus à B. Athanaſio ad Epiſcopatum parvæ Hermopolis in Ægypto invitaretur, ſuaſu monachorum fugit. Eorum opinio erat, Epiſcopatum eſſe cauſam peccandi & laxioris diſciplinæ. Verùm Athanaſius ſcandalum potius dixit eſſe in fuga ipſius, laxatamq; diſciplinam tepidæ mentis, non Epiſcopatûs eſſe. Non enim tu ſolus, aiebat, ex monachis ordinatus es: non ſolus ex monachis monaſterio præfuiſti: nec ſolus ex monachis tu dilectus es. Noſti & Serapionem monachum, & tantorum Præfectum monachorum: nec te fugit quod Apollo Pater monachorum fuerit. Noſti Agathum; Ariſtonem non ignoras: Meminiſti Ammonij in peregrinatione Serapionis comitis. Fortè inaudiſti de Mutio ſuperioris Thebaidis: de Paulo item, ſi placet, in Lato poteris cogno-

S. Athan. ep. ad Dracont.

cognoscere, sicut & de multis alijs, qui omnes ordinari se permiserunt, habentes formam Elisæum, Eliam, Apostolos & discipulos Domini qui suscepta cura sacerdotij non peiores effecti sunt, quin potius laborum suorum expectant præmium. Quot illi suo aliorumq; profectu ab idolis averterunt? quot à furiosa dæmonum consuetudine abstraxerunt? quot DEO servos conscripserunt? quibus prodigijs non paucos intuentes traxerunt in admirationem? Et sanè prodigium est puellam amplecti virginitatem, iuvenem continentiam, idololatram cultum Christi. Itaq; ne te prohibeant monachi, quasi tu solus ex ipsis ordinatus sis; nec tu ipse prætextus quæras, quasi de Episcopatu peior futurus. Sequere Paulum & melior eris: sectare facta sanctorum. Quando Elias assumptus est, nisi cum implevit prophetiam? Quando Elisæus duplum spiritum accepit, nisi cum relictis omnibus secutus est Eliam? Cur elegit Apostolos Christus, nisi ut eos mitteret prædicatum? Hæc ergo Draconti intuere, ne dicas Episcopatum causam esse peccandi aut peccati. Poteris & Episcopus esurire & sitire ut Paulus: poteris & Episcopus à vino cum Timotheo abstinere, & cum Paulo continuis te cruciare jeiuniis. Taceant ergo consiliarij tui: siquidem & Episcopos novimus jeiunantes, & monachos edentes: Novimus Episcopos abstinere à vino, monachos bibere: Novimus inquam, Episcopos facientes prodigia, monachos non item. Novimus deniq; multos Episcoporum, qui numquam matrimonia contraxerunt, cum monachorum nonnulli ante monachatum liberos procrearint. Et contrà: Vidimus clericos bibisse, monachos abstinuisse, &c. Quibus omnibus sanctus Doctor insinuat, tantum chaos monachatum inter & clericatum haud esse, quin utili connubio possint fœderari, & ex utraq; conversatione mixta fieri, quam alibi tibi mõstravi præstare vitæ soli contemplativæ, aut uni activæ.

Epist. 11. S. Athan. ep. ad solit. vit. agentes.

Atq; his argumentis Dracontio sancto persuasum est, ut caput infulæ supposuerit. Nec est deterior factus, sed prioribus meritis confessionis gloriam adiecit, ab Arianis relegatus in durissimum exilium, in solitudinem quæ circa Clysma est, ubi eum S. Hilarion honoris causa invisit. Quare nescio unde contigerit, quod S. Martinus frequenter querebatur, *Nequaquam in Episcopatu sibi eam virtutum gratiam superesse, quam prius se habuisse meminisset in monachatu.* Certè S. Gallus cœnobij Cromo-

In vita S. Hilar. Sulpit. dial. 2. c. 5 S. Greg. Turon. vitt. PP. c. 3.

Cromonēsis monachus à Spiritu sancto non utiq; ad perniciem propriam instigatus est, cum defuncto B. Quintiano Arvernensi Episcopo sponte se clero & plebi de successore sollicitus ingessit inquiens: *Quid cursitatur? quid mussitatur? Vacuum est opus vestrum. Ego ero Episcopus: hunc honorem mihi Dominus largitus est.*

Postquam monachi frequentius in clerum allegi cœperunt, contigit ut eorum multi monastici propositi prioris immemores mores induerent molliores, palliantes eos dignitate clericatûs, quod ex Severo Sulpitio tibi pridem ostendi. Quamobrem necesse fuit, ut legibus constringerentur. Hinc est illud Innocentij I. rescriptum ad Victricium Episcopum Rothomagensem, quo mandat ut monachi ad clericatum promoti à priore proposito non devient. Renovavit hoc decretum Zacharias Papa scribens ad Pipinum, Episcopos, & Abbates Galliæ. *Monachi*, inquit, *in clerum allecti pristinum vivendi modum non dimittant: non enim amittere debent, quod bonum est, etsi in gradu meliori ponantur.* In œcumenica synodo VIII. transgressor suæ professionis judicatur Episcopus ex monacho factus, si etiam pristinum habitum deponere fuerit ausus, jubeturq; aut corrigi, aut deponi. Extat etiam canon concilij generalis Lateran. sub Innocentio III. quo statuitur, ut omnes Pontifices tam in publico, quàm in Ecclesia superindumentis lineis utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem, non lineum, sed laneum iuxta Zachariam Papam dicentem: Monachi laneo indumento iuxta normam & regulam monasticæ disciplinæ, atq; traditionem sanctorum probabilium patrum sine intermissione utantur: sic enim abrenunciantes ea quæ sæculi sunt, tota se DEO intentione contulerunt, de omnibus illicitis debent abstinere, ut quantum corpore suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur: Apostolis quippe divinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit, utiq; laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto bonis actibus inhærens habebit vitam æternam. Itaq; monachi quantumvis clerici sint, nec in Ecclesia portare debent vestem lineam, si velint observare decretum Pontificale.

Innoc ep. ad victr. c. 10.

Zacch. ep. 7. vel 9. ad Pipin c. 13.

cap. 14.

A.D. 1215. 16.

Zacch. sup.

Habes ergo Josippe cur & quomodo clericatus & ministerium Ecclesiasticum ad monasticum ordinem devenerit, quo

Digitized by Google

factum est, ut hodie in plerisq; cœnobijs, si non Baptisteria, certè Cathedræ & Confessionalia sint. Immò Abbates, Priores & Decani eligi non possunt, nisi aut ordinati aut ordinandi sint, ut habes in concilio Pictaviensi, Londoniensi I. & II. ac Ravennate IV. ita mutantur omnia.

EPISTOLA LXXV.

Quanta passi sint Monachi propter zelum animarum.



Uòd monachi exigente necessitate Ecclesiæ in publicum relictis cellulis suis aut prodierint, aut protracti sint, non meretur invidiam. Neq; enim inde honorem, quietem, aut voluptates quæsierunt, aut invenerunt, sicut multi alij, qui potius se, quàm oves pascunt; sed contumeliæ, carceres, verbera, exilia, & mortes ipsorum redditus erant. Ad annales monasticos non ad epistolas familiares pertinet recensere quid quisq; ob zelum animarum sustinuerit, ergo dumtaxat generalia delibo.

Post initium tertij sæculi ex Ægypti paludibus emersit Arius, draco magnus, qui utinam nonnisi tertiam stellarum partem sua virulentissima secta post se traxisset. *Filium Dei negabat esse Patri consubstantialem.* Testantur acta diversorum conciliorum Orientis simul & Occidentis, quàm pauci Præsules Ecclesiarum saltem non claudicarint. Prô DEUM! Osius Cordubensis Episcopus, sexagenarius Antistes, centenarius senex in templo DEI stella primæ magnitudinis, in persecutione confessor, Romanæ sedis diuturnus cum summa laude Legatus, Nicæni symboli præcipuus conditor, tandem Arianis communicavit in subscriptione contra S. Athanasium. Ut sileam casum Liberij Papæ, quo minus mirum sit, si pleriq; Episcoporum succubuerunt. Quàm fœda facies Ecclesiæ erat ob suorum capitum infirmitatem! Perijsset, nisi fallor, si non monachi in tempore succurrissent. Omnes non solùm per Ægyptum, sed per Romanum Orbem, teste Sozomeno, in fide stabant inconcussi ac sinceri. *Quorum exemplum,* inquit, *non modò Alexandrini, verùm etiam tota sequebatur Ægyptus.* Et cum vix quisquam magno Athanasio tutò communicare audebat, eiq; palam adhærescere, illi penè soli habebant ipsius voces pro oraculis, & investigantibus hæreticis etiam cervices præbebant,

magni

Sirmiēse, Tyrense, Seleucian. Arimin.

Spondan. A. D. 357. Ibid.

Sozom. l. 6. hist. c. 14. & l. 3. c. 12.

Digitized by Google

magni æstimantes pro Athanasio tamquam pro Christo occumbere, & esse maximam Philosophiæ suæ partem grave propter ipsum subire discrimen, & delicijs suorum ieiuniorum, humicubationum, & aliarum mortificationum voluptates longè diviniores, & altiores rebantur esse, si quid pro Athanasio sustinerent. Horum post S. Antonium duces erant Pambo, Heraclides, uterq; Macarius, Chronius, Paphnutius, Putubastes, Arsisius, Serapion magnus, Pityrius, & Pachomius, qui in Ecclesia repræsentabant duodenarium numerum pretiosorum lapidum, ex quibus portæ cælestis Hierusalem construendæ essent, vel super quos structura muri monasticæ perfectionis foret inædificanda.

S. Greg. Naz. de S. Athanas.

Sozom. l. 3. cit.

Iam quæris, quid hi similesq; per Orbem monachi ex hac sua diligentia lucri reportaverint? Ad quod breviter respondeo: Persecutiones gravissimas passi sunt; eiecti sunt, ad metalla damnati sunt, insidias passi sunt, flagellati sunt, conculcati sunt, ad mortem usq; vincti sunt, unà cum monasterijs exusti sunt, cruciati, discerpti, feris obiecti, fœdumq; in modum trucidati sunt. Ruffinus oculatus testis de uno Lucio sedis Alexandrinæ invasore ait: Inde ad monasteria furoris sui arma convertit. Vastat eremum, & bella quiescentibus indicit. Tria millia simul, aut eò amplius, viros per totam eremum secreta & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam equitum ac peditum manum, tribunos, præpositos, & bellorum duces, tamquam adversum Barbaros, pugnatores elegit. Qui cum venissent, novam belli speciem vident, hostes suos gladijs obiectare cervices, & nihil aliud dicere, quàm *Amice ad quid venisti?* Macarius, & Jsidorus, aliusq; Macarius, atq; Heraclides, & Pambus ducebant exercitum Domini non mortalibus telis, sed fide religionis armatum exercitum moriendo viventem, & qui sanguinis sui profusione victor Christũ sequeretur ad cælum.

S. Athã. apolog. ad Constant & apol. 2. Et epist. ad solit. & ep. 2. ad Lucifer. S. Greg. Naz. orat. 21. & 25 Cassian. collat. 18. c. 7. Socrat. l. 4. c. 21. 23. 25. Sozom. l. 6. c. 19. Teodoret. l. 4. c. 19. Ruffin. l. 10. hist. Eccl. c. 2.

Quàm dira præter hos passi sunt Episcopi, quos magno numero S. Athanasius ex monachis elegerat, qualis præter Heraclidem fuit Dracontius, Serapion, Ammonius, Apollo, Agathus, Ariston, Muius, Paulus in Lato, Paphnutius, atq; vndecim illi quos nominat S. Epiphanius, Theodoretusq; tradit post multa mala missos esse Diocæsaræam urbem Ethnicorum,

S. Athan. ep. ad Dracont.

S. Epiphan. hæref. 72. n. 10. Theodor. l. 4. hist. Eccl. c. 20

rum, quorum pleriq; individui socij magni Athanasij, & columnæ fidei orthodoxæ censebantur.

Nec solùm per Ægyptum & Libyam ab Arianis in monachos hæc gesta sunt, verùm etiam Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina, aliæq; provinciæ viderunt athletas & ascetas Christi pro sincera fide similia pati. Quid moror? Epistola scripta in secunda synodo Romana, qua absolutus est S. Athanasius, clarè dicit, in singulis Ecclesijs talia facta esse. Deniq; quod ex S. Athanasio tibi sub rosa dico, Roma ipsa struxit insidias orthodoxis monachis, cum Liberius duceretur ad comitatum.

Apud Athan. apol. 2.

[illegible]em epist. ad Solitar.

Anno post Christum natum 448 turbare cœpit Ecclesiam Eutyches archimandrita Constantinopolitanus. Hic nuper in œcumenico concilio Ephesino cum monachis fortissimè contra Nestorium steterat: sed vel ambitio, vel indiscretior zelus ipsum egit in transversum, dum duas in Christo naturas negavit, ne duas personas cum Nestorio videretur admittere. Fateor, multos secum in errorem ac tumultum traxit, Syriæ præsertim ac Palæstinæ, & Ægypti monachos, quos sciebat auctoritate, numero ac factionibus esse reliquis valentiores. Cognito tamen errore operâ Marciani Imperatoris paulò post resipuerunt, magnoq; ardore sectatores Eutychis passim invaserunt. Quo autem commodo? Lege Ecclesiasticas historias, & invenies eos Alexandriæ & per Ægyptum à Timotheo Æluro pseudoepiscopo gravissimè afflictos, vexatos, ejectos, occisos. In secunda Syria cum Chalcedonensem synodum damnare nollent, non modica parte à Severo invasore sedis Antiochenæ & Petro Fullone perempti sunt. Et cum aliquando magno numero irent ad mandram domini Simeonis Abbatis, occiderunt ex eis una vice 350 ex insidijs, reliquis vulneratis ac dispersis, quorum multi cum ad sacra altaria confugerent, sacrilegè trucidati sunt in ipso sacrario incensis per noctem monasterijs. Ducenti & octo Archimandritæ isthæc ad Hormisdam retulerunt. Extat etiam libellus à 94 monachis & Archimandritis ad Agapetum Papam datus, sicut & alius ad concilium Constantinop. V. sub Menna, ubi queruntur, quod cum resisterent ordinationi dictorum duorum pseudoepiscoporum, ipsis prius digitos esse fractos, deinde cum vim hanc declinaturi ad Ecclesias & sacra loca confugerent, inde fuisse extractos & occisos. Tacemus,

A. D. 430.

Epist. Theodos. p. 2. concil. Chalced. Baron. A. D. 457.

Ex epist. 22. Hormisdæ.

A. D. 517.

In act. 1. concil. C. P. sub Menna. Act. 5.

Digitized by Google

mus, inquiunt, carceres, vincula, nocturnas ac diurnas incurſiones latronum inſtar, rapinas quoq; ac cædes ſanctorum monaſteriorum & monachorum. Tacemus poſitas inſidias ſanctis in via, & effuſum ſanguinem innocentem: nam cum multi ex noſtris zelo divino ac pietate accenſi peregrinarentur ad mandram S. Simeonis, colligentes hi impij manum perfidorum Iudæorum, incurſarunt illos ſanctos viros, ſubitoq; ex inſidijs conſurgentes, ac neq; canitiem illorum reverentes, ferro crudeliter non minus quàm 350 cæciderunt, quorum membra diſpergentes tam venerandas reliquias nec honore ſepulturæ dignati ſunt; deinde invadentes ipſorum tabernacula ad confuſionem fidelium Judaicam & ibi crudelitatem exercuerunt. Hæc & plura libellus ad Mennam Patriarchã Conſtantinop. cui ſubſcripſerunt 135 Archimandritæ, vel legati ipſorum, ex Syria II. tribus Palæſtinis, Hieroſolymorum locis, ex diœceſi urbis regiæ & Chalcedonenſi. Similem libellum obtulerunt monachi Antiocheni Ioanni Patriarchæ C P. & ſynodo ibidem congregatæ A. D. 518 iuxta Baron. & Apameenſes contra ſuum Fullonem ſeu Cnapheum, in quibus manifeſtè cernitur, quod monachi nihil niſi mala receperint διὰ σπουδὴν ἄγρυπνον ipſorum, καὶ θεοφιλῆ πρόνοιαν, ut Mennas loquitur, nempe ob vigilem curam, & Deo amabile ſtudium contra Eutychianos & Acephalos impenſum, quos etiam idcirco ſummis laudibus extulit Joannes Hieroſolymorum Patriarcha, quod ſcilicet uſq; ad mortem laborarint, ut lupus Antiochenus, Severus, ab ovili propelleretur. Concil. P C. ſup. Epiſt. ad Petr. Hieroſol. Epiſt. Ioan. ad Ioan. C P.

Monothelitarum origo ponitur à Baronio ad A. D. 629. Hæc hæreſis Eccleſiam miſerrimè vexavit, uſq; dum tandem per œcumenicum concilium VI. Conſtantinopoli conficeretur A. D. 680. & ſequenti. Legantur acta. Petrus presbyter & monachus inter primos ſedebat, ac ſententiam dicebat vicarius ſedis Alexandrinæ: Theodori verò Patriarchæ Hieroſolymit. locum implevit monachus Georgius. Aderant & Romã monachi rogatu Conſtantini Pogonati Imp. ab Agathone Papa miſſi, quibus antecedebat Theophanes Abbas Baiarum in Sicilia vir magnæ fidei ac doctrinæ, qui poſtea à PP. in locum Macarij Antiocheni Patriarchæ ſuffectus eſt. Hi omnes in jugulanda hæreſi plurimum laborarunt; ſed nemo plus, quàm Maximus Abbas Chryſopolitanus, cuius zelus ardebat ſicut ignis, quiq; ſanctitate & ſapiẽtia in Eccl: rutilabat ſicut ſol. Is tamquam no- Act. 1.

Digitized by Google

vus Apostolus discurrebat ab Ortu per Occasum & Africam, ut siquos invenisset huius sectæ viros, victos reduceret ad ovile Christi. Cuius rei testis est Pyrrhus Patriarcha C P. quem in Africa deprehensum publica disputatione vicit & convertit. Eius instinctu Romæ & alijs in locis concilia celebrata sunt, fidesq; recta stabilita. Sed qua tandem mercede? A Constante Augusto primò captus, ac nudus per urbem regiam ad tribunal tractus, ubi post multas calumnias in exilium eiectus est. Deinde post septennium reductus, cùm hæreticis nollet consentire, cum Anastasio discipulo distentis nervis adeò crudeliter cæsus est, ut nullum membrum à plagis integrum relictũ fuerit: post quod ambo in carcerem coniecti sequenti die lingua mutilati sunt. Cum verò nihilominus per DEI virtutem loquerentur restibus crudelissimè lacerati, alijsq; tormentis confecti dexteras carnifici amputandas porrigere coacti sunt. Deniq; ludibrijs ac dicterijs per forum circumducti, rebusq; omnibus destituti iterum in exilium abiecti sunt, ubi post triennium S. Maximus octogenarius penè senex migravit ad Dominum, quietius in sua cella moriturus, si permisisset zelus animarum.

Baron. A. D. 645.

A. D. 650.

A. D. 726. Leo Isauricus promulgavit edictum de non colendis sacris imaginibus. Sævissima inde in Ecclesia Orientali cœpit persecutio, quæ ultra centum annos duravit, continuante & aggravante eam Copronymo, Leone Armeno, ac Theophilo tyrrannis. Episcopi qui edicto parere renuerunt eiecti sunt, & in eorum loca suffecti seductores aut seducti. Hîc se, si umquam, zelus & fervor ostendit monachorum. Verè dico: horum penè sola industria fides constitit in imperio Græcorum. Conijce oculos in œcumenicum concilium VII. quod inter hæc tempora celebratum est Nicææ A. D. 787. contra iconoclastas. Illicò occurret legatus Apostolicus Petrus presbyter & Hegumenus monasterij S. Sabbæ Romæ, cuius singularem prudentiam ipse summus Pont. deprædicat. Orientalium Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani fuêre legati Ioannes & Thomas presbyteri & monachi, viri qui animas suas propter DEUM posuerunt, ut in regiam urbem per insidias Saracenorum penetrarent. Et licet Tarasius Patriarcha CP. monachus haud fuerit, cuncta tamen per officiales monachos egit. Sic ut hæc celeberrima synodus solis ferè præsidentibus monachis peracta sit. Taceo aliorum Episcoporum

Action. 1.

porum

porum legatos monachos. Tanti in hoc concilio fiebat sententia monachorum, fidesq; & zelus ipsorum, ut (quod hactenus inauditum erat) monachi inter Episcopos disputarent, decernerent, & post ipsos subscriberent. Nec ausi sunt patres lapsos Episcopos in communionem prius recipere, quàm monachorum consensum requisivissent. Nec mirum; quia per universum orbem constabat sincerissimam fidem ab initio huius execrabilis hæresis apud monachos duravisse in Græca natione. Nemo se eidem fortius opposuit: nemo tyrannis sic in faciem restitit: nemo voce ac calamo liberius locutus est. Et licet in tam immenso numero non defuerint, qui timoris impulsu, vel hæreticorum astu ceciderint; incertum mihi tamen est, utrum ex tot myriadibus monachorum numerus lapsorum non minor fuerit, quàm Episcoporum. Deflendum est in una pseudosynodo Constantinop. in qua non modò sacrarum imaginum verùm etiam Sanctorum ipsorum cultus impiè proscriptus est, numerari 338 Episcopos, qui satanicæ huic impietati subscripserunt.

Act. 1.

A. D. 754.

Nominatim ante concilium œcumen. VII. primus contra iconoclastas pietatis cornua erexit S. Germanus Patriarcha CP. Deo instar Samuelis ab infantia consecratus, & in sacris litteris enutritus. Hunc propter fidem ac sapientiam decernunt SS. PP. in concilio similem evasisse antiquis patribus, cuius disputationes, quas contra hæreticos elucubravit, sequi sit necessarium, ut quæ à toto orbe confirmentur. Exaltationes enim Dei in faucibus eius, & gladij ancipites in manibus ipsius, exacuti contra omnes, qui traditionibus Ecclesiasticis obnitũtur. Ei se strenuum commilitonem præbuit S. Joannes Damascenus, qui dimittens omnia æmulatus est S. Matthæum Evangelistam, secutusq; est Christum, æstimans maiores esse divitias pro Christo pati opprobria, quam thesauros Arabicos: elegitq; magis affligi cum populo Dei, quàm temporalibus frui delicijs peccatorum. Ipse igitur tollens suam & Christi crucem, secutusq; ipsum pro Christo ex Oriente per Christum, ea quæ ad Christum pertinebant, tubam inflavit, novationes aliorum non ferendas sibi arbitratus est, nec admittendas illegitimas machinationes, rabidamq; insaniam contra sanctas Dei Catholicas Ecclesias, sed hanc triumphans exhortabatur, & monens cunctos roborabat, ne se abduci cum operantibus iniquitatem permitterent,

Action. 6.

Ibid.

Digitized by Google

mitterent, quærens in Ecclesijs antiquas leges, ritusq; observari, statumq; tranquillum pacemq;, quam Christus Dominus discipulis tamquam signum largitus est dicens, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

Ibid. His duobus robustissimis athletis accessit Gregorius, cui Cyprus patria, Evangelicè vitam instituens Christum DEUM nostrum dantem nobis formam vivendi vitam suam, irritatus non contendit, non clamavit, maledictus non remaledixit, percutienti se in maxillam præbuit alteram; angarianti se unum milliare, addidit & alterum. Sustulit iugum ab adolescentia sua, bonum ratus est secundum Prophetam sedere solitarium, & tacere.

In vita eius Surius. Post hos surrexit S. Stephanus Abbas Auxentianus, cujus memoria in benedictione est. Hic eiecto S. Germano stabat loco periculoso, non eminus ut Damascenus, sed cominus in hostes dimicans, exemplo suo monachos ad pugnam concitabat addens eis robur & firmamentum. Nec vis, nec fraus, nec minæ, nec pollicitationes eũ poterant à recto avertere. Nempe virtus spiritus sancti erat in eo, ideò adhæsit ipsi omnis Ecclesia sanctorũ, quia propugnabat usq; ad necem cultum cælestium.

Mich. studita in ejus vita. Post concilium surrexit Theodorus studita, quem nemo satis laudabit. Hic sua fide ac sapientia ex omni parte hæreticos oppugnabat, ac vincebat. Lapsos erigebat, nutantes sustentabat, stantes animabat. Nemo ipso sanctior, nemo sapientior, oraculum Orbis, Patriarcha Orientis: sapientiam eius enarrant populi, & laudem eius universa Ecclesia.

Theodor. studit. orat. de S. Platon. Infinitos alios de ordine monastico silentio prætereo, quorum virtus per infaustum illud sæculum inclaruit. At quo lucro? Primum fuit gravissimum odium, quod ab impijs sustinuerunt. Nam ecce Copronymus sordidi nominis Imperator, ut incrementum monachismi penitissimè abscinderet, edicto cavit, ne quisquam amplius monachus efficeretur. Deinde advocata concione universos jurejurando astrinxit, nec communionem à monachis se accepturos, nec salutantibus quidquam humanitatis vicissim exhibituros; verùm si quisquam monachum obvium habuisset, *Tenebricosum* eum & *Immemorandum, & idolorum cultorem* appellaturum, ac demum lapidibus appetiturum. Hinc nullus audebat Constantinopoli monachus comparere. Etenim ad odium accedebant inauditæ con-

In vita S. Steph.

Zonar in Copron.

tumeliæ

Digitized by Google

tumeliæ & ignominiæ, lapidationes, verbera ac cædes. Deus bone! Flagitiosissimus tyrannus captos monachos in Hippodromum duxit, ubi quisq; palam cum femina cogebatur decurrere ac saltare. Præfectus Ephesinæ civitatis cunctos monachos cum sanctimonialibus eduxit in campum, mandans ut incunctanter inter sese matrimonia contraherent, renuentes privatos luminibus in exilium relegavit. Theophan. in hist. Baron. A. D. 766. Et A. D. 770.

In sua pseudosynodo quid non contumeliarum effuderunt in S. Germanum, Georgium Cyprium, & maximè in B. Damascenum. *Mansur*, inquiunt, *nequam nominis* (avitum erat) *& similia Saracenis sentienti, anathema. Imaginum servitori, & falsa scribenti Mansur, anathema. Contumelioso in Christum & insidiatori imperij Mansur, anathema. Impietatis doctori, & malo interpreti divinæ scripturæ Mansur, anathema.* S. Stephani pro cultu imaginum interfecti sacrum cadaver, qui non novo dedecore inhonorasset, à tyranno puniebatur. Act. 6. Concil. œcum. C. P. sup. Vita S. Steph

Quid memorem infinita genera suppliciorum quæ tota hac persecutione venerandi monachi sustinuerunt pro fide Christi? S. Stephanus, quem primò tibi nominavi, cum à furenti multitudine à suo combusto monasterio Chrysopolim captivus duceretur, quid non perpessus est? Alij (inquit scriptor vitæ eius) ipsum magno impetu trahebant: alij fustibus à tergo feriebant: alij in vallem eum devolvebant: alij tibias ejus calcibus laniabant: erant etiam qui in venerandam eius faciem conspuerent: alij deniq; petulantiori animo præditi cæsis palmarũ ramis ante ipsum incedebant cacchinnantes & illudentes, & sexcenta in eum dicteria iacientes. Qui cum in carcerem conijceretur paulò pòst interficiendus, conclusos eximiæ virtutis monachos 342 ex varijs locis collectos, atq; in eodem carcere condemnatos invenit, qui partim aures exectas habebant, partim evulsos oculos, partim amputatas manus, ob id videlicet, quod pro venerandarum imaginum pictura & erectione lucubrationes edidissent. At quidem alij plagarum notas adhuc circumferebant: alij præclaras genas pice illitas atq; ambustas habebant: alij caput ad ludibrium abrasum. In vita.

Hi sancti viri cum die quadam de supplicijs, quæ iustis ab iniquis iniquissimi Imperatoris præfectis varijs in locis illata fuerant, sermonem miscerent, in medium progressus est Antonius Cretâ oriundus, vir fortis, & qui fortibus certaminibus

Digitized by Google

egregiè defunctus fuerat, narrataq; passione crudelissimâ Pauli monachi, sermonis prosecutorem habuit Theosterictum senem & sacerdotij dignitate ornatum, qui ex pio illo monasterio erat, quod Peleceta nuncupatur, atque & nasum abscissum, & genas ferventi pice ac bitumine illitas, miserumq; in modum ambustas habebat, (hos enim cruciatus pietatis causa pertulerat.) Hic igitur cœptum colloquium rogantibus alijs sic prosecutus est. Cùm incruentum sacrificium in monasterio nostro celebraretur, (erat autem vespera sanctæ ac magnæ quintæ feriæ, in qua Christus Judæis tradendus erat) Lachanodracon Asiæ Præfectus Tyranni iussu cum magna militum manu in monasterium impetum facit, ac mysticum quidem sacrum evertit: mysticis videlicet hymnis protinus silentio compressis; lectissimos autem monachos duodequadraginta vinculis ferreis adstrinxit: reliquos verò partim verberibus crudelem in modum laceravit; partim eorum barbam pice illitam exussit, naribus prius amputatis. Quibus impius ille nondum expletus universum monasterium postea inflammavit, ipsam Ecclesiam una cum reliquis ædificijs concremans. Mox autem prædictos duodequadraginta patres ad extremos Ephesi fines relegavit, ubi cum eos in veteris balnei fornice conclusisset ac deinde aditum obstruxisset, in hunc modum eos è vita migrare coëgit.

Inexhaustus labor foret enumerare omnia genera tormentorum, quæ beatissimi monachi ab iconoclastis per diversas Provincias exantlarunt. *Ignat. in vita S. Tarasij.* Gregorio Limniotæ propè centenario seni cutis capitis abstracta, ac super pictam tabellam exusta est, deinde barba liquente pice conspersa atque incensa; postremò per urbem distractus, *Vita S. Steph.* jugulatusque est, sacris reliquijs canibus proiectis. Ioannes Monagriensis Archimandrita sacco fuit inclusus, graviq; saxo ipsi appenso, in mare deiectus est. *Ibid.* Paulus Cyprius in catapulta extensus duabus tabulis firmissimè compressus est. Post quod cum carnifices ferreis pectinibus totum corpus eius exarassent, prono capite eum suspenderunt, ac deinde non exiguo igne infra eum accenso, ita demum holocaustum DEO gratum ipsum effecerunt. Innumeri loris, nervis, flagris concisi sunt. *Zonar. in Theophilo. Ibid.* Theodoro studitæ ac Theophani faciem iambicis versibus inscriptis deformarunt. Lazaro pictori monacho post crudelem excruciationem manus quibus sacras imagines pingebat ardentibus laminis inutiles redditæ sunt, ut

inter

inter minima computanda sint exilia, carceres, ac monasteriorum direptiones ac concremationes per omnes provincias. Habitationes sanctorum passim in fumum ibant, vel impio militi concedebantur, fiebantque speluncæ latronum, aut animalium præsepia. Sic ut ijs infelicibus temporibus nihil difficilius esset, quàm intactum reperire cœnobium, aut extra carceres viventem monachum. Omnes funditus deleti erant, inquit vita B. Stephani, in tantum, ut etiam capitale fuerit solummodò vestem pullam portasse, vel barbam nutrivisse. Hæc merces dabatur laboribus monachorum, qui si voluissent, extra teli jactum esse potuissent; sed in tanta Ecclesiæ necessitate, & strage Episcoporum, zelus Dei non sinebat ipsos esse ociosos, aut quietos. Vita S. Nicetæ Surius 3. April. Baron. A. D. 767.

Vix detonuit sævissima hæc monachica tempestas, & orta est alia à Photio pseudopatriarcha Constantinop. Regebat hanc Ecclesiam S. Ignatius monachus ab adolescentia. Qui cum iussu Michaëlis Imperat. Theodoram Augustam, (cuius potissimum auctoritate nuper sacræ imagines restitutæ erant) in monacham attōdere nollet, sede sua dejectus est subrogato Photio homine docto, sed laico. Audijt hæc Nicolaus Papa, damnatoq; Photio iussit Ignatium restitui. Quare homo impius ita efferbuit, ut nulli professioni, nulli parceret sexui, nulli ætati, nisi sibi adhærenti. Monachos præcipuè, qui ductu S. Ignatij (magister hic S. Ignatij in monte Olympo fuerat) Ignatianas partes fovebant gravissimè persecutus est, passim eos fugans & expellens, speluncasque ipsorum & tuguria (nam monasteria ab iconomachis exusta erant) igni perdens; sed nec à cædibus manus continens, sicut inter ceteros unum ex dimidia parte infossum, ita mori coëgit. Concil. act. VIII. A. D. 869. Vide notas Binij. Epist. S. Ignat ad Nicol.

Tandem cum S. Ignatium veneno sustulisset, & thronum legitimè se possidere arbitraretur, tantum abfuit, ut monachos sui schismatis & animi fautores habuerit, (quamlibet id unicè desiderarit) ut Stylianus Neocæsaræensis Antistes ad Stephanum Papam scripserit: Egò verò, & qui mecum sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & omnes tam Orientis, quàm Occidentis Hegumeni, seu Abbates, Monachi quoquè ac solitarij multitudine innumeri, Dei gratia perstitimus integri, ut qui nec prius, nec posterius Photio communicamus. Rumpebatur perniciosissimo schismate Oriens ab Occidente, & quantumlibet agebatur minis ac flagris, in officio tamen perstabant monachi.

 Quanto

Quanto quisque est sanctior, tanto gravius premitur ab impijs. Lingua iusti quantumvis taceat; eius tamen vita redarguit improbos. Hinc horum in illos odia. M. Aurelius Antoninus quàm dirè persequebatur Spudæos! Monachi erant. In consequentibus persecutionibus ad quantam paucitatem redacta est innumera multitudo Monachorum! Cùm temporibus Iuliani Gentiles cognoscerent apostasiam sui Cæsaris, quid non contra Continentes sunt ausi? Ventres ipsis disruperunt, hordeoque implentes proposuerunt porcis. Sub Valentis imperio quanta passi sint Monachi ab hæreticis, M. Basilius, si nosse cupis, te docebit. Plenæ fuerunt solitudines, quo eos in exilium Arianus Imperator abjecerat. Denique cum monachismum ad internecionem delere conaretur, legem dedit, qua monachi ad militiam cogerentur. Et quia non ignorabat vastas Ægypti solitudines, arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem, periculosissimamque serpentum abundantiam conversatio humana non nosset, magna habitantium Monachorum multitudo compleverat, illò suos tribunos & milites misit, qui sanctos ac veros milites Dei aliò nomine persecutionis abstraherent, quâ violentiâ agmina multa sanctorum interfecta sunt, ut Orosius memorat.

Epist. 7. sup. Eufeb. l. 5. hist. c. 2.
Theodoret. l. 3. hist. c. 6.
S. Basil. ep. 200. 303. 70.
Theodoret. l. 4. à c. 12.
Orosius l. 7. c. 33.
Sozom. l. 2. c. 12.


Paulò ante hanc persecutionem Sozomenus scribit Saporem Persiæ regem propter fidem Christi interfecisse multitudinem infinitam Monachorum. Saraceni quantam stragem Monachorum in Oriente & Ægypto dederunt. Paucis dico. Hostes Ecclesiæ quocumque irruerunt, primò omnium in Monachos & Monasteria sævierunt. Ijdem Saraceni cum sub Ioanne Pont. Campaniam infestarent, servos Dei passim trucidarunt exustis Monasterijs. S. Augustinus in extremis ægrè spiritum ducens amarissimè deflet Wandalorum, aliorumque Barbarorum ferocissimam grassationem in monachos & monasteria per Africæ provincias. Dani, ut circa annum millesimum irruperunt in Angliam, utriusque sexus Monasteria per totam terram combusserunt, Monachos per verenda suspenderunt. Normannorum extrema crudelitas in Cœnobia & Cœnobitas Germaniæ deplangitur à Patribus in concilio Moguntino A. D. 888. Nostra ibi tempora vides. *Subversionis periculum*, aiunt Episcopi, *incolæ Monasteriorum utriusq; sexus metuentes, huc illucq; vagantur incerti, penitusq; omni solatio destituti, quid agendum,*

S. Hieron. ep. 3. B. Nilus ep. ad Heliodor.
Antioch. monach. epist. ad Eustach.
Dion. Petau. in Nicephor. breviar.
Ioan. VIII. ep. 35.
Possid. vitâ S. August. c. 28.
Vita S. Felicis l. 3. vitt. PP. Occid.
Binius in vita Sergij.

dum, quove declinandum, errabundi cum periculo suæ professionis & sine pastore ignorant. Per annos penè triginta bellum in Germania trahimus cum hæreticis. In neminem ita sævitum est atque in homines & domicilia relgiosa. Hæresis ante centum annos occupavit Europam. Inter hos quàm inaudita sustinuerunt homines Deo consecrati? Si *sanguis martyrum semen orthodoxorum est*, quanta messis speranda est in Anglia maximè & Hollandia. Ut in me finiam epistolam, *Sanctos Dei persequuntur homines mali, me filium iniquitatis humores mali.*

EPISTOLA LXXVI.

De signo Sanctæ Crucis.



QUid Antiquarium meum de signo Sanctæ Crucis habeat nosse desideras. Miror cur tam serò. Tertullianus antiquissimus scriptorum ait: *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumq; nos conversatio exercet frontem crucis signaculo terimus.* S. Cyrillus. Non pudeat, inquit, nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifestè te signa in fronte, ut dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans & bibens, & sedens, & stans, & loquens & ambulans, in summa in omni negotio. Et alibi: In fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, in egressu & ingressu, ante somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, signum fidelium, timor dæmonum, & ut ait S. Antonius *murus inexpugnabilis.*

Tertull. l. de coron. milit. c. 3.

S. Cyrill. catech. 4.

Catech. 13.

Vita S. Anton. c. 8.

Virtutem S. Crucis nullus dæmonum cum maiori ignominia sui expertus est illo, de quo in vita S. Leufridi Abbatis. Vespertina, ni fallor, synaxis celebranda erat, & occupato sancto Abbate, cacodæmon sub eius forma maturè chorum intrans in eius locum consedit. Fratres ut Oratorium successivè ingrediebantur, ita Stygio Abbati ex errore reverentiam exhibebant. Tandem unus sequebatur, qui eo momento ab Abbate digressus erat. Hic ut vidit in sede Abbatis larvatum Archimandritam, eique tantam à fratribus exhiberi reverentiam, recurrens illicò ad

Vita S. Leufr. L. 4. vitt. PP. Ovid.

Digitized by Google

B. Leufridum ei totam rei seriem indicavit. Leufridus accepto flagello cruce signavit omnes aditus & exitus Ecclesiæ: inde templum ingressus invasorem suæ sedis strenuè aggressus est. Jucundum erat videre pseudoabbatem ab una janua ad alteram, à fenestra ad fenestram, ab uno introitu ad alterum anhelanti cursu properare, tentaréq; eruptionem, nec januis etiam patentibus invenire posse, cum interea verus Abbas flagello vehementissimè instabat, & nigrum corium Cerbero alacriter conscribebat. Tandem nefarius spiritus advertit foramen in Ecclesiæ fornice, per quod campanæ restis dependebat, à Leufrido non esse signatum. Arrepta ergo reste ocyssimè sursum ad foramen instar cati contendit, atque erupit, succenso post se fune, ne scilicet Abbas similiter post se reperet, ac flagellaret.

S. Ephr. de Cruce f. 100.

Crux ergo hic pro muro erat, & quidem in expugnabili. S. Ephraim *Crucem* ait *esse spem Christianorum, resurrectionem mortuorum, claudorum baculum, frenum divitum, monachorum fiduciam nudorum* (sic eremitas appellat) *tegumentum.* Hanc, inquit, sancti baiulantes monachi abdicato sæculo ingenti cum gaudio atque alacritate in montibus, in solitudinibus & speluncis atque cavernis terræ sibi mansiones, habitationesq; delegerunt. Hanc, depingamus & insculpamus januis nostris, & in frontibus, & oculis, & ore, ac pectore, & in omnibus membris nostris. Hac ornemur, atque armemur invincibili Christianorum armatura: victrix est enim ac destructrix hæresum, firmamentum fidei. Certè S. Procopius martyr Angelicæ apparitioni nolebat fidere, nisi se signo crucis Angeli signavissent. Nocte concubia, inquit vita eius, Angeli immenso coruscantes lumine carcerem subintrant, Procopium inclamant. Et ille: Et quinam estis vos? Angeli, inquiunt, DEI sumus à Christo ad te missi. Tum martyr: Si Christi Angeli estis, ei genuflectite, vestrosque oculos sancta cruce signate. Fecerunt: & S. Martyr evasit periculum satanicæ tentationis.

Surius 8. Iulij de S. Procopio.

Dolendum nostris temporibus signationem crucis ex omni parte imminutam esse. Non signamus nisi frontem, os & pectus, idque vix ante orationem. Signa, inquit S. Ephraim, & studia tua, & ingressum tuum in omni tempore: sessionem quoque tuam, & resurrectionem tuam, & lectulum tuum, & quæcumque pertransis. Signa primum in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Validissima quippe hæc armatura est, nullusq;

nullusque tibi umquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam siquis terreni regis signaculum defert, cum lædere nullus audeat; quanto magis nos, qui tale cælestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere debemus. Ideo, mi frater, numquam signari negligas, & laqueos destrues, quos tibi tendit inimicus. Hoc te signo assiduè munias, & malum non appropinquabit spiritui tuo. Pro arcu ad orationem manus tuas extende. Verè enim arcus æreus est contra inimicos, manus in oratione expansæ.

S. Gregorius Nazianz. de seipso dicit: Cruce adversus omnes semper me usum scio. S. Athanasius dum virginē sacram instituit. Signo crucis, ait, ter panem signa. S. Pachomius cibum diligenter cruce signavit: Periculosum enim est cibum non signatum accipere. Nosti eam Dei famulam apud S. Gregorium, quomodo lactucam in horto absque signatione comederit, & obsessa à dæmone, qui lactucæ insederat, continuò fuerit. S. Lupus Episcopus cum noctu semel inter orandum sitiret, iussit afferri frigidam: at cum animadverteret sitim esse à dæmone, vas allatum cruce signavit, & usque manè obstipatum pulvinari reliquit. Non potuit se diu cohibere dæmon, qui latebat in vase, quin miserabilibus querelis exitum flagitaret, & impetraret. Quem utique cum aqua Episcopus imbibisset, ni malum cruce avertisset. Hinc non frustra pœnam in eos statuit S. Columbanus, qui cochlear non signassent: maluit enim habere cruce signantes, quàm fortè obsessos.

S. Greg. jambic 21. S. Athan. de Virg. Vita S. Pach. c. 8. S. Greg. l. 1. dial. c. 4. Vita S Lupi 1. Sept. Surius.

S. Editha Edgari regis Anglorum filia frontem assiduè dextro pollice signare solebat. Qua re delectatus S. Dunstanus Episcopus dextram virginis arripuit. Et, *digitus hic* inquit, *numquam putrescet.* Tredecim annis à sua morte Editha eidem Episcopo apparuit, Et, *Noveris,* ait, *placuisse Deo me honorare. Eleva ergo corpus meum. Non te fallo. In signum veritatis ita in corruptum reperies corpus meum, sicut illibatum in vita servatum est.* Ea dumtaxat membra corrupta sunt, quæ puellari levitate contaminavi, ut sunt oculi, manus, ac pedes: reliquum integrum est, quia omni voluptate & intemperantia abstinui. Quin & pollicem dextrum reperies incorruptum, quo iugiter signare solebam. Omnia ex vero ita reperta sunt.

Surius in vita 16. Sept.


Sanctiores nec mori volebant priusquam se signo crucis munivissent. S. Barlaam cum se signasset, pedesq; extulisset, ingenti

Damascen. vita c. 39.

In vita c. 53 ingenti lætitia perfusus migravit ad Dominum. Pachomius eodem signo se muniens, & Angelum lucis ad se directum læto vultu aspiciens, sanctam reddidit animam. S. Paula Romana
S. Hier. c. 25. in vita crucis signum moriens pingebat in labijs. Macrina soror S. Basilij
S. Greg. Nyssen. in vitâ. antequam consecratum DEO spiritum emitteret, oculos,
S Ephr. orat. de virtut. os & pectus signavit cruce. Alij etiam alia membra signabant,
Idem de panopl. ut tentantem satanam undique propellerent. De aurium signatione S. Ephraim loquitur. Qui etiam generatim ait, *Vice scuti crucis signo teipsum muni, signans eâ tua omnia membra & cor tuum: neq; verò sola manu te signes, sed etiam animo.* Et:
Idem de Antichristo. fol. 221. *Dextrâ cuncta nostra membra signamus:* volunt enim omnia tuta esse. Et quid mirum si crux signatum hominem extra periculum servat, cum grex porcorum à S. Joannicio pastore
Surius in vita 4. Nov. signatus totis diebus ipso orante à feris imperterritus manserit atque illæsus?




ANTI-



ANTIQVARII MONASTICI OFFICINA.

EPISTOLA LXXVII.

Religioſos à prima inſtitutione ſemper laboraſſe.



DUm ab Oratorio monaſterij noſtri ergaſterium inſpicis, ambiguè Joſippe quæris, utrum *Servi Dei* ſemper laboraverint. Neque enim intelligo quid per ſervos DEI velis, an omnes omnino religioſos, an verò ſolos monachos, ſicut ſæpè à SS. PP. per excellentiam vocantur. Deinde non ſatis capio te, de quo labore loquaris: laboratur manibus in varijs officinis, laboratur & in muſæo, ſed ingenio. Verùm quidquid ſit quod quæris, hoc in univerſum habe, Nullum umquam fuiſſe bonum religioſum, qui pro ſtatu ſuo non laboraverit. Sicut fuci ab apibus non tolerantur in alvearijs, ſic ocioſi numquam æquo animo tolerati ſunt in aſceterijs. Sive profeſſione clericus ſis, ſive monachus, cave ne panem ocioſè comedas; quia redditus non pro ignavis veniunt, & ſacrilegium eſt eos ſibi per inertiam applicare. *Qui non laborat, non manducet*, Apoſtolica ſententia eſt. Inhiamus ad curam animarum imparati. Miles ad prælium ſine armis quid rei eſt? Terret me verbum DEI: *Cæcus cæcum ducit, & ambo in foveam cadunt*. Tempus ergo non in ocio tranſigendum. 2. Timoth. 3. Matth. 15.

Sed quia reor te de opere manuali monachorum quærere,

Digitized by Google

Cassian. l. 2. instit. c. 5. scito monachos omnes olim ita laborasse. Cassianum in testem produco, qui de primis monachis à S. Marco Alexandriæ institutis agens, dicit eos divinarum scripturarum lectionibus, orationiq; & operi manuum diebus ac noctibus incubuisse. Essæi
Epist. 13. erant quorum labores alibi tibi exposui. S. Antonium ipsum
S. Ephr. ep. ad Ioan. Abbat. laborasse B. Ephraim tradit, ut de discipulis dubitare non possis.
Vita S. Pach. c. 47. Idem fecit Pachomius texens cum suis psiathos. Palæstinæ &
Epist. 68. fin. Mesopotamiæ monachos ad vesperam usque laborasse non pridem tibi dixi. Syrorum labores frequenter S. Ephraim commemorat. Et universim omnes tam Orientis, quàm Occidentis ascetas se opere manuali exercuisse auctor est S. Augustinus.
S. Aug. l. de morib. Eccl. c. 30. 31. 33. quamvis Collator dicat monachos occidentales minus prom-
Cassian. l. 10. sup. c. 23. ptos ad laborandum fuisse, quo factum est, ut pauciora apud eos monasteria fuerint, quæ plerumque ex laboribus ædifica-
S. Aug. l. 2. retractat. c. 21 bantur. In Africa contentio erat inter monachos, dum multi
Et. l. de oper. monach. censebant præstare jugi orationi insistere. Sed hos Pater Augustinus vicit, robustissimis argumentis probans, monachis subinde operandum esse manibus, quod & fecerunt, sicut constat ex vita S. Fulgentij, cui placebat non jugiter laborare, sed
Vita S. Fulgēt labori manuum studium coniungere lectionis. Immò cum adhuc Abbas esset peculiariter habebat dilectos & gratos eos, in quibus fuisset scientiæ spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destituti operari manibus numquam potuissent. Sicut S. Macarius liberum quoque suis relinquebat per diem, aut orare,
S. Macar. hom 5. aut lectioni S. scripturæ incumbere, aut laborare manibus; ea tamen lege, ut in suo opere nullus contemneret alium propter participationem omnium operum.

Quoniam verò duri labores binam refectionem per diem
Cōcil. Aquisgran. A. D. 817. c. 18. requirebant, statutum est Aquisgrani à patribus, ut fratres Ordinis S. Benedicti quartâ & sextâ feriâ jeiunantes non detrectarent vel ante vel post cœnam suscipere ex Prioris arbitrio, si necessitas exegerit opera levia. Nec de hoc poterant murmurare, cum veteres monachi in quotidianis jeiunijs à laboribus non destiterint.
S. Ephr. de humil. acquir. c. 18. S. Ephraim ait, eos non rarò etiam extraordinarios labores de nocte fecisse, si eos expetijsset necessitas.

S. Hieron. ep. 22. Ceteroquin opus diei statum erat, ait S. Hieron. quod
Cassian. l. 10. cit. à c. 8. Decano redditum ferebatur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno tremore reddebat rationem. Idem tradit Cassianus, statutum scilicet per diem operis pen-

ris pensum fuisse, & œconomo traditum. S. Augustinus: Opus, inquit, tradunt Decanis, qui decem Præpositi. S. Ephraim denique quotidiani pensi etiam recordatur traditi Superiori. Proinde laborandum erat non quod & quantum quisque volebat, sed ex obedientia: necdum enim resignati animi indicium censebatur, iuxta S. Basilium, si quis aliud discere, vel exercere voluisset, quàm jussisset Superior, etsi id fuisset S. Scriptura vel litteræ. Vnde crimen erat inobedientiæ addidicisse aut exercuisse aliquid quod non mandasset Superior, vel si quis etiam in necessitate alterius negotio sese ingessisset. In concilio Parisiensi etiam monialibus præcipitur, ut operentur manibus prout Abbatissa voluerit. Ita cuncta semper regebat obedientia. Nec malè fecit S. Pachomius, quod quingentos psiathos (seu mattas) combusserit, cum eos coquus præter obedientiam texuisset.

S. August. de morib. Eccl. c. 30.
S. Ephr. in Attende tibi c. 6
S. Basil. reg. fusior. 41. & brev. 96. 117. 118.
A. D. 756. c. 6.
In vita eius c. 53.

Qui laboribus præficiebatur, dicebatur *Monitor operum*. Eius erat ignaros instruere, labores inspicere, errantes monere, castigare neminem, sed errata Superiori, si placuisset, indicare. Debebat autem esse de senioribus, & vitæ religiosæ habere bonum testimonium, laboresque disponere ad necessitates monachorum. Tardius ad opus venientis pœna erat in proxima synaxi se humi prosternere, quoad ipsum Abbas assurgere iussisset. Si quis ad opus aliquod se intrusisset, aut absque maphorio laborasset, carebat eulogijs, hoc est, benedictis obsonijs, quæ vel ante vel post mensam fratribus distribuebantur. Qui alteri clam aliquid fecisset, tamquam fur habebatur. Instrumenta operis ut anathemata DEI tractanda erant. Privata auctoritate vel unum comparare, vel cum altero commutare, nefas censebatur. Si quod fortè neglectum iacebat, à proximo levandum erat. Si quis unum amisisset, puniebatur instar sacrilegi. Superbi & contumacis notam ferebat, qui unum ad opus absque licentia accepisset. In summa: Sacrosancta obedientia ita antecedebat, & comitabatur omne opus monachile, ut piaculum esset vel propriam tunicam, aut intimum vestimentum lavare, nisi prius obtenta fuisset facultas.

S. Basil. instit. mon.
S. Ephr. de hum. acq. c. 42.
Reg. Pachom.
S. Basil. de pœnit. c. 2. fol. 731.
Idē reg. brev. 142. 143. 144 & in fusior. 41
Idem de pœnit. sup. n. 24.



EPISTOLA LXXVIII.

Cur sancti patres voluerint monachos laborare manibus.



Am sancta congregatio non est, quin subinde excludat malos. Inter tot monachos operantes manibus mirum videri tibi non debet, si reperti sunt ignavi detrectantes laborem. Euchitæ suam inertiam tegere voluerunt umbraculo Evangelij, *Oportet semper orare.* Et, *respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neq; metunt: considerate lilia agri, non laborant neq; nent.* Accessit his quidam scholasticus apud S. Isidorum Pellusiotam suggillans laborem manuum ut probrosum. Nonnulli ut à laboribus eximios se facerent, ex cœnobijs secedebant in solitudines, expectantes cum Israëlitis manna de cælo, aut vitam sperantes Angelicam, sicut Joannes Nanus. Alios carpit S. Ephraim dicens: *Noli detrectare laborem inquiens, Ne forte inde infirmitatem contraham. Potius considera quo pacto sancti omnes perpessionibus atq; ærumnis grati acceptiq; evaserint Deo.* Monachus piger, nec sibi nec proximo utilis est.

Theodoret. l. 4. hist. Eccles. c. 10. S. Epiphan. hæres. 80. Luc. 18. Matth. 6. S. Isidor. l. 1. epist. 470. S. Ephr. epist. ad Ioan. Paschas. l. 10. n. 27. S. Ephr. in Proverb.

S. Ivo auream scripsit de virginibus epistolam. In hac ait: Oportet ut semper sitis intenti orationi, aut lectioni, aut operi, ut diabolus vos inveniat occupatos: Iste enim mos legitur fuisse in monasterijs Ægyptiorum, ut neminem reciperent, qui nollet operi operam dare, non tam propter necessitatem, quàm propter vitandam ociositatem, quæ inimica est animæ. Relinquendum est autem Superioris arbitrio, an novitij statim sint applicandi ad perdiscendas artes, ut existimat S. Basilius. Hoc absque controversia est, Laborandum esse monachis ut saltem vitetur ocium; quia numquam aliquid boni docuit ociositas; regitur enim à pessimis magistris. Apud Ægyptum, inquit Cassianus, ab antiquis patribus est sancita sententia, *Operantem monachum dæmone uno pulsari: ociosum verò innumeris spiritibus vastari.* S. Climacus ait: Cum vellem his, qui juniores adhuc erant, corporis opus in collectis aliquando interdicere, continuit me, qui arenam in pallio tota nocte ferebat. Macarius Alexandrinus erat, ocij etiam nocturni hostis.

S. Ivo ep. 10. S. Hier. ep 4. S. Basil. reg. brev. 105. Cassian. l. 10. insti. c. 23. Climac. gr. 27. Pallad. in Macario. fin.

S. Epiphanius scribit suo tempore multos Episcoporum laborasse, cum ut vitarent ocium, tum ut ne onerosi essent ijs, quorum

S. Epiph. sup.

Digitized by Google

quorum decimis & oblationibus alioquin victitare debuissent. Laborantibus ergo Episcopis ocientur monachi? Ovvinus aulæ Præfectus Edildridis Reginæ Angliæ relictis omnibus in habitu simplici cum securi & ascia ad monasterium venit, significans evidenter non se ad ocium, sed laborem venisse. S. Willibaldus adhuc monachus secundum morem Ordinis frequens erat in opere manuali, frequentior in lectione, frequentissimus in oratione, ne diabolus eum ociosum inveniret: sciebat namque scriptum in regula, *Quoniam ociositas inimica est animæ.* Et rursum: *Ociositas & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas decipiendas.* Vnde S. Epiphanius, ait, Monachos sua ætate abnegato sæculo faciles artes, & minus negotiosas exercuisse & propter ocium, & ne vel panem cum alterius onere manducarent. Pelagius idcirco veteres monachos laborasse dicit, ne locum inveniret diabolus apud ociosos. Numquam non multam malitiam peperit ociositas, cuius vitandæ gratia Rex Pittacus Mitilinæus pistrinum suis manibus extruxit atque versavit, & teste S. Augustino quondam multi philosophi fuêre sutores, Patriarchæ pastores, & Ioseph Christi nutritor faber, usque adeo non probrosum est laborare: quo enim gladio validius conficitur infensissimus perfectionis religiosæ hostis, videlicet ocium & acedia mater eius? labore manuali frater ille in Cellijs fugavit carnis tentationes, castitatemque promeruit. Quippe magistro Abbate Pastore didicerat laboribus mitigari æstum libidinis, nulli familiariorem quam ociosis.

V. Beda l. 4. hist. Angl. c. 3

Philip. epis. Aichestet. in vita.

S. Bened. reg. c. 48.

S. Epiph. exposit. fid.

Pelag. l. 10. n. 108.

S. Isidor. sup. ep. 470.

S. Aug. l. de oper. monach c. 13.

Cassian. sup.

Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 15

Ibid. n. 16.

Sancti Patres monachos ad opera manualia valde impulerunt ab exemplo S. Pauli. Doctor Gentium ne gravaret alios, & simul effugeret acediam, ut Cassianus existimat, pro temporis opportunitate exercuit artem scenofactoriam. *Nocte & die,* inquit, *operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Et iterum: *Neq. gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione.* In actis ait: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Tantus Apostolus operatur manibus, ut fuget acediam, ne sumptibus alios gravet, & panem cum suis gratis comedat, & Monachus in cella putrescat inertia ac distendatur somno, & panem aliorum mala fide devoret? Nam sana sententia illius Monachi apud Socratem est, qua dicit, *Monachum si non laboret pro fraudatore habendum.*

S. Aug. sup. c. 3. Isid. & Cassian. cit.

1. Thessal. 2.

2. Thessal. 3.

Actor. 20.

Socrates l. 4. hist. c. 12.

Pallad. de Pach. c. 38. *bendum.* Unde & Angelus Pachomio præscribit: *Secundum quod quilibet se reficit in mensa, secundum id laborare iube,* Itaq; plus comedens quàm laborans fraudator est, immò servus nequam: nam frater quidam iactis principijs in cœnobio impugnabatur à cogitationibus propter laborem, & respondit dicens: *Serve nequam, venditus es, & quid poteris efficere amplius?* S. Franciscus eiusmodi maleferiatos fratres, *muscas* appellavit, ut qui delectentur suctu alieni sanguinis.

S. Ephr. de humil. aeq. c. 19.

S. Bonav. in vita.

Proverb. 6. Sapiens mittit inertes ad formicas, ut earum exemplo discant laborare, & futuris necessitatibus prospicere. In quem modum, ait S. Augustinus, laborabant Monachi suis manibus, & inde se transigebant, non avarè aliquid petentes. Omnibus hoc solemne erat, antequam cœnobia suos redditus haberent. Quin etsi forsan aliunde necessaria suppeterent, nihilominus manus eorum in cophino serviebant. Si habeo, inquit frater quidam ad Abbatem Pisteramonem, quod sufficiat necessitatibus meis aliunde, videtur tibi ut non cogitem de labore manuum? Respondens senex dixit: Quantumvis habeas, non negligas operari, & quantum potes fac, tantum non cum turbatione animi: nam juxta S. Basilium murmurantium labores inter reliquorum fratrum opera non annumeranda sunt.

S. Aug. exposit. psal. 99.

Pelag. l. 6. n. 11.

S. Basil. reg. fusior 29. 51.

S. Isid. cit. Quamobrem etiam à fratribus monasteriorum locupletium laborandum est, quantumvis sancti sint. Optimè Pelusiota: Nec à Christo factum, inquit, nec à Paulo sapiente doctore observatum est, ut monachi etsi præclarè vivant, inertia torpescant: nam illum & vineam & operam, laborem ac mercedem docuisse novimus: hunc autem iussisse manibus operari, ut nullius auxilio indigeremus, & alijs de causis quas antè memoravi. Et quantum sit Monachos sollicitare ad laborem, cum Clerici in Concilio Carthaginiensi iussi sint artificiola discere & litteras, absque officij tamen sui detrimento? In Turonensi II. ipsi Episcopi dicunt: *Cum iubeamur victum aut vestitum artificiolo quærere, & manibus proprijs laborare.* Et certè videmus adhuc hodie in Clericorum Monasterijs diversas officinas, quibus se fratres suo tempore varijs artibus mechanicis honestissimè exercent, quando pausare volunt tantillum à studio litterarum.

A. D. 398. can. 51.

A. D. 570 vel 567. can. 10.

Cassian. l. 10. instit. c. 24. Cassianus narrat Abbatem Paulum in vastiore eremo, quæ Porphyrio vocabatur, sustentationem suam habuisse ex palmarum

marum fructibus, & modico horto, quem proprijs manibus coluerat; nec tamen ab alijs operibus quieviſſe, licet ab oppidis per ſeptem manſiones diſtantia loci ſeparatus extiterit, qua factum ut labores vendere non potuerit: amplius enim vectura conſtitiſſet, quàm ipſum opus laboris. Et hunc ſanctum virum, ait, nihilominus quotidianum penſum collectis palmarum folijs operando feciſſe, totumq; per annum accumulatum concremaſſe. Siquidem in tantum probavit ſine opere manuum, nec in loco poſſe Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conſcendere, ut cum hoc fieri nequaquam neceſſitas victus exigeret, pro ſola purgatione cordis, & cogitationum ſoliditate, ac perſeverantia cellæ, vel acediæ ipſius victoria, & expugnatione perficeret.

Non una proinde cauſa laborandi eſt. Alibi tradit Monachos laboraſſe, ut & ſuis, & advenientium neceſſitatibus conſulerent, vel ſaltem ex labore humiliarentur. S. Baſilius in inſtitutionibus monaſticis idcirco cenſet Monachum ad labores adſtringi, ut primò ſatisfaciat Apoſtolo præcipienti panem ſuum operando manducare. Item legi divinæ, qua iubemur in ſudore veſci pane noſtro. Denique ad cavendas diſtractiones & querelas, quæ facilè contingerent monachis, ſi propter cibos conquirendos per urbes & villas paſſim cogerentur evagari. Quare cenſet eos domi in monaſterijs, non extrà laborare debere. In regulis fuſioribus fratres laborare iubet non ut ſatisfaciant privatæ, ſed neceſſitati communi & pauperum, implendo præceptum Chriſti, *Eſurivi & dediſtis mihi manducare*. Nam propriæ neceſſitati velle conſulere, eſt & contra mandatum Domini, inquit, quo dicitur, *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis*, & philautia. Unde rectè frater quidam dixit, Precabar Deum, ut gratiam largiretur operi manuum mearum; totumque ex eo cœnobium nutriebatur. Nonne gaudium mihi in hoc erat? Quod ad finem Wicleffus labores à religioſis exigit, ne mendicent, hæreſin propinat, qua docuit illicitam eſſe religioſam quorumdam Ordinum mendicationem.

Idem l. 2. c. 3. S. Baſil. t. 2. fol. 393. Idem reg. fuſior. 42. Matth. 25. Luc. 12. S. Ephr. ſup c. 13. Concil. Conſtant. ſeſſ. 8.

S. Antonius Angelico viſu didicit ſibi manibus eſſe operandum. Cum enim in principio ſuæ converſionis in eremo aliquando ſederet obnoxius torpori, atque implicatus varijs cogitationibus ſic ad Deum locutus eſt. Domine cupio ſalvari, & non me ſinunt cogitationes improbæ. Quid agam in tribula-

S. Ephr. in apophth. SS. PP. c. 1.

tribulatione mea? Quo pacto salutem consequar? Paululumque foras digressus vidit quemdam tamquam seipsum sedentem & operantem, ac deinde cessantem ab opere, & orantem, rursumque considentem, & catenas operantem atque iterum opus suum relinquentem, atque orantem: erat autem Angelus Domini ad dirigendum, instituendumque ac protegendum Antonium missus, à quo & audiebat. *Sic fac & vives.* Quo audito valde gavisus est, confidensque sic faciebat & salvabatur.

Reg. S. Ben. c. 48. Sicut Antonius labori intermiscuit orationem, sic S. Benedictus lectionem. Certis inquit, temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis iterum horis in lectione divina. A Pascha usque ad Cal: Octobr. ab hora prima manè laborent ad quartam quod necessarium fuerit. Inde ad sextam id est ad prandium legant. Post refectionem in lectis pausent, vel legant. Mediante horâ octavâ dicatur Nona, post quam ad vesperam laborent. Si necessitas aut paupertas cogit fruges colligere per se, non contristentur; quia tunc verè sunt monachi, si labore manuum suarum vivant, sicut & patres nostri & Apostoli. A Cal: Octob. ad caput Quadragesimæ à prima manè ad secundam legant: inde dicatur Tertia, à qua ad Nonam laborent quod eis injungitur. Post refectionem legant. In Quadragesima à prima manè ad tertiam legant, inde usque ad decimam operentur. Dominica die lectionibus vacent.

Pelag. l. 10. n. 17. Simile Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 55. Labor, oratio, lectio funiculus triplex admodum pulcher & validus. Quisquis eum apprehenderit, facillimè trahetur in cœlum. Ioannes Colobius tœdio laboriosæ vitæ affectus secessit in eremum, soli contemplationi operam navaturus. Sed effectus eius simplicitatem castigavit: carnalis natura & Angelicam exclusit, & esuriem induxit. Pœnitentia ergo ductus bene famelicus ad fratrem repedavit, à quo cum irrisus ac refectus esset

De hinc rastellum brachijs tentat movere languidis.
Castigatus angustia de levitate nimia,
Cum Angelus non potuit, vir bonus esse didicit.


Post hymnum de nativit. Christi fin. epp. Ut de ipso poëtatur Fulbertus Episcopus Carnotensis.

S. Ephr. in Proverb. fol. 513. Denique noveris eam apud antiquos fuisse discretionem, ut senibus pepercerint. *Senes*, ait S. Ephraim, *ad opus ne compellas: nam carnes juventutis suæ in exercitatione attriverunt.* Accedit quòd senes plerumque in alia significatione laborent: morbis

bus enim ut plurimum obnoxij ſunt, cujus rei vivum tibi experimentum præbeo, qui pedibus ac manibus penè laboro jugiter. Si laborem hunc clarius intelligere cupis, *chiragra* vocatur & *podagra*.

EPISTOLA LXXIX.

Quibus laboribus monachi operam navarint.



Ertos labores præſcribere monachis difficile eſt, ait S. Baſilius, Propter diverſas diverſorum locorum negotiationes & commercia. Generatim tamen ij præferendi ſunt, qui mentem minus diſtrahunt, quorumq; materia facilius comparatur, & opus abſq; ſingulari negotio poteſt diſtrahi, nec indigent virorum feminarumq; exterarum indecoro, nocentiq; congreſſu. Simplicitatem, tenuitatemq; ſemper ante oculos habeamus, longeq; abſit, ut inordinatis hominum cupiditatibus laboribus noſtris ſatisfaciamus. Itaque in textura ea operemur, non quibus à laſcivis capiuntur animæ; ſed quibus ſatisfit communi ac quotidiano uſui. Similiter in ſutoria ſola quæratur neceſſitas. Ars ædificatoria, lignaria, æraria, item agricultura vitæ ſunt pernecеſſariæ, & utiles: non ergo reijciendæ, niſi cum quietem interturbant, aut conjunctionem diſtrahunt, & tunc declinemus eas præferentes quæ magis nos ſervant in tranquillitate mentis, à quibus facilior ad DEUM acceſſus, minor à pſalmodijs, orationibus, & alijs ſpiritualibus exercitijs fit abſtractio. Quæ ubi ſunt, longè reliquis anteferendæ ſunt, maximè agricultura, per quam ſponte victus naſcitur, evagatio & diſcurſus magis evitatur, niſi vicini & accolæ perturbationes ac tumultus excitent.

S. Baſilius reg. fuſior. 38.

Hæc præcepta, Joſippe monachi quamplurimum obſervarunt, eos ſibi labores præ alijs deſumentes, in quibus mentis tranquillitas, innocentia, ac ſancta paupertas inerant. Arabant, ſerebant, metebant, fruges colligebant, vineolas & terrulas excolebant, olera, arbores & hortos plantabant, ſarriebant humum, apum fabricabant alvearia, agriculturam exercebant, maximè in eremo Calami ſeu Porphyrionis. Ægypti monachi penè omnes in æſtate ſuam operam elocabant ad meſſem. Panopolitani omnem artem exercebant, ſic ut ipſorum alij cu-

Concil. Later. A.D. 1130. c. 11. Greg. Turon. vitt. PP. c. 5. Concil. Aquiſgr. A.D. 817. c. 17. Concil. Aurel. I. A.D. 511. can. 25. Vita S. Hilarion. Et S. Antonij S. Hier. ep. 4. ad Ruſtic. Caſſian. collat. 24. c. 4. Ruffin. l. 1 vitt. PP. c. 18. Pallad. Lauſ. c. 39.

rarent in culina, alij in parandis mensis, alij occuparentur in colendis agris, alij in hortis, alij in pistrinis, alij in officina æris, alij in fabricando, alij in arte fullonia, alij in parandis corijs, alij in consuendis calceis, alij in pulchrè scribendo, alij denique ædificabant monasteria feminarum, aut contexebant sportas maiores, vel minores, quas μαλάκια appellabant, & nequaquam fuerunt molles & exquisitæ vestes muliebres, ut putat Meursius, Quid enim monachis cum ejusmodi vestibus? Legisset S. Ephraimum, & inter monachorum labores reperisset sportulas exiguas, quæ dicuntur μαλάκια, inquit, sicut faciunt Brengcarij. In vita S. Sabbæ nominantur μαλάχια, sportæ ex ramis palmarum, quos diebus Dominicis secum deferebant ad cellas, ut materiam haberent per hebdomadam laborandi.

Meursius in Lexico. S. Ephr. paræn 47. Apud Metaphr.

Labores Essæorum alibi descriptos non repeto, duri fuerunt, sed innoxij: nam omnibus ab initio monachis decretum erat, ne suo vel cum alterius damno operarentur. Hinc S. Basilius ea vult opera suscipi, è quibus nullum lucrum cauponarium capitur, nec distractio, sed quæ intra lares queant absolvi; quod si tamen necessitas urget laborandi sub dio, nec hoc, inquit, philosophiæ nocebit: studioso namque philosopho suum corpus pro phrontisterio est. Et licet fortè forum obeat, aut nundinas frequentet, aut per montes vagetur & urbes inter frequentissimam multitudinem, ille tamen in naturali suo monasterio animæ, tamqam in securissimo diversorio residens mente collecta philosophatur decentia. Sanè enim ut is, qui cellæ suæ inclusus est, mente evagari foras potest, ita & is, qui medio in foro consistit, velut in eremo sit, sibique Deoq; potest intendere exclusis vigilantissima sollicitudine cunctis rebus sensibilibus, quæ animum solent perturbare.

Epist. 13. S. Basil. constit. mon. c. 5.

Syriæ ascetarum labores erant funiculos efficere, sicut nautæ in mari, linum operari, & lintea, & carbasa, vela quoque navium, antennas, opera vermiculata, canistra, thecas, peras, storeas, seu mattas, aut psiathia magna & parva, quod Ægyptij quoque cum Pachomianis faciebant, apud quos è Nilo copia erat scirporum seu juncorum, ex quibus mattæ fiebant, unde legimus in Pelagio. *Incidere scirpum ad mattas.* Atq; ex eisdem scirpis erant etiam monachorum sedilia, ligata in modum fascis. Prærerea *fiscellas iunco texebant*, ait S. Hieronymus, *& canistra lentis plectebant viminibus.* Et quia regio palmis undique abundabat, accipiebant inde tam folia, quàm surculos,

S. Ephraim sup. Et in vita Iuliani. Vita S. Pachô. Pelag. l. 11. n. 51. & l. 18. n. 3. S. Hieron. ep. 4.

surculos, & ex ijs faciebant sportellas, immò & sportas maiores, sic tamen ut ex folijs nonnisi minores, seu malacia fierent; ex surculis verò seu viminibus plectebantur grandiores, ubi necesse erat, ut prius in aqua maceranentur, ut in omnem partem flecti possent, & tunc primo faciebant plectas, seu catenas aut cingula quæ Græci σειρὰς vocant, & ex plectis sportas. Sic de B. Arsenio legis, *Plectam de palmis faciebat*, & cusabat usque ad horam sextam: Et in Pelagio, *Palmas incidere ad plectam.* Et, *ex scissis palmulis facere plectam.* Atque iterum: *Infundere palmulas, sedere & plectas facere.* Moyses plectas ex papyro fecit in modum arcarum, eas complens ibicibus contra serpentes in sua expeditione Æthiopica. Ex siccis palmarum folijs monachos effecisse sportellas Ruffinus, Sozomenus & Pelagius tradit: neque enim ut surculi indigebant rigatione, utpote per se flexibilia.

Pelag. l. 4. n. 5. & 10. Idem l. 7. n. 27. & l. 11 n. 51. Ioseph. l. 2. antiq. c. 7. Ruffin. sup l. 2 n. 39. Sozom. l. 8. c. 12. Pelag. l. 5. cit

Pachomiani præter psiathia faciebant cilicia & sedilia. Sociorum S. Romualdi alij nebant, alij cochlearia faciebant, alij nectebant retia, quod pluribus consuetum erat. Hinc S. Hieronymus inter opera monachorum numerat *lina texere capiendis piscibus*, & docente Pelagio novimus veteres monachos sagenas fecisse ad piscandum. Sic Naucratius frater S. Basilij solebat piscari & fructu laboris alere monachos egentes. Retibus nec aves nec feras capiebant, ut qui nec domesticam carnem noverint. S. Bruno volebat suos conscribere libros utilissimo & antiquissimo labore. Sic refert de S. Martini cœnobio Severus, *Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur.* S. Hieronymus quoque libros conscribere monachorum opus esse dicit, & Gerhohus Reicherspergensis suis canonicis certas horas designavit, quibus libros exararent. Denique S. Ephraim inter opera fratrum recenset, pulchrè & eleganter scribere, punctis distinctum opus efficere, hoc est scripta interpungere, chartam coccineam facere. B. Leobardus in hanc rem faciebat membranas. Qui legere ac scribere nesciebant, id certis horis discebant, vel exercebant ea quæ foris didicissent, aut sibi vel alijs vestimenta faciebant, aut ædificabant cellas. Ita S. Basilius suo Gregorio in memoriam revocat, quo pacto in eremo simul operati sint, quomodo proprijs manibus terram egesserint, arbores plantarint, & locum monasticis habitationibus aptaverint. Et quanto corporis labore monachi S. Martini saxum ad

Vita S. Pach. c. 7. 14. Petr. Damian in eius vita. S. Hieron. sup. Pelag. l. 10. n. 14. S. Greg. Nyssen. de S. Macrina. Surius in eius vita Sulpit. vitâ S. Martini. c. 7. S. Hier. ep 4. Gretser in eius vita. S. Ephr. paræn 47. S. Greg. Turon. c. 11. vitt PP. S. Ephr. paræn 28. S. Hieron. ep. 27. S. Basil. ep. 12. & 13.

Ligerim cavarunt, ut haberent cellas ad receptacula? neque enim semper fiscellas iunco texebant, aut cribra, vel cum S. Didaco vascula ex junipero faciebant, & exigua salina, sed teste S. Chrysostomo dimittebantur ad opera duriora & viliora, quàm rustici. Certè Sulpitius narrat se in extrema ora Cyrenorum monachum senem & presbyterum invenisse, qui molam proprijs manibus verterit. Et S. Ephraim ait, *Qui Dei causa in cœnobio laborat, neq; secessum purgare aspernabitur: non est, enim, inquit, quod ægrè ferri à pijs oporteat.* Sanè Archangelus Capucinus captata occasione locum illum mundare clam solebat. Quare P. Antonius à Maraddo ex eadem familia per mensem in sepulchro fratrum suum purgatorium in gravissimo fœtore cadaverum subire debuit, quod vivens ægrotorum matulas & scaphia purgare nausearit.

Sulpit. sup. Paschas. c. 5. n. 3. Petrus Galen vità S. Didaci S. Chrysost. l. 2. adu. vitup c. 3. Sulpit. dial. 1. c. 2. S. Ephr. in proverb. fol. 529. In vita Faustin. Diest. c. 18. Bover in annal A. D. 1579.

Et quamvis sanctimoniales plerumq; vel cum S. Photina lanam operabantur, vel, ut ait S. Augustinus, lanificium exercebant, quo monachis succurrerent, à quibus ipsæ vicissim accipiebant victum; suis tamen temporibus ad duriora compellebantur, nempe ad mundandum triclinium, ad sternendos lectos, ad ferendam aquam in culinam, ad findenda & portanda ligna, ad fermentandum farinam, ad pinsendos panes. Candida apud Palladium ad oblationes Missarum eos coquebat. Nostræ moniales plerumque operantur in lino, aut sua industria ornant altaria & sacra lipsana Monachorum denique labores manuales ferme cessarunt, conversi in studia litterarum, ad quæ ipsos impellit clericatus, & amor proximi.
Et quid ni præferatur pius doctor pio
sutori?

Metaph. in eius vita. S. Aug. l. de morib. Eccl. c. 31. Vita S. Euphras. Pallad. c. 79.



EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA LXXX.

Quomodo monachi olim suos labores distraxerint.

MOnachi Josippe, non semper in eremis habuêre emptores; quare necesse erat eos frequenter cum suis mercibus ire ad civitates & nundinas: At quia per experientiam noverant, hos excursus non rarò lapsus causasse (ut in specie narrat Ruffinus & Pelagius) vel certè mentis distractiones, S. Basilius censet potius aliquid esse remittendum de pretio, si opera possent vendi in ipsis monasterijs, quàm ob exiguum lucrum suscipere peregrinationes, & temerè se periculis obijcere. Quod si tamen, inquit, experientia sit non posse distrahi nisi in publicis nundinis, tunc ex pluribus locis simul eant, atque in via psalmos, orationes, & reliqua peragant, ac si domi essent. Denique in loco nundinarum uno in diversorio habitent securitatis causa, ibiq; tam nocturnas, quàm diurnas synaxes celebrent, vitatis congressibus hominum fraudulentorum & noxiorum. Subiungit autem omnino se vetare, ut monachi ad eas nundinas eant, quæ celebrantur in festis SS. Martyrum, cum his diebus potius domi incumbendum sit sacris exercitijs. Lucra καπηλικά seu cauponaria in contractibus monachi summopere vitabant. Unde & S. Benedictus à suis exigit, ut labores vilius vendant, quàm homines profani.

Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 12. Pelag. l. 5. n. 41. S. Basil. reg. fusior. 39. n. 40. n. 44. S. Bened. reg. c. 57.

Quidam frater vadens in mercatum interrogavit Abbatem Pœmenium seu Pastorem dicens: Quomodo vendam opera mea? Dicit ei senex: Ne velis aliquid super quod valet vendere; sed magis si gravaris, esto amicus ei, qui tibi violenter plus tollit, & cum requie vende. Ego enim aliquando vadens in mercatum, numquam volui de pretio operis mei plus iuvari, & fratrem meum gravari, hanc habens spem, quia lucrum fratris mei opus fructificationis est.

In append. vitt. PP. Kosweyd. n. 5.

Abbas Agathon volentibus emere opera manuum suarum cum requie vendebat: pretium autem erat, cribri quidem nummi centum: sportellæ verò ducenti quinquaginta: & volentibus comparare dicebat pretium, & quidquid illi dedissent suscipiebat tacens, nec aliquando dinumerans. Dicebat enim: Quid mihi prodest concertare cum illis, ut illi peccent forsitan

Paschas. c. 3. n. 3.

jurantes & quando superfuerint nummi erogem illos fratribus? Sed quia DEUS non vult hujuscemodi eleemosynam à me, neque illi placet, ut aliquem permittam in sacrificando peccare. Et dum illi frater diceret: Et panis in cellam unde venturus est? dixit ei: Quid enim panis hominum in cellis?

Pelag. l. 6. n. 11. Frater quidam Abbati Pisteramoni dixit: Quid faciam, quoniam durum est mihi vendere, quod manibus meis laboro? Et respondens dixit: Quia Abbas Sisois & ceteri vendebant opus manuum suarum: hoc enim non lædet. Sed quando vendis, semel dic pretium speciei quam distrahis. Et si vis relaxare modicum pretij, in te est: sic enim & quietem invenies.

Quàm procul aberat ab his hominibus omnis species avaritie! Nec mirum; quia nihil sibi reservabant in futurum. Quod supererat necessisati, cedebat in sustentationem egenorum, peregrinorum, incarceratorum per urbes, & famelicorum per steriliora loca Lybiæ, ut Cassianus scribit. Certis per hebdomadam diebus concurrentibus pauperibus distribuebant larga manu, quidquid habere poterant, quàm eleemosynam vocabant *Agapen*, quia ex charitate procedebat. Pro viribus & quantitate lucri misericordia erat; sic ut integras etiam naves oneratas ad hoc emitterent, ut refert S. Augustinus. Solitarij etiam suo modulo cœnobitas æmulabantur. Pambo suo labore lucrabatur in dies duas siliquas, ex quibus quod victui supererat, dabat egenis. Alius ex quotidiano lucro quotidie ponebat ad cellæ ostiolum duos nummos, tamquam escam pauperi transeunti. Censebatur pusilli cordis, maliq; exempli esse, in crastinum aliquid reservasse. Nec hoc umquam bonum sortiebatur exemplum. Jn quem finem seniores junioribus de hortulano solebant referre, quod multum de suo lucro reposuerit, in futuras necessitates. At misero tandem pes ita computruit, ut coactus fuerit cuncta in medicos erogare. Hoc præmium tulit inanis sollicitudo de crastiuo. De eius terribili judicio ac damnatione, qui centum solidos de lucro laboris collectos moriens dereliquerat, pridem ex S. Hieronymo tibi recensui. S. Serapion monachum graviter objurgavit, quod ex residuo labore sibi libros coëmerit: dicebat enim eum tulisse, quæ erant viduarum & orphanorum. Sic instar rapinæ erat, si quid ex lucro superfluum non dispensabatur pauperibus. Sed ad lineam me revoco.

Cassian. l. 10. instit. c. 24 Rosw. in Onomast. V. Agape.

S. Aug. l. de morib. Eccl. c. 31. 32.

Pelag. l. 10. n. 65

Idem l. 12. n. 9.

Idem l. 6. n. 21 & l. 7. c. 29.

Epist. 33. sup.

Pelag. l. 6. n. 32.

Magnus

Magnus Baſilius judicat, in caſu quo vna fraternitas alteri rem vendit, ne venditor quærat hinc lucrum, emptor in ſolvendo dolum. Quamvis, inquit, melius eſſet, ut quo unum cœnobium abundat, id alteri ſi gratis tribueret. Sanctum conſilium, ſed longè à praxi. Vitetur ſaltem avaritia, & ira ex contentione. Pulchrum eſt quod de Abbate Siſoë legitur. Is cum in venditione ab ira ſe tangi ſentiret, dimiſſis omnibus ſportellis fugit: cenſebat enim melius eſſe ſportellas, quàm mentis quietem perdere. quod ſi ſemper obſervatum fuiſſet, S. Benedictus non tangeret fratrum quorumdam infidelitatem, monendo, ne venditores fratres de pretio quid contra conſcientiam ſuffurarentur in modum Ananiæ & Sapphiræ. Vereor ut hanc optimam legem mali mores poſuerint. Expeditus ille ſenex fuit, qui quidquid cum diſcipulo de opere manuum lucrabatur, nec reſervabat in poſterum, nec erogabat in pauperes, ſed abſumebat vino.

S. Baſil. reg. fuſior. 285.
Paſchas. c. 37
S. Bened. ſup.
Pelag. l. 16. n 18.

EPISTOLA LXXXI.

De ſchola Alexandrina primis Eccleſiæ temporibus.



Manuum ad capitis labores aſcendo. Pridem in ea ſententia eras, *Monachorum non eſſe docere.* Et memini hoc ipſis ex S. Bernardo aliquando publicè objectum, cum Salisburgenſem ſcholam ſuſciperent. Ad quod reſponderunt ſe docere non quà Monachos, ſed quà Clericos. Facilius ſe expediviſſent, ſi dixiſſent, nihil eſſe antiquius in Eccleſia, quàm quòd Monachi in ſcholis iuventutem inſtruxerint. Non legiſti Euſebium? Hic ait ab antiquiſſimis temporibus Alexandriæ per Chriſtianos excitatam fuiſſe ſcholam, in qua tam viva voce, quàm ſcriptis explicatæ fuerint ſacræ litteræ. Huius ſcholæ fundamentum poſuerunt Eſſæi, nempe Monachi à S. Marco inſtituti, ut alibi aperui. Hi enim, teſte Ioſepho & Porphyrio, Chriſtianorum liberos adhuc teneros ac molles ſuis inſtruxêre diſciplinis ac moribus, non minus ac ſi ipſorum eſſent. Inde enata eſt ſchola publica, quam plerumque rexerunt qui tunc dicebantur Chriſtiani philoſophi, ex quorum converſatione conſtat veriſſimos fuiſſe Monachos. Horum primum invenio fuiſſe Pantænum regnante Commodo, virum etiam in externa Philoſophia celeber-

S. Bern. ep. 89.
Euſeb. l. 5. hiſt. c. 9. & 10
Epiſt. 14.
Ioſeph. l. 2. de bello c. 2. Porphyr. l. 4. de abſtin.
Euſeb. l. 5. c. 10.

Orig. in ep. apud Euseb. l. 6. c. 2. & 6.

celeberrimum, qui & amore Salvatoris usque in Indiam peregrinatus est, ut veram pietatem ac sapientiam Gentibus instillaret.

S. Athan. in decret. syn. Nicæn. f. 42

Clem. l. 1. strom. f. 274. f. 276.

S. Epiph. hær. 32. n. 6.

f. 315.

f. 358.

l. 2. strom.

S. Athan. sup.

Huius successor fuit Clemens, quem inde communiter *Alexandrinum* appellamus. S. Athanasius à divinarum rerum cognitione eum nuncupat *Theognosticum*, virumque eloquentem & admirabilem: nam planè admiranda sunt quæ scribit, maximè in libris stromatum, ubi enumeratis illis magnis viris Apostolorum immediatis successoribus ac discipulis, quos coràm ipse viderit & audierit in Oriente, Græcia, Italia, Cœlesyria, Palæstina, subjungit se ijsdem in libris scribere, quæ perceperit ab illorum magnorum uno, quamvis ea nequeat eo spiritu proferre, quo ab illo prolata sunt. Tametsi autem non incredibili quorumdam apud S. Epiphanium opinione fuerit Atheniensis; Græcam tamen philosophiam, quæ potius consistebat in verbis quàm factis, consectatus non est, sed barbaram, nempe ut ait lib: 2. Stromat. absconditam illam ænigmaticam, & symbolicam, adeoque utilissimam, & ad cognitionem veritatis maximè idoneam, ut quæ consistat in factis & operibus, sitque Græcâ longè antiquior. Hanc, inquit, barbaram Philosophiam, utpote veram & omnino perfectam sectamur & nos. Ad quam etiam facilius consequendam continentiam adhibuit ac paupertatem, res ad perfectam Philosophiam in tantum necessarias, ut dixerit facilius esse camelo per foramen acus transire, quàm cum divitijs hominem philosophari. Qua de causa à S. Athanasio *Spudæus* appellatus est, quo nomine priscis temporibus Monachi veniebant, ut ex me dudum intellexisti.

Epist. 7. Ex Clem. l. 2. strom. Apud Euseb. l. 2. præparat. Evang. c. 2.

Clem. l. 1. cit f. 315. Socrat. l. 2. hist. c. 35.

Quomodo autem Alexandriam ad Pantænum venerit, ipse exponit dicens: Se stimulis agitatum veritatis totum penè orbem pervagatum, ut viros Apostolicos audiret, quorum Philosophiam tamquam unicè veram ex factis iam agnoverat, demum se venisse Alexandriam, ubi unum repererit (Pantenum scilicet) cunctis præstantem, cuius etiam amore in Ægypto permanserit, factus strenuus sectator non modò doctrinæ, sed etiam eius sanctissimæ conversationis, ut pridem esse petierat seipso teste, adeò ut hunc virum nemo umquam suggillarit præter hæresiarcham Aëtium.

Defuncto Clemente catecheses Alexandriæ docuit Origenes, cuius ingenium, & verè monasticam conversationem

nemo

Digitized by Google

nemo ſatis mirabitur. Natus eſt A. D. 183. imperante Commodo. Patrem habuit S. Leonidem, qui Severo perſequente Eccleſiam martyrium fecit, cum Origenes nondum expleſſet ætatis annum ſeptimum decimum, martyrij cupidiſſimus. Sed uſque ad ſanguinis profuſionem venire non potuit; multa tamen mala tam ſub Severo, quàm Decio perpeſſus eſt à fidei noſtræ hoſtibus. Idem c. 39. c. 6.

In ætate parvula duobus à patre præceptoribus eſt traditus; Clementi, à quo in Philoſophia Christiana, & Am̃onio, à quo inſtrueretur in externa. Credo quod S. Leonides Clementis ſententiam perceperit, quâ præcepit, ut pueri mitterentur ad ſcholas philoſophicas, quò ſimel eſſent & pueri & ſenes. Ammonio facit injuriam apoſtata Porphyrius, dum eum dicit à Chriſtiana fide defeciſſe, poſtquam ſe tradidit externæ Philoſophiæ. Magis credendum Euſebio eſt, qui tradit Ammoniũ τὰ τῆς ἐνθέου φιλοσοφίας ἀκέραια, κ̀ ἀδιάπτωτα μένεις ἐσχάτης τοῦ βίου τελευτῆς ſervaſſe divinæ Philoſophiæ præcepta & inſtituta ſalva & integra uſque ad extremum vitæ. Clem. l. 4. ſtrom. f. 501. Euſeb. cit. c. 19.

Sub his duobus magiſtris ita profecit Origenes, ut & patri ſæpius admirationi eſſet, & eo defuncto publicè doceret Grammaticam. Verùm tantæ indoli debebatur altior cathedra. Quippe nactis ex officio docendi ſumptibus, cum non inveniretur, qui catecheſin in ſchola Chriſtianorum doceret (nam omnes à perſecutoribus pulſi erant) anno ætatis octavodecimo Demetrio Epiſcopo volente catecheſcon ſcholam regendam ſuſcepit. Idem c. 2.

Confluebat ad eum innumera multitudo diſcipulorum, quorum duo primi Plutarchus eiuſq; frater Heraclas, ille martyr, hic Epiſcopus & Origenis antè ſucceſſor, alijq; celeberrimi tam Chriſtiani, quàm Ethnici, quorum plures martyres effecti ſunt. Docebat enim non ſicut Græci, ſed ſicut philoſophus Chriſtianus potens in verbo & opere: ſiquidem ipſius actus redolebant mirabilem genuinæ Philoſophiæ converſationem; & qualis eius erat doctrina & ſermo, talis cernebatur & vita, atque iterum vitæ reſpondebat ad amuſſim doctrina. Unde mille in exemplum ſui & imitationem adduxit. Idem c. 4. c. 2.

Inter tot verò diſcipulos catechiſticæ lectionis extra inſtitutum ſuum ratus eſt eſſe, ſi ulterius in docenda Grammatica verſaretur. Itaque reiecta hac ſchola ſolis ſe ſacris litteris tra-

didit, venditisq; pulcherrimis suis libris, ne alij in sui sustentationem molestus esset, pactus cum emptore est, ut pro librorum pretio, non ultra quattuor obolos indies sibi ad alimenta comparanda ministraret. Quo quidem modo plures annos ita philosophicè degendo perseveravit, excindens omnem cupiditatibus carnalibus materiam, diu noctuq; se exercens plurimum βίῳ φιλοσοφωτάτῳ, hoc est, in summa perfectione vitæ philosophicæ. Et interdiu quidem fame, noctu verò alijs curis se discrutians somnum moderatum haud super lectum, sed humi capescebat.

Existimans autem præcipuè sacram Evangelij doctrinam mordicus observandam, de duabus tunicis, de calceamentis non habendis in pedibus, de cura abijcienda in crastinum, incredibili se exercuit paupertate nihil à quoquam recipiens, quamvis multi de suis facultatibus propter doctrinæ laborem ipsi alimenta sumptusq; offerrent. In frigore & nuditate pervenit ad fastigium summæ paupertatis. Dicitur etiam plurimis annis nudis incessisse pedibus, vinoque & alijs ad sustentationem alimentis minimè necessarijs reiectis ferme corruptionem pectoris contraxisse. Verè enim juxta S. Pamphilum martyrem vitam egit abstinentissimam, valdeq; philosophicam, neque umquam carnem & vinum gustavit præterquam in infirmitate, nec cibum sumpsit aliquando uisi uno de fratribus legente.

Pamphil. in apol. Orig.

Trithem l. 2. de script. Eccl

Quoniam verò legerat in Evangelio, sunt qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum, hoc ipse nimis litteraliter intelligens, amore castitatis contra canones Apostolicos semetipsum eviravit. Accessit quod hoc pacto abscindere voluerit omnem labem suspicionum, ac lapsus occasionem; neq; enim solummodo mares sed & feminæ frequentabant ipsius scholam, quamvis separato loco considebant. Hoc factum castrationis ipsemet postmodum accusavit, & à SS. PP. adscribitur aut ignaviæ, aut timiditati, aut ipsi etiam lasciviæ. Quidquid sit; Licinius Imperator cum postmodum A. D. 316. seviret in Christianos interdixit feminis in scholas virtutis (εἰς τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς διδασκαλεῖα) ingredi; immò nec Episcopis concessit, ut ipsis sacra eloquia explicarent, sed ut feminæ à feminis instruerentur. Sed ad Origenem.

Matth. 19.

c. si quis dist. 55.

Euseb. c. 8. cit.

S. Cyrill. Ierosol. in procatech.

Orig. l. 9. in c. 12. Rom.

S Ambr. de viduis.

S. Basil. de Virg. t. 781.

Euseb. l. 1. vit. Constant. c. 46.

Idem l. 6. hist c. 14. 15.

Hic postquam novem annis catechesin docuit, sub Zephyrino Papa A. D. 217. ætatis 29. desiderio accensus videndi Roma-

di Romanam Ecclesiam antiquitate nobilem perrexit in Urbem: sed paulò pòst revertens Alexandriam à Demetrio persuasus est progredi in schola catecheseos, quod & fecit, ne minor esset in obedientia, quàm paupertate & castitate. Postea verò ut vidit se propter multitudinem negotiorum, quæ ipsi de manè usque ad vesperam à tot discipulis fiebant, sacræ scripturæ explanationi atque interpretationi vacare non posse, Heraclam discipulum virum eloquentissimum, nec Philosophiæ externæ (nam etiam hanc docebat Origenes) expertem, collegam sibi ad catecheses adscivit, ea lege, ut Heraclas juniores ac rudiores, ipse verò instrueret perfectiores. Quo autem facilius scripturas divinas intelligeret, Hebræam linguam addidicit. c. 18. c. 16.

Inter hæc miles ad Episcopum Demetrium litteras ab Arabiæ præfecto adfert, quibus ad se mitti Origenem sine mora postulavit: habere se enim quæ cum ipso conferret. Ivit, negotia expedijt. Verùm cum reversus Alexandriam inveniret urbem tumultuantem; nec esse locum in tota Ægypto, quo tutò doceret, abijt in Palæstinam, ludumq; litterarium apud Cæsaream aperuit. c. 19.

Nondum ullo sacro Ordine initiatus erat: nihilominus Cæsareæ de Sacra scriptura non solùm differere, sed etiam eam docere inductus fuit à Theoctisto loci Episcopo. Quod admirans Demetrius Alexandrinus ad Theoctistum simul & ad Alexandrum Ierosolymitanum scripsit, minimè decere, ut homo nondum Clericus, sed adhuc (quamvis superioris ordinis) laicus divinas doceret litteras. At illi prætendentes publicam utilitatem, & (quod omninò notandum est) exempla similia, nihil de sententia remiserunt. Quo factum, ut Demetrius Origenem per Diaconos ad se revocaret, & catecheses resumeret, relictâ scripturâ clericis. c. 20.

Regnabat tunc temporis Alexander, seu potius mater eius Mammæa. Hæc auditâ famâ Origenis eum ad se evocavit Antiochiam, apud quam cum tantisper mansisset, regressus est ad suam cathedram. Ex quo tempore hortante, & omnes sumptus suppeditante Ambrosio Alexandrino sacras litteras commentarijs illustrare aggressus est. Aderant ei plures successivis horis quàm septem exceptores actuarij, seu expeditissimi scribæ, quos Plutarchus ait à consule Cicerone institutos dum eos docuit facere notas, quæ minutis & brevibus figuris multarum c. 21. c. 22. Plutarch. in Catone minor

vim litterarum complectebantur, à quibus notis *notarij* dicti sunt, Græci à celeritate scribendi ταχυγράφους appellant. Hi verba Origenis excipiebant, quæ deinde non pauciores librarij, seu βιβλιογράφοι, cum puellis ad pulchrè scribendum exercitatis describebant in libros. Et reverà habebant omnes quod agerent: nam unus noster Hieronymus ait se sex millia librorum Origenis legisse.

Ruffin. de adulter in libris Orig. fin

Euseb. c. 23

Nec solùm occupabatur in docendo, & scribendo, verùm etiam in itinerando ob Ecclesiæ utilitatem. Unde cum forte in Græciam per Palæstinam proficisceretur, Cæsareæ ab Episcopis detentus & in Presbyterum ordinatus est. Hinc illæ graves propter ipsum inter Episcopos controversiæ de ordinato suiipsius castratore contra canones, quæ moverunt Origenem ut relicta Alexandriâ se transferret Cæsaream, quod factum sub imperio Alexandri A.D. 234. ipso agente annum ætatis 46. Et ab hoc tempore usque ad finem vitæ mansit Cæsareæ cum ingenti nominis sui gloria, sic ut etiam Heraclas ex Ægypto, Alexander ab Ierosolymis, Theoctistus Cæsareensis subinde ad eum audiendum advenirent. Inter discipulos quos hîc habuit, primas tenet Gregorius Thaumaturgus, quem non solum in Logica, Physica, Ethica, Mathematica, verùm etiam in Fide & Theologia instruxit.

c. 26.

cap. 27.

cap. 18.

S. Greg. Nyssen. in vita S. Greg. Thaum. S. Epiph. hær. 64. n. 9. & 18.

Si de eius sanctitate plura nosse desideras, habes S. Epiphanium. Ego eam tibi ex ipsomet Origene ostendo. *Deus*, inquit, *testis est*, *sæpe sponsum* (Ecclesiæ) *mihi adventare conspexi, & mecum esse quàm plurimum. Quo subitò recedente invenire non potui quod quærebam. Rursus igitur desidero eius adventum, & nonnumquam iterum venit, & cum apparuerit, meisque manibus fuerit apprehensus, rursum elabitur. Et cum fuerit elapsus, rursum à me requiritur. Et hoc crebrò facit, donec illum verè teneam, & ascendam innixus super fratruelem meum.*

Orig. hom. 2. in Cant.

Quid iam Josippe censes de tanto viro, de cuius alveario totum mel suum hausit S. Bernardus, quem ipse S. Hieronymus interpretari dignatus est, de quo SS. Patres plurima in sua transtulerunt? O vana gloria quàm etiam bonis operibus insidiaris ut pereant! Hæc fuit, si Theophilo Alexandrino fidem habemus, quæ tandem deiecit Origenem, eumque privatum cælesti lumine reliquit sibi, sic ut gravissimè in fide hallucinatus sit, ut deinceps dici de ipso cœperit: In ea parte qua probatur neminem

S. Greg. Turon. hist. Frãc init.

Theoph. ep. 2. Paschal. Sulpit. 1. dial. cap. 3.

Digitized by Google

nem post Apostolos habuit æqualem: in ea autem qua jure reprehenditur, nemo ipso deformius erravit. Quos errores si sciens ante mortem non retractavit, facilè eum Theophanes monachus cum hæresiarchis in æternis ignibus conspicere potuit.

Mosch. in Limonar. c. 26.

Postquam Origenes A. D. 234. Cæsaream migravit, scholam Alexandrinam suscepit Heraclas, quem de ascetica, philosophicaq; conversatione, Eusebius; Origenes autem etiam de externa sapientia valde commendat, dicens eum etiam in clerum assumptum, habitum suum philosophicum portasse, ut scias eum cum doceret verè fuisse Christianum philosophum, quo nomine antiquitas monachos appellavit. Eius videndi causa Julius Africanus, clarus illo ævo historicus, Alexandriam usque peregrinatus est: nam orbi universo innotuerat in Heracla esse absolutissimam cognitionem omnium scientiarum. Cathedram non diu tenuit: mortuo enim A. D. 237. Demetrio successit in Episcopatu, quem rexit undecim annis, nempe usque ad A. D. 248. qui erat tertius Philippi imperatoris.

Euseb. sup. c. 26.
cap. 2.
Orig. contr. obtrect. Epist.
Epist 7. sup.
Euseb. c. 31.
cap. 35.

Scholas post ipsum suscepit Dionysius Origenis discipulus, quem philosophum secundum Christum Eusebius asserit, simulq; ostendit, quo pacto eius magna scientia à Deo commendata fuerit, qua de causa jure à S. Athanasio defenditur. Sed quidquid de verbis sit, certè animum eius ab omni errore S. Basilius liberat. Quanta pro sancta fide sub Decio sustinuerit, huc non facit; ex hoc tamen cognosse poteris eius philosophiam internam. Jacebamus, inquit, ipsemet, ἐπὶ τῶν ἀστρώτων σκιμπόδων, in nudis grabatis, ego & qui mecum erant, cum subitò assistunt milites missi à Sabino Præfecto, ut me comprehenderent. Quos ratus ego latrones esse, & ad furandum venisse, mansi, ut jacebam nudus solo amictus λινῷ ἐσθήματι, (linea tunica) porrexiq; ijsdem sponte meas vestes adiacentes, ut acceptis ijs abirent. Sed non pro vestibus res erat. Successit tandem in Episcopatu Heraclæ usque ad A. D. 266.

cap. 29.
Idem. l. 12. præpar. Evang cap. 22.
Idem. l. 7. hist. cap. 7.
S. Athan. tom 1. fol. 428.
S. Basil. epist. 41.
S. Dion. in ep. apud Euseb. l. 6. hist. cap. 4.

Quis verò ei in schola successerit non reperio: Post ipsum Maximus venit Episcopus usque ad A. D. 284. Nec quis sub hoc Catechista extiterit, liquet. Florebat eo tempore Theonas Maximi successor in Ecclesia Alexandrina, florebat & Pierius, qui propter Christum valde pauperem egit vitam; attamen in philosophicis, ac divinis litteris quovis magistro ditior

Euseb. eit. l. 7. cap. ult.


erat ac copiosior. Cuius utiq; scholasticos labores respiciens Theonas presbyterum ordinavit, sicut & Achillam virum raræ philosophiæ, & conversationis plane evangelicæ, cui etiam τὸ διδασκαλεῖον τῆς ἱερᾶς πίστεως, scilicet scholam fidei & catecheseos commisit, quam rexit usque ad A. D. 310. quo Petrus Theonæ successor coronatus martyrio, & is in eius locum subrogatus est. Uno dumtaxat anno administravit Patriarchatum, nactus successorem Alexandrum, cuius tempore celebratum est Nicænum concilium, in quo S. Athanasius inclaruit, qui & anno sequenti, hoc est 326 eum in Episcopatu secutus est. Sub quo, Ruffino auctore, scholam catecheseos tenuit Didymus à quarto ætatis anno usque ad ultimam senectutem cæcus, cuius vitam, doctrinam & auctoritatem orbis miraretur, nisi pronsior fuisset in sententias Origenis, cuius libri iam tum in Ecclesia graves tricas parturiebant.

Ruffin. l. 10. hist. cap. 7.

Pallad. cap. 4.

Nostra Germania felicior fuit in suis cæcis doctoribus, quorum unus Nicasius Mechliniensis tertio ætatis anno oculis orbatus in omni scientia enituit. Jura per auditum didicit, & publicè Coloniæ docuit. Lovanij Theologiæ Licentiatus effectus dispensatione Papæ sacerdos ordinatus est. Prædicavit, confessiones excepit, Evangelium solemniter cecinit, & tandem Doctor juris Canonici Coloniæ creatus est. Obijt anno 1492. Alter fuit Carolus Ferdinandus Brugensis, qui à parva ætate occæcatus in omni doctrina quasi miraculum extitit. Duxit vitam integerrimam, ac tandem Ordinem S. Benedicti ingressus Nicasio per biennium superstes mansit, id quod occasione Didymi narrare tibi volui, ut scires Ecclesiam adeo non destitui doctoribus, ut vel cæci ad cathedras ascendant, si descendunt oculati.

Petr. Merssæus in annal. Colō. in Hermano.



EPIST-

EPISTOLA LXXXII.

De alijs Chriſtianorum, maximè monaſteriorum ſcholis.



NImis anguſtæ ſcientiæ es, ſi exiſtimas religioſos philoſophos quondam nonniſi Alexandriæ juuentutem in litteris inſtruxiſſe. Quo tempore docebat ibi Dionyſius, Antiochiæ ſcholam regebat Malchion vir eloquens, & in ſtudio ſapientiæ eximius, qui A. D. 266. Paulum Samoſatenum hæreſiarcham in concilio diſputatione publica convicit, propter quod in clerum allectus, ac honore presbyterij decoratus eſt. Apollinarius, antequam hæreſis damnaretur, tam Laodiceæ, quàm Beryti ſcholas tenuit. De Cæſareenſium gymnaſio ab Origene fundato iam noſti. Hoc ſaluberrimum ſtudium plures per imperium urbes æmulatas eſſe quis dubitet? Hinc Chriſtiana reſpublica nacta eſt viros undequaque doctiſſimos, qui ſuis pro fide apologijs obturaverunt ora paganorum, extinxerunt impetum hæreticorum, fortes facti ſunt in bello perſecutorum. Talis fuit præ alijs S. Juſtinus martyr veriſſimus philoſophus Chriſtianus, Talis Apollonius ſub Commodo Romæ paſſus, ubi erat τῆ τότε πιϛῶν ἐπὶ παιδίᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ βεβοημένος, nominatus & propter litteraturam, & vitam philoſophicam inter fideles. Tales alij plures quos vel Eccleſiaſtica hiſtoria, vel Bibliotheca SS. Patrum exhibet. Advertit hæc ſcholaſtica noſtra commoda verſipellis apoſtata Julianus, & lege lata ſancivit, ne Chriſtiani de cetero in ſcholis aut diſcerent, aut docerent, qua verſutia non poterat compendioſius paganiſmum roborare, Chriſtianiſmum labefactare, qua de cauſa non injuſtè eum S. Auguſtinus inter Eccleſiæ perſecutores numerat.

Euſeb. l. 7. hiſt. 29.

Socrat. l. 2. hiſt. c. ult.

Euſeb. l. 5. c. 10.

Socrat. l. 3. c. 12.

Theodoret. l. 3. cap. 7. hiſt.

S. Aug. l. 18. Civit. c. 52.

Sed brevi detonuit tempeſtas hæc, & pace Eccleſiæ reſtituta tanto magis ſcholæ Chriſtianorum multiplicabantur, quanto ſe amplius fides, Ordoq; monaſticus maximè per Occidentem dilatabat. Ubi cum monachi paſſim aſſumerentur in clerum, viderunt longè utilius eſſe litteris, quàm artificiolis operam locare. Cœperunt igitur confertim & diſcere, & docere in ſuis cœnobijs tanto paulatim numero, ut quidam de noſtris hæreticis dicant. *Omnia monaſteria quondam nihil aliud fuiſſe, quàm ſcholas, & publica ingenuarum diſciplinarum gymnaſia.*

Gretſer. in vit. S. Wilibald. Lib. 1. obſervat. c. 8.

Digitized by Google

sia. Vel saltem *post B. Benedicti tempora pleraq; cœnobia meras scholas fuisse.*

Errant hæretici: quia plurima cœnobia semper fuerunt, quæ non dico scholæ, sed in quibus nec scholæ scientiarum umquam extitêre. Fundatorum tam Religionum, quàm monasteriorum prima cura erat, scholas virtutum erigere, in quibus si deinde sive manibus, sive ingenio laboratum est, non idcirco quod principale judicatum fuit, sublatum est. Quod de cœnobio Reichersspergensi in Bavaria scribitur per omnia penè valet. Universi, inquit auctor vitæ Gerhohi Præpositi, aut servitio DEI, aut privatis orationibus insistebant, aut lectionibus vacabant horis & temporibus constitutis. Suo tempore in scribendis libris, aut alijs operibus se occupabant. Juvenes ac pueri diversis artibus insudabant, quibus & ipse (Gerhohus) per se frequenter nunc benignus monitor, nunc severus correptor insistebat. Erat uno verbo totum monasterium nil nisi schola virtutum, & exercitium bonarum actionum, qua intentione etiam reliqua omnia excitata sunt, succedentibus artibus ingenuis in locum artium mechanicarum.

Vita Gerhohi. Sup.

Et ut ad scopum propius accedam, monachi non modò suos fratres, sed etiam externos instruebant. Unde & duplices scholas in nonnullis locis habebant, internas & externas. Illæ pro religiosis in ipsis cœnobijs erant: hæ cœnobijs adiunctæ, in quibus, sicut ait Eberhardus in vita Notkeri, sæculares, procerumq; & nobilium liberi instituebantur. Gretserus quoque de his ait: Negandum non est, olim monasterijs, maximè Benedictinis adjunctas fuisse scholas, in quibus & tenerior ætas ad ætatulæ huic consentaneas litteras informabatur, & maturior ad maturiores ac severiores. Unde intelligis de quibus scholis loquatur S. Basilius, dum in regulis brevioribus scholas in monasterijs pro pueris sæcularibus ex toto non laudat, nisi iuvari possint in salute animæ. Nam sine dubio contra monasticam quietem est, pueros sæculares intra ipsam clausuram admittere, quocirca etiam in concilio Aquisgran. A. D. 817. constitutum est, ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt, nempe puerorum religiosorum juxta regulam S. Benedicti à parentibus oblatorum. In canonibus tamen concilij œcumen. VI. admittuntur ad scholas interiores nepotes & consanguinei religiosorum: nam horũ timore facilè compesci possunt.

Reg. 292. Cap. 45. S. Bened. reg. cap. 59. Can. 4.

Præ-

Digitized by Google

Præerant autem tam externis, quàm internis his scholis solummodò religiosi, sed doctissimi juxta ac probatissimi. Cautum namque erat in concilio Tolet. XVIII. ne laicus seu homo sæcularis magister scholæ esset. Ita scholæ monasticæ in Anglia præfuit Vener. Beda, ut & Albinus Flaccus, qui in Galliam deinde Turonos translatus docendi munus non deseruit, de quo ipsemet ad Carolum magnum scribit *se quibusdam sanctarum mella scripturarum ministrare: alios vetere disciplinarum mero inebriare: alios Grammaticæ subtilitatis pomis enutrire: quosdam stellarum ordine illuminare.* Quem tanti nominis & existimationis virum sicut & Bedam non puduit ipsa litterarum elementa juventuti exponere, speciatim autem scriptis commentarijs tradere, quæ ad septem artium liberalium eruditionem spectarent. A. D. 1056. Gretf. ch. Albin, epist. 2.

Præclarè hæc exponit Trithemius in chron. Hirsaug. ad A. D. 860. ubi generatim dicit ijs temporibus in sui Ordinis monasterijs celeberrimam fuisse consuetudinem scholarum in singulis penè cœnobijs, quibus præficiebatur non sæcularis aliquis, sed cœnobij monachus, qui in Mathesi cuncta, Rhetorica, & Poësi eruditissimus haberetur, sicut & alijs omnibus scientijs & linguis, Latina, Græca, Hebraica & Arabica, qualis si in aliquo monasterio non reperiebatur ex alio sine verecundia petebatur. Censebatur enim maximum dedecus, dociles animos monachorum negligere, quos ut moribus, ita & litteris bene instruerent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis.

Sic doctissimus ille monachus Gemlacensis Sigebertus multo tempore in cœnobio S. Vincentij Metensi monachorum Præceptor, quamvis de alio monasterio fuit. Ita Strabus monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notkerus S. Galli in Stabulaus, Albinus monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in alijs monasterijs docendi ad tempus tenuerunt officium. Hæc autem consuetudo sanctissima primum in Anglia cœpit, ubi Venerab. Beda monachorum institutor factus multos post se doctissimos reliquit discipulos. Quantum verò hæc monachorum institutio Ordini nostro profuerit, nemo ignorat qui veterum historias studiosius revolvit. Multi enim ex monachis propter scientiam litterarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sublimati, non solum rem monasticam, sed etiam Ecclesiasticam mirificè illustrarunt. Trith. l. 1. de viris ill. c. 6

De viris illustribus sui Ordinis ait S. Bonifacium Germa-

Digitized by Google

niæ Apostolum quinquennem in monasterium ad erudiendum traditum; Rabanum successorem eius in Episcopatu ordine sextum in Monasterio Fuldensi puerum admodum eruditum, doctissimum evasisse: Ven. Bedam cœnobio septennem traditum. Non mittebantur, inquit ad exteras nationes, cum in cœnobijs semper haberent bonarum artium Præceptores. Erudiebantur alij in Grammatica, alij in Orthographia, in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica: quidam in Musica, Arithmetica vel arte computistica: alij in Philosophia, atque alij in his jam fundati ad scripturas introducebantur theoricas. Sic exteræ disciplinæ tamquam pernecessariæ præmittebantur ad sacras, quapropter meritò graviter S. Greg. Naz. invehitur in eos, qui dicunt pietati sufficere monastica & sacra studia sine disciplinis externis talesq; appellat ἑτεροφθάλμους, luscos & monoculos, cui consentit Nyssenus in vita Moysi, frequenter repetens externas scientias etiam monachis esse necessarias. Quin S. Augustinus pluribus in locis demonstrat ad exactam Scripturarum cognitionem perveniri non posse absque Physica, Arithmetica, Musica, & similibus scientijs exteris. Sed ad Trithemium.

S. Greg Naz. orat. 20. fol. 324.

S. Greg. Nyssen. fol. 193. & 209.

S. Aug. l. 2. doctr. Christ. c. 16. 18. & l. 11. Civit. cap. 30. &c.

Nullus, inquit, in cœnobijs locus dabatur ocio, sed suis studijs atque laboribus singuli insistebant. Magna fervebat devotio: arsit in eorum mẽtibus regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos numquam sinebat esse ociosos: salvo enim officio divino, cui omnes devotè insistebant, de reliquo monachi studio vacabant scripturarum, quibus non solùm illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu.

Ubi hæc, Josippe, in opere manuali reperies? Dumtaxat ocium pellit, mentem nec illustrat, nec affectum purgat, nec servit utilitatibus Ecclesiasticis. Si te delectat nosse quantos viros scholæ monasticæ dederint Ecclesiæ, lege Browerum de antiquitatibus Fuldensibus, lege & Paulum Langium, nisi tibi suspectus videatur ex Lutheri nimia familiaritate: hic enim ostendit unam sedem Moguntinam tredecim habuisse de suo Ordine Episcopos, Trevirensem duodecim, Romanam 24. Addit præterea nulla olim in Occidente gymnasia & Academias fuisse, præter Romanam ac Parisiensem, nisi in monasterijs maximè Fuldensi, Corbeiensi, Weissenburgensi, Prumiensi, Tuitiensi, Hirsfeldensi, Gemlacensi, Hirsaugiensi, Trevirensi, Cassinensi, Cluniacensi, Floriacensi & alijs, ad quæ etiam Reges & Prin-

Christ. Brow. lib. 1.

Lang. chron. Citizens. A. D. 964. & sqq.

& Principes suos liberos erudiendos destinarint, quẽadmodum Lãbertus insignis historicus in Meginhero Abbate comẽmorat.

Transeo de Benedictinis infinita. Hoc solum addo, cum ab anno septingentesimo, usque ad Millesimum ducentesimum quinquagesimum circiter propter scientias & scholas suas in magno splendore essent, vix unus tamen repertus sit, qui ipsos à scholis ad luctum ablegarit. Quasi non suo tempore in cellis lugere, suo tempore de cathedris docere potuerint, sicut antiquitus in officinis sportellas plectere certis horis potuerunt.

Si quæris, num etiam Ordo canonicus olim docuerit? absque hæsitatione affirmo. Quid enim aliud innuit nomen & officium *Scholastici*, quod etiamnum in Cathedralibus Ecclesijs perseverat, quàm scholæ Rectorem? Si Gretseri auctoritas de scholis Canonicorum tibi minor est, lege vitam S. Meinwerci Episcopi Padeburnensis, ibi reperies, quantum juvenes & pueri in schola illius Canonice profecerint tam in norma regulari, quàm in omni genere facultatum litterariarum. Lege Anastasium Bibliothecarium, & videbis quanta luminaria de schola Patriarchij Romanæ Ecclesiæ prodierint. Nec segniores Cathedralibus Canonicis monasteriales fuerunt. Hinc iam domus S. Floriani in Austria fructificavit suavitatem odoris, & flores eius fructus honoris & honestatis. Sic Cœnobium S. Hippolyti scholarum studijs usque nunc insigne est, ait auctor vitæ S. Altmani Passaviensis Episcopi. Ab antiquissimis namque temporibus invigilavit Ecclesia, ne clerus ocio vacaret, sed in studijs sedulò instrueretur, ut & se, & alios commodius regere posset. Aera 671. decernitur Toleti, ut qui in clero puberes aut adolescentes sunt, omnes in uno conclavi atrij commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum disciplinæ & testem vitæ habeant. Qui his præceptis resultaverint monasterijs deputentur, ut vagantes animi & superbi severiori regula distringantur. Et hic canon in concilio Aquisgran A. D. 816. renovatus est. A. D. 813. in synodo Turon. præcipitur, ut presbyteri in Episcopio prius suum officium discant, quod factum instinctu Caroli magni, qui cum esset summus amator studiorum & disciplinæ, insuper statuit, ut in singulis monasterijs, & Episcopijs scolæ essent, ut ingenuorum ac servorum filij Grammaticam, Musicam & Arithmeti-

Gretf. sup.

Anastas. in Paschali I. Leone IV.

A. D. 633. can. 23.

Cap. 135.
Cap. 12.

Andegisus l. 1. vit. Carol. M.

Digitized by Google

In compil. chron. cam discerent. Similiter Eugenius III. mandavit, ut studium in Ecclesijs haberetur in Grammatica, & Artibus liberalibus. In concilio Romano V. omnibus Episcopis præcipitur, ut litterarum Artes in suis Ecclesijs doceri faciant. Sicut & in concilio Later. sub Alexandro III. sancitum est, ut in singulis Ecclesijs Cathedralibus magister sufficiente beneficio constitueretur, qui clericos eiusdem Ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceret. Quod & in appendice huius concilij non semel confirmatur. In monasterijs idipsum Papa vult observari. Renovata hæc lex est sub Innocentio III. nempe ut quævis Ecclesia Cathedralis magistrum habeat, & quævis Metropolitana Theologum, quorum ille clericos gratis Grammaticam, hic Theologiam, Scripturam & Casus conscientiæ doceat datâ præbendâ ipsorum cuique tamquam salario. Denique etiam Sabinense concilium adstringit clericos & canonicos ad litterarum studia.

A. D 1078. A. D. 1179. cap. 18. Cap. 16. 17. 18. A. D. 1215. Concil. Later c. 11. A. D. 1322 c. 20.

Quod siqua forsan interveniebat negligentia in frequentandis aut reparandis scholis, Ecclesiæ pastores id non dissimularunt. Sicut habes tam in concilio Romano sub Eugenio II. quàm in Valentino, quo imperatur, ut scholæ divinæ & humanæ litteraturæ, nec non & Ecclesiasticæ cantilenæ diu neglectæ iterum erigantur. Ipse quin etiam Ludovicus pius in Parisiensi synodo decerni mandavit, ut in Ecclesijs maior imposterum cura scholarum esset, utque scholastici à rectoribus ad singulas synodos ducerentur, nempe professores ab Episcopis seu Prælatis. Immò tanta olim Episcoporum solicitudo erat ad instruendam juventutem, ut mandarint etiam ruralibus presbyteris per villas & vicos scholas habere, & quidem gratis, nisi quid à parentibus sponte oblatum esset. Hoc habes in canonibus post concilium œcum. VI. repertis Gandavi in monasterio S. Bavonis, & simile quid in synodo Moguntina A. D. 813. quo mandatur ut Christiani suos filios ad scholam donent presbyteris sive ad monasteria sive foras. Denique invenio quemdam Atdericum Barbosum Hibernum, virum admodum pium cum pueris etiam puellas ad suam scholam congregasse, atque instruxisse: quippe omnes utriusque sexus scire desideramus, & dictum Aristippi pervasit omnes, qui rogatus quid utilitatis filius esset habiturus si studeret? respondit: *Si nihil aliud, certè in theatro non sedebit lapis super lapidem.*


A. D. 826. c. 9. A. D. 855. c. 18. A. D. 827. c. 30. Can. 5. Can. 45. Marian. Scot. A. D. 1053. Laërt. in vita.

Verùm ut omnia, sic & scholæ tandem defecerunt in Ordine

dine canonico, sanctiq; Benedicti, paucis locis exceptis. Successerunt tamen Ordines religiosi alij, qui non minus strenuè laborarunt in imbuenda juventute. His temporibus, ait Langius ad A. D. 1258. studium litterarum demum verè in Mendicantium fratrum Ordinibus oriri cœpit, florere denique permanenter & crescere, & è vestigio nostro (Benedictinorum) in ordine adeò pedetentim decrescere & deficere cœpit, ut nunc penè extinctum videatur. Tametsi ipsi adhuc litterarum studia habeant & prosequantur ex instituto Cistercienses; haud tamen vetusto Ordinis more in cœnobijs, sed publicis urbium in gymnasijs, uti in Germania Lipsiæ, & Heidelbergæ, quibus in locis fratres eorum missi instituuntur, promoventur & student. Proinde venit quod suis in monasterijs percomplures habeant monachos Artium & Theologiæ titulis insignes: non autem ita scriptis & lucubrationibus, id est, librorum editione fulgentes, cum præter D. Bernardum inter scriptores Ecclesiasticos perpaucos & penè nullum invenerim. Secus autem de studio Ordinum Mendicantium fratrum, quod à suo primævo exordio nostrum usque ad ævum pleniter & amœnissimè floruit, fructusq; copiosos & multiplices produxit, viros videlicet in omni sapientia divina & humana doctissimos, qui & sanctimonia & doctrina verbo & exemplo, scriptis & dictis, multisq; voluminibus editus Ecclesiam Christi illustrarunt. Talis fuit ex Ordine Prædicantium Albertus Magnus, Humbertus & alij plurimi. Ex Ordine Minorum S. Bonaventura, Joan. de Parma. Ex Ordine Eremitarum S. Augustini Ægidius de Roma ex nobili Columnensium familia Episcopus Bituricensis. Quibus omnibus tandem suppetias tulit Societas JESV. A quo tempore ita in Ecclesia florere cœperunt studia, ut numquam magis; sic ut nunc rudis censeatur tam inter sæculares quàm religiosos, qui non plus, quàm mediocriter doctus est.

Hoc habet Christiana communitas à monachis & religiosis suis Doctoribus.






ANTIQVARII MONASTICI REFECTORIUM.

EPISTOLA LXXXIII.

Religiosis cœnobitis semper fuisse commune Refectorium.



X diversis laboribus, quos in Officina vidisti, contraxisti, ni fallor, inediam, & ideo tantopere desideras intrare Refectorium. Sed prius dicas an vir bonus & religiosus sis? nam de S. Basilij sententia, tui similes homines sæculares, non sunt ad fratrum mensam passim introducendi, propter ipsorum, inquit, malevolentiam, cum facilè scandalizentur, si viderint fratrem fortè ardentius necessitati satisfacere. Quod siquis tamen sciatur esse vir bonus & religiosus, atque ita usus ferat, is potest introduci. Nec Pachomiani ad Refectorium admittebant sæculares, immò nec omnes monachos peregrinos: qui enim venerant suscepturi regulam ipsorum, cum alijs novitijs extra monasterium per triennium expectare debebant, donec introducerentur. Et tunc primum patebat ipsis Refectorium, quod apud religiosos à primævo instituto semper commune erat. *Vnâ mensâ,* ait Philo de Essæis, *unis cibis fruuntur quotidie.* Regula item S. Pachomij: *Commune omnium Refectorium sit.* Et: *Omnes in eadem domo comedent, quantumvis habitent aliàs separati,* sicut in Lauris. Basilianos quoque & Benedictinos communem mensam ac Refecto-

rium

S. Basil. in cōstit. monast. c. 6.

Pallad. Laus cap. 38.

Philo de vita contempl.

S. Basil. reg. brev. 136.

rium habuisse ipsorum non obscurè te docent regulæ ac constitutiones. Id quod de Benedictinis etiam decernit concilium Turon. III. & Aquisgranense de canonicis regularibus. *In Refectorio*, inquit, *quotidie unà reficiantur, nisi forte quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia magistri.* Deniq; concilium Oxoniense omnibus mandat, ut in uno Refectorio simul edant; nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur.

Conc. Aquisgr. A. D. 817. cap. 41. A. D. 813. c. 24. A. D. 816. c. 117. 123. A. D. 1222.

Et quid te multum detineo? vides adhuc hodie apud omnes cœnobitas hanc esse consuetudinem, quam nec Carthusiani in totum deserunt. Quin Anachoretæ etiam in Scithi & Cellijs, quando diebus sabbati & Dominicis conveniebant ad Ecclesiam, ibi simul comedebant, sicut non semel tradit Pelagius. Pulchrũ est, quod semel alicui contigit. Is cum à cõmuni refectione à quibusdam expulsus esset, ab alijs postliminiò est revocatus. Interrogatus autem qua mente utrumque tolerasset, respondit: Quoniam posui in corde meo, quia æqualis essem cani, qui quando insectatur, foras egreditur, quando verò vocatur, ingreditur. Similem patientiam frater Abbacirus apud Climacum exercuit à cõmuni mensa non infrequenter fugatus.

Pelag. l. 4. n. 69. & l. 12. n. 7. & l. 15. n. 64.

Clim. grad. 4.

Sancti patres communem refectionem valde magni fecerunt. S. Ephraim ait: *Communi fratrum sis mensa contentus, & erit sanitas carni tuæ, & cura ossibus tuis, & anima tua detrimentum non patietur.* Hinc extra Refectorium comedere non facilè cuiquam concedebatur. Cum infirmis dispensat S. Ephraim. *Decet*, inquit, *communem mensam cum alijs (extra tamen corporalem infirmitatem) frequentare, & propria voluntate non detineri, ac tumore vano.* Concilium Aquisgranense nec Abbates extra Refectorium tolerat, tametsi hospites habeant, propter quos putat aliquid fratribus in cibo & potu addi posse, tantum ne Abbas ab alijs aliquid plus habeat. Utrùm verò in Refectorio quilibet ex separata patina, hoc est regulariter, an omnes aut plures ex una vesci debeant, id nostra statuta attentis cœnobiorum opibus relinquunt liberum. quippe minoribus expensis, quamvis non maiore pace, in una mensa ex eodem disco comeditur. S. Augustinus videtur cum suis clericis eamdem mensam & patinam habuisse: solebat enim cum ipsis conferre super audita à lectore: ne autem collatio devolveretur ad detractiones, mensæ hos duos versus inscripsit.

S. Ephr. in Prov. fol. 518.

Id m adhort. 1. fol. 281.

A. D. 817. c. 25. 27.

Possid. in vita cap. 22. & 25.

Quis-

Digitized by Google

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Pallad. sup. Pachomiani comedebant regulariter; nam inter edendum contrahebant per faciem cucullas, ne se mutuò manducantes possent aspicere, quod locum habere non potuisset, si communis patina fuisset. Conc. Aquisgr. cit. c. 28. & 76. Apud Benedictinos nec ministri mensæ permittuntur ex eodem catino comedere. Ita Aquisgrani deciderunt ipsi. Regul. Templar. cap. 11. Templarij bini & bini manducabant ex eodem vase; quilibet tamen suum vinum separatim habebat. In cœnobijs igitur singularitas in refectione, Josippe, non infert deformitatem, si cibi ijdem, sed non idem catinus sit.

EPISTOLA LXXXIV.

Quo tempore monachi olim comederint.



Efectionis certum tempus & hora plerisque semper monachis fuit. S. Basil. ep. 1. Basilius noster ait: *Hora certa & eadem semper sit pro refectione, una ex viginti quattuor diei astronomicæ.* Si quæris, unde eam cognorint monachi, cum horologia non habuerint? Evagr. ad Anatolium. t. 4. Bibl. PP. Euagrius respondet ex sole. Ægyptij pluris æstimantes obsequium charitatis propter hospites in hora dispensarunt. Cassian. lib. 5. instit. c. 24. 25 Cassianus unius meminit, qui unico die sexies cum supervenientibus hospitibus manducavit. Feria quarta tamen ac sexta etiã hospites expectare debebant; Syri nullos in hac parte curarunt hospites, temporis certi rigidi observatores.

Hic autem, ut facilè adverto, horam illam nominatim scire desideras. Sed expecta mi vir donec audias non fuisse matutinam, sed serotinam. De jentaculis monachorum nihil umquam legi. S. Hieron. ep. 13. Cibus, ait S. Hieronymus, non nisi vespertinus sit. Cassian. lib. 2. instit. cap. 5. Et Cassianus: Antiquis monachis nec escarum quidem appetitum vel memoriam, nisi alio tertioùe die corporis interpellasse docet inediam, cibumq; ac potum non tam desideratum, quàm necessarium sumpsisse, & ne hunc quidem ante solis occasum, id quod omnino de sui temporis tam Orientalibus, S. Aug. l. morib. Eccl. cap. 31 33. quàm Occidentalibus monachis scribit S. Augustinus. *Usq; ad noctem*, inquit, *jeiunant.* Et: *Ad vesperam comedunt,* immò sæpe post triduum, & amplius.

Ruffin. lib. 2. vitt. PP. n. 4. Atque hoc erat ex ipsorum Regula. Ruffinus memorat à senioribus se audivisse, quomodo unus è fratribus gastrimargiam

giam vicerit. Tentante satana summo manè esuriebat: frater autem dicebat: Quantumcumque esuriero, saltem usque ad horam tertiam expectare debeo. Hora tertia dicebat: Violenter saltem expectanda est hora sexta, qua præsente panibus aquam infundebat, (nam paxamatia, hoc est panes bis cocti, ac proinde rigandi erant.) sicque expectabant donec mollescerent usque ad nonam, tuncq; complerts omnes orationes & psalmodiam *secundum Regulam* comedit. Quod cum multis diebus facerat, victus satan de sportella, ubi frater paxamatia servabat, per modum fumi evanuit, & is à tentataione liber evasit.

Advertisti *tempus vespertinum* refectionis *regulare* fuisse? quod confirmat etiam Sozomenus, dum ait: monachos veteres ante solis Occasum nil gustasse. Ruffinus scribit eos primum post luminaria, nempe completorium fuisse refectos, sed hoc supra Regulam erat: nam ordinaria hora refectionis per ferias hebdomadis (ne te ulterius detineam) erat *hora nona* ante preces vespertinas, ut Cassianus scribit, quod etiam de S. Martini fratribus tradit Severus. *Cibum* inquit, *unà omnes post horam jeiunij accipiebant.* Refectio autem jeiunantium teste S. Augustino, fit horâ nonâ, quam sacris quoque Virginibus S. Athanasius præscribit dicens: *Post synaxin horæ nonæ comede panem tuum.*

Sozom. l. 1. hist. c. 12.
Ruffin. n. 5.
Cassian. collat. 2. c. 26. & coll. 21. & 23.
Sulpit. c. 7. vita S. Martini.
S. Aug. epist. 118. cap. 7.
S. Athan. de Virg.

Itaque priscorum monachorum vita juge erat jeiunium, cum ordinariè nonnisi semel in die se pascebant. Ascetam, inquit S. Basilius, convenit uti cibis siccis, & quibus minimus inest succus, nec nisi semel per diem, si ordinatè velit vivere. Reduxit hanc legem S. Franciscus de Paula, cuius etiam sedulus observator fuit S Ambrosius, cui referente Paulino prandendi numquam consuetudo erat, nisi diebus sabbati & Dominicis, vel cum natalitia celeberrimorum martyrum essent, quibus nec monachi jeiunabant, ut Cassianus scribit, sed prandebant ac cœnabant, quod S. Benedictus per quinquagesimam quoque observari voluit. A Pascha, inquit, ad Pentecosten ad sextam reficiantur, ad seram cœnent. Inde usque ad idus septembris quarta & sexta feria nonâ reficiantur, nisi labor aut æstus etiam prandium admittat. Ab idibus. Sept. ad caput quadragesimæ semper ad nonam primum reficiantur. In quadragesima verò ad vesperam; sic tamen ut adhuc lucente die, nempe ad noctis crepusculum.

S. Basil. in cōstit. cap. 6.
Paulin. vit. S. Ambros.
Cassian. l. 3. instit. cap. 12.
S. Bened. reg. cap. 37.

Digitized by Google

Cum ergo monachi quondam dumtaxat semel in die reficerentur; labor tamen, religio, infirmitas & hospitalitas admittebant refectionem geminam, sic & Essæi binam sumebant refectionem, & quidem de Syris, ut S. Ephraim insinuat, Licet, inquit, bis in die ad comedendum tradatur; duros enim subinde sustinebant labores; nec talia apponebantur, quibus à cœna in cœnam durare valebant. Nos qui vilia cum labore fastidimus, nisi cœnis & prandijs interiungatur nunc jentaculum, nunc merenda, audemus etiam murmurare.

Epist. 12. S. Ephr. ad hort. 1. fol. 280.

EPISTOLA LXXXV.

Extra tempus & Refectorium manducare inordinatè religiosi non debent.



Omnia tempus habent, maximè in cœnobijs. Est igitur tempus edendi, quod patres nostri omni studio observarunt. *Summa cautione*, ait Cassianus, *servatur, ne extra mensam quidquam cibi petinus ori suo quisquam indulgere præsumat; sicut sacrilegium ducatur si transiens per hortum pomum decerpat vel levet.* Monialis cœnobij S. Amati sine superioris assensu ausa est pomum comedere, & illicò à maligno spiritu obsessa ac cruciata est. Hæc gulæ merces debebatur. Sub S. Hilario Tusciæ monacho inter cetera Regulæ mandata, fratres de collectis frugibus nihil penitus audebant gustare, nisi id Abbati prius oblatum fuisset. Frater autem quidam immatura conspecta uva tentatione pulsatus eam expetijt, & ne contra obedientiam extra tempus edendo delinqueret, ab Abbate comedendam obtinuit. At ubi eam decerpsit, serpentem in manu invenit, quo abjecto patri quid factum sit nunciavit. Abbas cum suboleret quis in serpente lateret, monstrum per caudam in Ecclesiam traxit. Ibi rotundè per os viperæ dæmon est fassus, si frater uvam comedisset, quod eum de monasterio recedere fecisset. Quo dicto serpens crepuit, dæmon evasit. Quid huic fratri contigisset, si arreptam uvam furtim comedisset?

Cassian. l. 4. instit. cap. 18.

Surius in vita S. Amati.

Lib. 3. vitt. PP. Occid vita S. Hilar.

Bover. A D. 1584

Recordor hic fratris illius hortulani, de quo Boverius in annalibus, cui solemne erat primo manè ficus maturiores colligere, abscondere, finitoque laboris penso vorare. Agnovit tandem cuius suggestione: nam cum semel latentes ficus aperiret, ut de

ut de more comederet, deprehendit eis incumbere horridissimum bufonem. Quo viso cum aliud non æstimare posset, quàm in bufonis forma latere satanam, terrefactus aufugit.

Non facilè credis Josippe, quàm graviter notentur furtivi comedones. Multos ego novi, ait S. Basilius, multis varijsque sæpe passionibus curatos: unum autem furtivum comedonem gulonemque ex omnibus sanatum fuisse numquam novi; sed aut è societate continentis vitæ abstracti in sæculo perierunt, aut inter continentes delitescere conantes diabolo voluptuosè militarunt. Nam mendaces tales sunt, ad iurandum periurandumque prompti, rebelles, pertinaces, clamosi, voratores, nugaces, illiberales, delicati, querulosi, exploratores, curiosi, lucifugi, omnis honestatis adversarij voluntarij; quique gulæ vitium ut occultent, in plurima mala devolvuntur. Hi exteriori quidem specie inter sanctos & electos; re autem vera & actionibus proprijs inter reprobos ac damnabiles recensentur. S. Ephraim comparat huiusmodi gulosum monachũ pauperi nomen Regis sibi adsciscenti, adeoque personato monacho. Nam quomodo monachus, si non Cõtinens, ut eos nominavit antiquitas?

S. Basil. de abrenunc. rerũ.

Epist. 7.

Habebant Capucini A. D. 1584. Camerini novitium nomine Antonium. Hic quidquid de mensa furtim sublegere poterat, furtim manducabat. Quo vitio eousque tandem progressus est, ut amplius nec Ecclesiastica, nec regularia ieiunia curaret. Denique à magistro deprehensus, cum larvam dumtaxat monachi gestaret, pro suo merito abiectus est, id quod huic Ordini non recens, nec absque divino nutu est: nam cum Bartholomæus Cæsenas eiusdem sacræ familiæ magni vir nominis plures hoc vitio laborantes tyrones eijceret, totus penè Ordo pro uno illorum ei supplex fuit; nam iuvenis erat admodum excellens. Atque de nocte Christus cum S. Francisco Cæsenati apparuit, qui ambo pariter ei imperarunt, ut & hunc gulosum adolescentem eijceret, cum fieri vix possit, ut qui huic vitio semel se immersit, denuò emergat.

Bover. A. D. 1584.

Idem A. D. 1592.

S. Doroth. doctr. 11.

Accipe rem lacrymabilem, ait S. Dorotheus: Cum essem in Cœnobio, consveverant fratres omnes cogitationes suas ad me deferre. Die igitur quadam venit ad me unus è fratribus postulans pœnitentiam, quia furtim comederet. Qui à me rogatus, cur id? respondit, fame se cruciari, nec posse in mensa saturari. Cum monerem, ut id significaret Abbati, pudore se

Digitized by Google

dixit teneri. Itaque ipse Abbatem adij, fratrisque fragilitatem aperui, qui mihi omnem eius curam commisit, viderem quomodocumque curaretur. Post quæ continuò cellariotam accessi mandans, ut quacumq; hora frater edere vellet, nil negaret. quod & præstitit. Itaque per aliquot dies frater à furto se continuit. Verùm non multò pòst ad me reversus cum lacrymis veniam petijt, seque incusavit repetiti furti. Quem cum rogassem an à cellariota repulsam pateretur, negavit, sed verecundia se teneri dixit. Cui ego: An etiam coram me erubesceret? Non, inquiebat. Igitur iussi ut de cetero ad me veniret pro necessarijs, dummodò abstineret à furto. Eram tum Præfectus infirmorum. Ergo venit: nec quicquam ei negavi. Sed paucis post diebus cum lacrymis ad me veniens ad furtum se revertisse confessus est. Ad quem ego: Cum & omnia tibi ministrem, & tu non erubescas ea à me accipere, quid causæ habes? Respondit ille rotundè, non aliam esse causam præter consuetudinem: quæ enim furetur, non sibi, sed asino se reservare. Et sic repertum est: nam fabas, palmulas, ficus, cepas & similia lecto supposita, cum incipiebant putrescere, proijciebat asino.

Vis audire graviora? Inter Capucinos duo fratres erant, qui accepta à cognatis electuaria clam in cella solebant absumere. (Bover. A. D. 1569) Non sivit inultum divina severitas vitium hoc: nam dum semel liguriunt quæ furtim acceperunt, tanti ventorum turbines cœnobium invaserunt, ut eius timeretur eversio. Nemo præter furtivos epulones turbulentam hanc tempestatem sentiebat, unde usque adeo consternati sunt, ut per monasterium velut amentes discurrerent. Sic ventus malos, mali se bonis prodiderunt. Quod sequitur terribilius est. (Idem A. D. 1577.) P. Joannes Illiricus eiusdem instituti perfrequens erat in jeiunijs. Habebat hic asseclam in mensa ventri adeo deditum, ut edente Joanne nuces, ipse se pasceret elixis gallinis, has sui stomachi nuces esse dictitans. At Deus non irridetur. Nam cum quadam vice delicatum ventrem in cella similibus delicijs infarciret, horrendus per monasterium cœpit audiri strepitus ac tumultus, quo fratres exciti cum tandem ad eius cellulam venirent, repererunt eum mantili quo utebatur, à dæmone ita suffocatum, ut una pars per os anterius, altera per posticum exiret. Cuius partem superiorem cum fratres niterentur extrahere, secuta sunt unà & viscera.

Per

Digitized by Google

Per quæ quis peccat, Josippe, per eadem & punitur. Provide igitur S. Augustinus in Regula: *Quando aliquis non potest jeiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.* Quibus verbis si etiam intelligat alimenta liquida, quàm bene horam bibitionis de nostris statutis eliminavimus. Sæpe quæritur in Phebotomia, unde sit tanta copia incocti sanguinis? In promptu causa est. Non permittitur tempus concoctioni. Extra horam estur & bibitur. Ut valeas, observa tempus & horam.

EPISTOLA LXXXVI.

Cur apud nonnullos religiosos bis ad mensam signum datur.



IAm pridem sonuit tertia, quæ nobis nona est, ante quam, teste Nicolao Papa, boni viri religiosi, si sani corpore sunt, non solent comedere: immò nec debent ex mandato Concilij Lugdunẽsis. Itaque cum paulò pòst tempus prandendi sit, frater ad hoc constitutus (quem olim *indicem* seu *signiferum* appellabant) jam semel signum dedit: ubi alterum dabit, maturandum est ne cum Pachomianis ultimo loco sedere, aut cum Benedictinis vino carere, & seorsim comedere cogamur, si id absque causa & crebrius fiat. Si miraris cur signum bis detur, idq; nostræ virtuti adscribis, quasi tam infensi simus refocillationibus carnalibus, ut geminato signo quodammodo cogi debeamus, erras. Ad mensam nos trahit rauca Capucinorum tegula. Primus ergo pulsus non est ad refectionem, sed ad considerationem. Si bona præparatio ad rem ullam, certè ad mensam requiritur, ubi mille occasiones, si non ad malum, saltem non ad bonum sunt. Hinc pars horæ datur, qua nobis prospiciamus. Non sine causa S. Jgnatius suis socijs præscripsit quadrantis examen conscientiæ ante mensam, ad quod etiam citantur pulsu campanæ. Angelicum hoc inventum est, datum S. Pachomio, cuius fratres signo ad comestionem dato jussi sunt aliquid meditari. Eremitis S. Augustini inter primum & secundum pulsum aliquid legitur, inde processionaliter intrant ad Refectorium tamquam ad Ecclesiam. Ante triginta annos ea consuetudo in meo tunc cœnobio erat, ut in silentio ante Refectorium sedentes expectaremus Prælatum, quo præsente ordine

Nicol. I. in responsis ad Bulgar. cap. 60.
Lugdun. II. can. 65. A. D. 570.
Antioch. monach. hom. 26.
Reg. S. Pach. n. 16.
S. Bened. cap. 43.
Reg. S. Pach. cit.
Constit. Eremit. p. 1. c. 9.

Digitized by Google

dine ingrediebamur. In hoc loco antiqua lex est, ut taciti à primo ad secundum pulsum in Refectorio consideamus, & præmeditemur occurentia mensæ pericula. Essæni in cœnaculum tamquam in templum ibant: euntibus autem in templum ad orationem numquid dicitur, ut præparent animas suas. Crede mihi, non immeritò B. Eutychius Abbas per annos admodum 40. tantummodo semel absque prævijs lacrymis cibum sumpsit: novit enim nihil esse difficilius quàm innocenter se reficere: nam dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, ait S. Augustinus, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ: ipse enim transitus voluptas est, & non est alius quà transeatur, quàm quò transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur. His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam Deus ad salutem meam. Et quis est Domine qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum.

Porphyr. l. 4. de abstinent.

Eccli 18. In vita. S. Odon.

S. Aug. l. 10. Conf. cap. 31.

Prô superi! quantum laborarunt sancti religiosi, ut omnem gulam in mensa abscinderent. S. Elphegus ex monacho Episcopus cum pransurus intrabat ad mensam, tam vacuus à mensa recessit ferè, quàm accessit. Unde corpus eius tanta attenuatum est macie, ut cùm manus cum Sacramento tensas in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas claritas aëris velut perspici posset. Berchtoldo Abbati Garstensi etsi penè numqum defuerint hospites; vir tamen sanctus raro præter unum qualemcumque cibum pani suo adijciebat. Bonos autem cibos qui sibi apponebantur, semper vel discumbentibus coram se fratribus; vel foras mittebat leprosis & pauperibus. Anselmus delicium Lucensis Ecclesiæ cuncta sæculi blandimenta, & corporis delicias, quibus gaudent homines, ipse sibi convertit in tormentum, abominando singula tamquam quælibet venena. Cibos quoque appositos dum à circumsedentibus interdum sumere cogeretur, infirmitatem aut votum, vel quamlibet occasionem honestè finxit, ut & desideratam observaret castimoniam, & convivantibus non inferret tristitiam. Vinum sicut beatus ait Hieron. ferè ut venenum fugit. Vidi, quod & tacitus notavi, ut in ore sumptam buccellam nollet dentibus, sicut

Osbernus in eius vita.

Auctor anon. in vita.

Gretser in vita.

Digitized by Google

cut est communis hominum consuetudo, masticare, ne aliquam dulcedinem caperet, sed molliter tactam, & breviter involutam consumpsi.

P. Aurelius Mediolan. & P. Josephus à Leonissa inter Capucinos magni viri, ut gustum mortificarent, cibos miscebant pulvere absinthiaco. F. Vitalis laicus cum semel ægrotaret, tenebatur appetitu pisciculorum, quos appellant Sardinios. Quibus allatis secum ita disseruit: Morbi mei genus his piscibus nec indiget, nec curatur, ergo eorum concupiscentia non est nisi à fratre meo asino, nempe à corpore. Agedum ergo frater asine, quia circumvenisti me, satis est tibi pisces aspexisse, & amotos nec ad tantillum gustare voluit. Quo loco mihi in mentem venit senex ille apud Pelagium ad mortem usque decumbens, cuius faciem cum quidam de fratribus lavisset, atq; ex allatis cibis moribundum refecisset, dixit: *Verè frater oblitus eram homines habere posse solatium de cibis.* Et cum calicem vini porrexisset, bonus senex flere cœpit dicens: *Non sperabam me usq; ad mortem vinum bibiturum.*

Bover. in annal. A.D. 1588 & 1612.

Idem 1587.

Pelag. l. 4. n. 66.

Bover. 1586

Quocirca boni religiosi gulæ illæcebras etiam in infirmitate & morte timent, gnari quid mali inde proveniat. F. Antonius Bergomensis laicus ex tribu Capucinorum in morte terribiliter à dæmonibus vexatus est, qui cum omnia, in quibus accusabatur, non malè diluisset, nequam spiritus ei tandem objecerunt, quod aliquando iam religiosus, absque Superioris licentia vini haustum fecerit, pomumque comederit. Quod cum negare non posset, omnem vim inferebant, ut eum secum ad tartara raperent. Erat ob tantillum delictum in extremis angustijs, & ignoro quomodo emersisset, nisi fratribus orantibus Regina cœli cacodæmones abegisset. Eiusdem Ordinis F. Cyprianus ob longam infirmitatem cœpit paulò esse delicatior: ob quam rem unam in summo fuit damnationis periculo, sicut ipsus à morte cuidam significavit. F. Antonius laicus corpus inedia quotidiana solebat atterere. Is cum semel calicem mero plenum cum aliqua delectatione hausisset, audivit dæmonem ob id effusè cachinnantem.

Idem 1530.

Ibid.

Idem 1606.

At quid hæc ad id quod sequitur? Franciscus Burgundus cum eidem se religioni consecrasset, vidit Superiores in mensa vel propter præsentes hospites, vel propter officij dignitatem subinde tractari meliusculè. Ut ergo his vix triobolaribus

bus lautitijs frueretur & ipse, omnem suam vitam fucatissima sanctitate ornavit, sic ut nemo ipso honoribus dignior censeretur. Itaque promotus in Quardianum Maurianæ urbis in Sabaudia cœpit frui desideratis, ut imaginabatur sibi, cupedijs. Sed malè parta, si non citò, certè malè dilabuntur. Deus non diu impunitum permisit hominis intemperantem animum, sed guttur afflixit angina delicto pœnâ proportionatissimâ. Quâ cum ad extrema venisset, hortatu P. Tiburtij sacramentaliter quidem confessus est, verùm divino epulo ob faucium angustias frui non potuit; allatum tamen humi prostratus adoravit dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quin & vota solemnia palam renovavit. Tandem extremo quoque oleo inunctus est. Quare huic tantæ præparationi nihil deesse videbatur, quàm lætus obitus. Sed ô incertæ nostræ providentiæ! Cum paululum perstitisset in alto silentio, ex imo traxit suspirium, vultuque ac voce penitus immutata in hæc verba prorupit. *O fratres, fratres, Verè non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. O, ô, fratres: profectò spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur. Nulla mihi pars est cum hæreditate sanctorum. Gula & ambitio totum rapuerunt, idcirco iusto Dei judicio ad æterna supplicia damnatus sum.*

Nova hæc adstantibus & mirissima mira videbantur. Monetur proin' ut recordetur suæ tam religiosæ vitæ. Verùm ille: *Quid*, inquit, *opera mea, commemoratis, quæ me potius accusant?* Cui confessarius: Cum adhuc vivas, noveris non omnino tecum actum esse: adhuc spes est, & misericordia Dei aperta. Ad quod ægrotus: *Tempus pœnitendi modò recessit, Dei misericordia & omnis salutis spes occlusa mihi est. Heu dulces boli; heu amaræ honorum epulæ, quàm duram mihi concoctionem causatis?* Confessarius allata Christi in cruce pendentis imagine, misero multis inculcat vulnera, sanguinem, mortem, charitatemque Salvatoris erga peccatores. At ille: *Frustra hæc mihi narras, iam damnatus sum: nil omnia iuvant: alter Iudas fui: sub ementito religionis titulo Christum velut osculo prodidi. Nulla mihi vmquam erga Deum fuit sincera charitas; sed ambitio & gula cuncta mea opera, quæ vobis bona apparebant, depravarunt.* Instat confessarius, ut saltem nomen IESU & MARIÆ proferat. *Non possum*, inquit, *nec vellem, etsi possem.* Post quæ Regulam, Agnum Dei cum rosario de manica proijciens ad singula clama-

la clamavit, *Damnatus sum:* nec ea umquam recipere voluit.

Quid agerent fratres in tam lugubri tragædia sui Quardiani? Currunt ad Ecclesiam, fusisq; in terram corporibus vota, preces, suspiria, ac lacrymas coram Vener. Eucharistia ingeminant, dum interim ille nullam aliam vocem emittit, quàm *Damnatus sum; alter Judas fui.* Ad extremum confessarius sumpto SS. corpore Christi cum solemni pompa ad desperatum pergens monet ut DEI majestatem vel saltem veneretur, aut sacram pixidem attrectet. Verùm ille retorquens aliò caput & oculos, identidem vociferabatur. *Damnatus sum; alter Judas fui.* Quare cum nihil restaret quod experiri fratres possent, consederunt, finem taciti non sine fletu ac suspirijs contemplaturi. Tandem ergo miser voce alta clamare, *In æternum, in æternum:* & adhuc altius. *O in æternum!* simulque spiritum eiecit. Eius facies post mortem tam tetra, nigra, horrida apparuit, ut cunctis metum incusserit. Nec oculi, nec ora claudi vlla arte potuerunt, sed hiantia manebant informiter supra modum terribili spectaculo. Talem exitum gula meretur.

An non jgitur iustissimè meditationis pulsus mensæ præmittitur? Hora imminet prælij, præparandus athleta DEI est. Instat acer conflictus cum gastrimargia, quæ in religiosis congregationibus omnem ruinam & negligentiam, & contemptum operatur. Hanc tu rabidam dominam (Climaci verba sunt) si subigere valueris, omni in loco placidissimam quietem acquirere valebis. Sin minus: Climac. grad. 4.

Veniet iam nunc tibi: quæ quod ad omnes
Dira venit, nomen à veniendo tulit. Bauchus in e. pigr.

Nam qui ventri obsequitur, atque interim fornicationis spiritum vincere cupit, secundum Climacum similis est ei, qui oleo incendium extinguere nititur. Clim. grad. 14. Acerrima censura Tertulliani est, monstrum esse libidinem sine gula, cum duo hæc tam unita atque concreta sint, ut si disiungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Tertull. l. cō. tr. Psychic. cap. 1.

Intelligis utique quàm necessariò præmittenda sit consideratio ante comestionem, in qua recta ratio soli consulit necessitati, & saluti corporali. Videndum ergo *Ne quid nimis.* Editur apud nos, inquit Tertullianus, quantum esurientes capiunt. Idem apol. adverſ. Gent. cap. 39. Bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum DEUM sibi esse. Ita

S. Aug. sup. fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Rectè S. Augustinus alimenta inter medicamenta contra dolorem famis numerat. *Hoc me docuisti*, inquit, *Deus meus, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Quis autem probat in medicinis excessum? Nec defectus, maximè si nimius sit, utilis est. (S. Basil. instit. c. 2. fol. 393.) Unde S. Basilius ait; Regula mensæ optima sit, ut neque ad voluptatem comedas; neque ad macerationem nimiam abstineas: Nam & polysarcia, hoc est carnis obæsitas, & debilitas impedit functiones monachorum, dum ibi lascivia nascitur, & inordinati motus; hic dolores, qui mentem sursum respicere, & quiescere non sinunt, sed potius ad se attrahunt. Itaque medio tutissimus ibis.

Sed quis tam beatus, qui illud semper teneat? *Mirum*, (Clim. gr. 14) ait Climacus, *siquis unquam mensuram hanc tenuit, nisi fortè qui sepulchrum habitauerit.* Angelus ad Pachomium dixit: *Permittes unicuiq; comedere & bibere, secundum quod vires eius exi-* (Pallad. c. 38.) *gunt.* Quod ad punctum tangere cum difficile sit, boni religiosi semper prætulerunt parcitatem largitati, mortificantes membra, carnemq; suam jeiunijs, & abstinentia escæ & potus, (Reg. S. Aug. Ruffin l. 1. vitt. PP. c. 3.) quantum valetudo permittebat. Certè de Pachomianis Ruffinus ait: Sedebant ad mensam contingentes magis, quàm sumentes cibos, ut nec defuisse mensis, nec tamen ventri satis fecisse viderentur: siquidem maior est continentiæ virtus his ab- (Philo. de vita contempl.) stinere quæ in oculis habentur, atque manibus. De Essænis hoc ipsum Philo scribit. Necessitatem in arctum contraxerunt, contenti paucis, ijsdemq; vitantes luxum tanquam pestem corporis & animæ.

Auream huius rei Regulam Martinus Dumiensis tradit. (Mart. Dum. de virt. Card. cap. 3. S. Chrisost. hom. de Lazaro.) *Continentiam*, inquit, *si diligis, circumcide superflua, & in arctum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, & non quantum cupiditas exigat. Omnia blandimenta, quæ ocultam voluptatem trahunt, reijce. Victus tibi de facili sit; nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. A corpore ad spiritum, quantum potes te festina reducere.* Aliqui sic intemperantiæ & voluptati dediti sunt, ut ideo vivere videantur. Quos S. Chrysostomus arguit dicens:

(Et Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 1.) Οὐ γὰρ διὰ τοῦτο ἐγενόμεθα καὶ ζῶμεν ἵνα φάγωμεν καὶ πίωμεν, ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἐσθίομεν ἵνα ζῶμεν, οὐ τὸ ζῆν διὰ τὸ φαγεῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ ζῆν τὸ φαγεῖν γέγονεν ἐξ ἀρχῆς.
Non id circo nati sumus ac vivimus, ut edamus & bibamus: sed

Digitized by Google

sed ideo edimus ut vivamus. Vita non est propter cibum; sed cibus propter vitam à principio datus est. Hæc qui ante mensam expendit, de cibo non plus, quàm vitam requiret. Claudo Epistolam sat sordido sigillo, quod à S. Hieronymo accepi. *Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere de quàm pretiosis cibis stercus conficiat.*

S. Hier. epist. 22.

EPISTOLA LXXXVII.

De disciplina mensæ.

Datus est pulsus alter ad mensam. Si prævia consideratione te disposuisti, bene habet: sin autem, ut minimum orando cibos benedicamus. Hoc docet omnis antiquitas. Si non sufficiunt, quæ non una Epistola tibi scripsi, consule S. Clementem Alexandrinum, qui hanc laudabilem consuetudinem præcipit continuari. Cassianus idipsum de suis monachis tradit. In Lugdun. concilio II. statutum reperies, ut clerici & religiosi laici nisi hymno dicto non edant panem; & post cibos Deo auctori gratias referant. In Rhemensi: Episcopi & Abbates sumant cibum cum benedictione, & laude Domini secundum Apostolum, *Sive manducatis, sive bibitis omnia in laudem Dei facite*. Benedictinorum constitutiones volunt, ut fratres sub hac oratione se convertant ad Orientem.

Epist. 13. & 68. S. Clem. l. 2. Pædag. cap. 4. Cassian. l. 3. instit. cap. 12. Can. 65. tom. 1 concil. Galliæ. A. D. 813. c. 17. 1. Cor. 10. Tom 6. Bibl. PP.

Cibi Benedicti, Josippe, magnam sæpè vim habent. Si quos ab illo Episcopo benedictos, qui ordinavit S. Odonem, canis fortè comedisset, quasi sumpto veneno concidebat, sancta quippe non debent dari canibus, qua de causa cum Grimoaldus Bavariæ Dux cani de cibis à S. Corbiniano benedictis aliquid proiecisset, vir Dei excanduit, ut totâ mensâ eversâ recesserit.

In vita S. Odon. Vita S. Corbin. 8. Sept. Surius.

Quod hodie absoluto jeiunio quadragesimali die Paschæ facimus ut certos cibos solemni ritu consecremus, id olim singulis diebus à presbyteris factum est. *Eulogiæ* vocabantur, & ante mensam distribuebantur, ac prægustabantur à fratribus priusquam alios cibos contrectarent. Hoc neglexisse piaculum erat. *Si quis*, inquit S. Basilius *absq; sumpta eulogia, aut indisciplinatè comederit, separetur*. Erant autem vel panis selectior, vel poma, vel caricæ, aut similia dulciamina, sicut in Pelagio, Paulino, Regula Pachomij, in vita S. Romualdi ac Cælestini reperies.

S. Basil. reg. brev. 122. Idem de Pœnit. n. 10. t. 2, fol. 731. Pelag. l. 15. n. 8. Paulin. ep. 1. ad Sever. Reg. S. Pach. num. 17. Petr. Dam. vita S. Rom. Vita S. Cælest. cap. 14.

peries. Si quid ex eis remansisset, post mensam dividebatur, atque asportatum à fratribus poterat honoris causa mitti amicis, sed non absque facultate Abbatis, ut Regula S. Benedicti habet. Ex consilio Aquisgran. eulogias distribuere solorum erat presbyterorũ. Magni passim fiebant, & gravis pœna erat ipsis privari. Auferens aut occultans aliquid, ait S. Basilius, careat eulogijs. Cum altero quid permutans, aut donans, careat eulogijs. Aliquid amittens, nec inveniens: aliquid foras dans, aut accipiens absque facultate, careat eulogijs. In mensa siquis vel sibi, vel alteri absque facultate aliquid apposuerit, careat eulogijs. Eulogiam mittens sine facultate, careat eulogijs.

S. Bened reg. cap. 54.
A. D. 817. c. 68.
S. Basil. de pœnit. sup. n. 9. 13. 24. 38. 50.

Itaque distributis eulogijs, ac fratribus ordine sedentibus summa semper cura fuit disciplinæ mensalis. Laconicè S. Hugo: *Monachus*, inquit, *in Refectorio oculos in mensa manus in scutella, aures ad librum, cor ad DEUM semper habere debet.* Assides mensæ? ait B. Ephraim, comede panem, & ne detrahas famæ proximi, ut non devorare carnem fratris tui per detractionem comperiaris. Si verò appositus tibi cibus fuerit, quem tu edere non appetis, ne tamen illum averseris, cum plures velint comedere. Accumbis mensæ? Ut homo comede, & ne huc illucq; circumspicias. Ubi apposita sunt fragmenta, ne ea contempseris: iussit enim Dominus ea colligere ne perirent. Cum tranquillitate piscem comede; nec ossibus exugendis clarius sibiles ore.

Vitt. PP. Occid. l. 7. c. 16.
S. Ephr. Proverb. fol. 515. & 529.

Statutum Benedictinorum est Aquisgran. editum, ut cuilibet fratri cibus & potus separatim detur, de quo alteri nihil communicet. Id quod etiam Basiliani ut audisti, sub pœna observare debebant. Aditus enim aperitur dissolutioni per mutuam hinc inde missionem, ut de affectu privato nil dicam. Singularitas quoque disciplinam vulnerat. Quapropter concilium Oxoniense: *Omnem singularitatem interdicimus in Refectorio, ut cibus aliter uni quàm alteri præparetur; sed qui præest, videat ut talia præparentur, prout viderit expedire aliorum infirmitati.* Et licet usus plerumque obtineat, ut Superioribus honoris ergo quid amplius & melius apponatur; multi tamen inventi sunt, qui timentes ne aliquando dicatur ipsis. *Recepistis mercedem vestram*, etiam hanc gratiam detrectarunt. Berchtoldus Garstensis Abbas panem singularem, sive pulmentum speciale sibi fieri passus non est: sed eodem semper quo ceteri

Sup. cap. 76.
Oxon. A. D. 1222.
In vita Sup.

tam

Digitized by Google

tam pane, quàm pulmento sustentatus est. Sic P. Jacobus à Forosarzinio XII. Capucinorum Generalis nihil umquam speciale in mensa parari sibi permittebat, ad quod se Essenorum Præsides etiam juramento adstringebant. Una ipsis cum fratribus olla, una culina, unus coquus, unum promptuarium, potus & supellex erat. Quàm longè ab horum mensis parasiti, fatui, & aretalogi erant! Concilium Rhemense non absque causa dixit: Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant. Residuum sine diminutione distribuatur pauperibus, ita ut nec Abbas, nec Prior, nec eleemosynarius possit in hoc dispensare; secùs; sacerdos suspendatur. Oxonij sic decisum est, ne Servi Dei servis simulacrorum deteriores essent. Quippe Romani olim omnes reliquias ex epulis nuptialibus ac triumphalibus distribuerunt viduis & orphanis. Persarumq; principes etiam dato sonoro signo tubæ pupillos & viduas convocarunt ad tollendas regiæ mensæ reliquias, ut scribit Aristides.

Bover. A. D. 1586. Epist. 13. Sup. Oxon. sup. Plutarch. in Polit. Aristid. de laud. Roman. orat.

Laudabilis admodum apud patres societatis consuetudo est, ut ad finem refectionis etiam micas panis corradant. Forsan à monachis Signiacensibus hoc habent, qui eas insuper collectas manducare debebant: Nihil enim sanctius putabant esse his micis. Ansam huius rei hoc factum dedit. Erat ibi vir bonus, ac monasterio multum vtilis, charusq; omnibus. Hic moriturus subitò cœpit exclamare ad fratres circumstantes. Orate pro me fratres, atque animam periclitantem Deo commendate: nam coram divino judicio modò fui, ubi satanas mihi insultando monstravit saccum refertum micis, quas cum non collegerim, de mensa prolapsæ sunt. Et cum aliquantulum tacuisset, rursus clamavit: Videte fratres, denuò cum sacco satan adstat. Mirantibus & obstupescentibus fratribus, En, inquit, hîc stat: non videtis? Quibus dictis, cum signo se crucis undique signasset, defunctus est. Ex hac causa diligentiores deinceps in colligendis micis fuêre. Contigit autem ut S. Odo adhuc in conventu existens aliquando lectione mensæ abreptus oblivisceretur eas colligere. Ergo cessante lectore cum raptim quidem eas legisset, sed (quod fratres jàm surgebant) absumere non amplius posset, facta oratione, micas manibus tenens accessit ad Abbatem, petitaq; prostrato corpore venia ubi jussus fuit culpam dicere, micas serius collectas ostensurus

Vita S. Odon. Surius. c. 10. XVIII. Nov.

Digitized by Google

exhibuit meras Margaritas Res tam admiranda traxit omnes in laudem Dei, Margaritæq; in rei memoriam ad vestium sacrarum ornamentũ adhibitæ sunt. Josippe si tanti apud Deum pretij sunt, quanti erunt reliquiæ ciborũ pauperibus distributæ?

EPISTOLA LXXXVIII.

De Silentio maximè in mensa.



2. Thessal. 3. S. Aug. de oper. monach. cap. 3. Porphyr. l. 4. de abstin. Ioseph. l. 2. bell. capite 2. A. Gell. lib. 1. noct. cap. 9. Lib. de instit. monach. t. 4. Bibl. PP. Pelag. l. 4. n. 7. Bover. A. D. 1582 Cassian. lib. 2. instit. cap. 15. Lib. 3. vitt. PP. Occid. Vita S. Odon. In reg. cap. 38.

Silentium cum ipsa vita religiosa natum est. Apostolus jubet, ut *fratres cum silentio operantes suum panem manducent*. Idem præcipit S. Augustinus agens de opere monachorum. Apud Essæos numquam clamor, numquam tumultus in ædibus, ipsorumque juge silentium ab extraneis credebatur stupore plenum mysterium. Perpetua sobrietas, ait Porphyrius, huius linguæ refrenationis causa est, dum cibũ potumq; satietate metiuntur. Bonum silentij etiam Ethnicis perspectum fuit. Pythagoras Philosophus suis tyronibus biennale indixit. Sicut enim vir sapiens ait. *Silentium mater est sapientissimorum cogitatuum. Loquax, est janua balnei sæpius aperta, quo fit, ut tepescat balneum.* S. Agathon ut virtutem silentij perfectè addisceret, in ore per triennium gestavit lapillum, quem ante mea tempora secutus est F. Vitus Hyrmiensis Capucinus. Vix quidquam sanctius observatum silentio est à sanctis religiosis. Apud Ægyptios nec puncto temporis licuit uni stare cum altero, & sermocinari, aut uspiam secedere, vel manus invicem tenere. Qui horum unum egisse deprehensus esset, tamquam conspirator præsentibus omnibus fratribus publicè castigabatur; prius tamen excludebatur à communibus orationibus, quo tempore cum ipso nemo audebat loqui, vel orare ne contumacior efficeretur. In vita S. Roberti lego Cistercienses incredibile tenuisse silentium, sic ut necesse fuerit modum invenire, quo sensa sine verbis per signa exprimerent. Talibus signis iam antè religiosi Cluniacenses propter iuge silentium ad omnia necessaria adeò assueti erant, ut ijs, quidquid vellent, possent significare, etsi linguas penitus non habuissent. Hæc signa singulariter pro mensa S. Benedictus adhiberi voluit. *In mensa*, inquit, *fiat summum silentium, ut nullius mussitatio vel vox audiatur præter lectoris. Si quid necessariò petendum est, petatur signo non voce.*

Obser-

Digitized by Google

Observatio silentij, quam grata in conspectu Dei sit, non semel apparuit. Cum in cellario S. Corbiniani mustum in dolio ita ferveret noctu, ut clavus non sine strepitu exiliret, vir sanctus id audiens toto tempore tacuit, tantum ne clamore silentium violaret: Oravit tamen. Manè autem soluto silentio cum vocasset ministrum, quid factum fuisset edixit. Quod ut inaudijt frater, illicò cucurrit, doliumq; apertum reperit, at vinum non effusum. Fur Cluniacensibus de nocte voluit auferre equum. Solus id advertit F. Godefredus; sed amore silentij tacuit. Placuit Deo religio: & fur nec passum abire potuit. Ex ijsdem Cluniacensibus contigit duos fratres à Normanis capi, qui cum tempore silentij ad loquendum induci non possent, dux Normanorum stricto in eos ense irruit, sed excussus ab equo subita febri correptus pœnas dedit. Quod cum viderent milites, sortes sæpe iterarunt, utrum ex monachis in ultionem sui domini flagellarent: verùm sors numquam effectum habuit. Itaque orantibus pro febricitante captivis monachis, dux convaluit. Alio tempore frater oblatrabat reformationi, & alterum idcirco contumelijs afficiebat: is autem, cum tempus tunc esset silentij, tacitus injurias suscepit. Deus autem non tacuit; sed loquacem repentina morte peremit. Stephanus Hungariæ Rex nocte quadam venit ad cœnobium S. Martini; cumque post matutinum fratrum acta exploraret, vidit quosdam non ad cellas, sed in angulos Ecclesiæ secedere, & orare: quos cum sigillatim alloqueretur, illi honoris causa Regi ad interrogata, nulla habita silentij ratione, responderunt. Solus Maurus, quamvis minis terrebatur, amore silentij nihil omnino respondere voluit, id quod adeo Regi placuit, ut ei conferret Episcopatum Quinqueecclesiensem.

Vita S. Corbin. cap. 2

Vita S. Odon. lib. 2. cap. 8.

In eadem vit.

Ibid. cap. 11. vide cap. 9.

Vita S. Emerici Surius. 4. Nov.

Quamlibet autem S. Benedictus dicat, *Omni tempore silentio debent studere Monachi;* consuetudo tamen in omnibus congregationibus religiosis invaluit, ut essent tempora & loca certa tacendi, tempora & loca loquendi, & honestè se recreandi. Hinc canon Oxoniensis: *Tam à Monachis, quàm Canonicis Regularibus & Monialibus silentium imponimus observari in temporibus & locis constitutis.* Et S. Ephraim: *Silentium suo tempore servemus,* maximè nocturnis horis, ut addit S. Benedictus. A Completorio nulla sit licentia cuiquam loqui aliquid. Prævaricator graviori vindictæ subijciatur. Idem in mensa regulari perso-

In reg. cap. 42.

A D. 1222.

S. Ephr. serm. de perfect. fol. 475.

S. Bened. cit.

Digitized by Google

Pallad. c. 38 personante lectore ubique observatur more antiquissimo. Regula S.Pachomij ait: *Inter comedendum nemini liceat loqui.* Hoc ad amussim observatum est. Est eis, inquit Ruffinus, in capiendis cibis summum silentium, ita ut nec putetur in eo loco esse aliquis hominum. Si quis risisset, aut locutus fuisset, illicò iubebatur stare tamdiu, quamdiu Præsidenti placuisset. De omnibus cœnobitis ait S. Hieronymus, Nullus in cibo strepitus est: nemo comedens loquitur. Strepitum movens mox veniam à Priore postulare apud Benedictinos cogitur per constitutiones Aquisgranenses. S. Ephraim postquam silentium sub refectione præ alijs temporibus indixisset, adiunxit: *Qui silentium in mensa servat, similis est ei, qui cum melle panem suum comedit.* Templarij, licet milites essent, sub silentio tamen in uno palatio comedere debebant. Idem pro Canonicis Regularibus statuitur in Concilio Aquisgran. quamvis olim ad silentium in mensa non ita adstricti erant ut Monachi. De Nepotiano enim Sanctus Hieronymus ait: Mensæ avunculi (Episcopi) intererat. Sermo eius per omne convivium de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecundè, recta suscipere, prava non acriter confutare, disputantem contra se magis docere, quàm vincere, & ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confiteri. atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur. S. Augustinus quoque in mensa magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemque diligebat; sic tamen, ne ex disputationibus orirentur altercationes; quæ quia subinde nascebantur, lectio continuata per integram mensam invaluit, sub qua ut nemo quidquam requirat, aut conferat, excepto Priore, Benedictinis mandatur.

Ruffin lib. 1. vitt. PP. c. 3. — S. Hier. reg. num. 11. — Idem ep. 22. — Cap. 41. — S. Ephr. paræn. 46. & in Proverb. fol. 529. — Reg. Templar. cap. 8. — Cap. 123. — S. Hieron. ep. 3. — Possid. in vit. cap. 22. — S. Aug. regul. — In reg. c. 38.

Hodie ergo tacemus omnes, quia continuò per mensam legitur. Nec hoc difficile est. Tacuerunt quondam Monachi inter laborandum; & non queamus tacere inter convivandum? Fuerunt qui in arctissimo silentio perseverarunt multos annos, inde dicti *Silentiarij.* Ita Ioannes ex Episcopo Monachus effectus, per annos 47. iuge tenuit silentium, unde præ alijs *Silentiarius* appellatus est. Simeon Sales cum socio Ioanne in eremo silentij cursum nocte dieque peregit. Acepsimas inclusus in silentio consumpsit annos 60. Salamanus eiusdem instituti cum nullo umquam homine loquebatur. Id & Limnæus adhuc

S. Aug. de oper. monach. cap. 3. — Cyrillus monach. in vita ejus. — Leont. in vita S. Simen. — Theodoret. in Philoth. c. 15. — cap. 19. — cap. 22.

huc adolescens longissimo tempore observabat. S. Macarius Alexandrinus per totam quadragesimam silentium continuavit. Theonas Thebanus annis triginta siluit. S. Arnulphus adhuc Monachus per triennium ac sex menses nulli mortalium locutus est ullum verbum. B. Romualdus in Sytria per septennium inclusus silentium continuum inviolabiliter tenuit. S. Radulphus Brabantiæ Monachus intra sedecim annos non syllabã locutus est, quod studium Deus miraculo remuneravit: nam cùm repentè claustrum igne corriperetur, illę hac una voce, *stet ignis*, flammam extinxit. De religiosissimo silentij studio Carthusianorum Londoniensium non est, quod aliunde repetam. Verissimè Joannes Abbas dixit: *Vita Monachi usqueadeo est aliquid, donec sub silentio studuerit, quo remoto, quidquid bene vel honestè se agere putaverit, secundum institutionem Patrum nihil erit.* Quid mirum proinde, si erigere nos ad altiora non possumus? pleni rimarum sumus, undique diffluimus. Confundant nos feminæ. Cyramonacha per annos 42. numquam loqui audita est. S. Isidora etsi infinitis molestijs à sororibus afficiebatur, nec multum, nec parum umquam loquebatur. S. Maria de Oegnies 35 dies absque cibo in silentio duravit. Tacet loquax natura mulierum, & virilis natura à sua gravitate ita degeneret, ut parvo tempore linguam frenare non possit?

Pallad c. 21. Ruffin. lib. 1. vitt. PP. c. 6. Eius vita Sur. 15. Aug. Damian. in vita. Molan. in natal. Belgij. 5S. Epist. 11. Lib. 7. vitt. PP. Ovid. c. 16. Theodor. sup. cap. 29. Pallad. c. 39. Ioan. Vitriac. in vita.

EPISTOLA LXXXIX.

De Lectione Mensæ.



UBi ad mensam consedisti, non statim ut lupus famelicus in cibum irrue. Tene ordinem præcedentiæ, & uno vel altero Dei verbo tamquam spirituali bolo prius pasce animam, quàm corpus. Apud plerosque religiosos in more est, ut corporalem cibum non tangant, nisi audito parum lectore. inde à nõnullis signum licentiæ datur, ut & fauces sumant cibum, prosequente suum officium lectore, quod sanè non est recens; neque solis religiosis, sed & Episcopis & sapientibus laicis usitatum.

In concilio Turon. III. A. D. 813. præcipitur Episcopis, ut crapulam & convivia fugiant, sed parco & moderato cibo utantur, adhibita lectione Mensæ: id quod Moguntiæ

Cap. 5. Mogũt. 1. c. 9.

cap. 17. eodem anno Canonicis clericis mandatum est, & Rhemis Episcopis simul & Abbatibus. In synodo Rhegiaticina A. D. 850 capite 1. definitum est, ut in cubiculo Episcoporum adessent clerici, in quorum mensa adhiberetur lectio, quæ lex etiam data Templarijs pro prandio & cœna est, eamq; pridem antè observavit S. Cæsarius Arelatensis, S. Augustinus Tagastensis, S. Thomas Cantuariensis, S. Anselmus, magni nominis Episcopi. Origenes tametsi non Episcopus, multorum tamen Episcoporum magister fuit, cibum numquam sumpsit, nisi uno de fratribus legente. Etiam Stephanus VI Papa ad prandium semper lectorem adhibuit.

Regul. Templar. cap. 9. Cyprian. vita. Cæsar. Possid. vita S. Aug. cap. 22. Conciliab. Northamton. A. D. 1164. Vita S. Ansel. Trith. lib. 2. script. vita. Orig. Anastas. vita. S. Steph.

Et quid mirum si legatur ad mensam Ecclesiasticis? lectum est & laicis, etiam ethnicis. In convivio Pomponij Attici nemo aliud acroama audivit, quàm anagnosten: neque umquam apud eum cœnatum est sine lectione, ut non minus animo, quàm ventre convivæ delectarentur. M. Aurelium Jmp. aiunt per totum tempus Imperij numquam cibum cepisse, nisi vel anagnosten vel Philosophum audiret. Imitatus est eum Carolus magnus, qui inter cœnandum solebat aut aliquod acroama audire, aut lectorem. Legebantur autem ei historiæ, & antiquarum rerum gesta: delectabatur etiam libris S. Augustini, maximè de Civitate Dei: Nec absque fructu: Ex hoc namque Doctore si nihil aliud, id saltem didicit, hominibus sæcularibus ad mensam non inaniter aliquid legi.

Cornel. Nepos. vita Attici. Anton. Guevar l. 2. c. 18. horol. principum. Eginhard. vita Caroli. S. Aug. serm 56. de Temp

Viros in hoc utili exercitio imitantur feminæ, sicut ostendunt regulæ sanctimonialium. S. Lioba tanto studio & affectu rapiebatur in lectricem, ut constitueret sororem, quæ sibi etiam dormienti scripturam sacram prælegeret. Et erat mirum. Quamvis profundè dormiebat; omnia tamen percipiebat; quod ex correctione errorum cognoscebatur. Unde sorores nonnunquam de industria errabant, ut eam explorarent.

Surius vitâ S Liobæ cap. 12.

Cur autem in mensa lector adhibendus sit, concilium te docet Toletan. III. sub rege Reccaredo. *Pro reverentia Dei*, inquit, *& sacerdotum id universa sancta constituit synodus, ut quia solent crebro mensis ociosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ probibentur.* S. Basilius idcirco vult legi in mensa, ne inter comedendum mens in ocio divinarum cogitationum relinquatur. Cassianus ait:

A.D. 589. c. 7. S. Basil. ep. 1. Cassian. lib. 4. instit. c. 17.

ait: Lectionem mensæ inter Monachos initium habuisse à Cappadocibus, utique auctore Basilio: institutionis huius causam extitisse, ut fratres etiam in spiritu reficerentur, & caverentur lites super mensam. Quo sensu S. Augustinus quoque mandat: Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures percipiant Dei verbum. S.Aug. reg.

Itaque tempore Cassiani Ægypti & Thebaidis Monachi ad mensam nondum legerunt, sed tantum observabant silentium, ut nullus nec mutire ausus fuerit præter eum, qui suæ Decaniæ præerat. Qui tamen siquid defuisset, id potius sonitu significabat, quàm voce. In fine tamen refectionis iuxta S. Hieronymum breviter aliquid de scripturis ex memoria revolvebat. Cassian. sup. S. Hier. præfat. reg. S. Pachom.

Et quoniam ex occasione lectorum subinde in mensa nascebantur controversiæ, & lites, voluerunt nostri maiores, ut lectio per integram refectionem continuaretur. Sic pro canonicis regularibus sancivit Concilium Aquisgran. sic pro Benedictinis B. Benedictus in Regula, adeo ut hoc etiam in secunda mensa observari iuberet synodus pro ipsorum reformatione Aquisgrani celebrata, in qua re Cluniacenses admodum accurati fuêre: nec immeritò, quia ex S. Basilio bonus religiosus maiori cum voluptate lectionem mensæ, quàm ipsos cibos capit. A. D. 816. c. 123. Reg. S. Bened. cap. 38. In vita S. Odonis. S. Basil. reg. brev. 180.


Et quamvis sacræ litteræ præ alijs libris semper ad mensæ lectionem adhibebantur: attamen parum interest, si post eas legantur alij tractatus ad ædificationem discumbentium. Ita S. Anselmus etsi in Ecclesia nonnisi hagiographa legi permitteret; in mensa tamen aut collatione admisit etiam apocrypha. Discretioni ergo Superiorum committitur, quid quovis tempore pro qualitate personarum legendum sit. Lectorem vult S. Benedictus non promiscuè constituendum, sed qui per cantum aut lectionem alios possit ædificare. Hic antequam die Dominico suam hebdomadam incipiat post communionem & Missas benedictionem petat, ut Deus auferat ab eo spiritum elationis: ante lectionem verò mixtum accipiat, ne ieiunium ipsi noceat, ac demum cum alijs hebdomadarijs reficiatur. Sed hodie tam serò non estur, ut ieiuna lectio periculum corpori possit afferre. Lectoris bonas qualitates Isidorus annumerat. Morosus lector nullus lector. In vita S. Anselm. sup. Reg. S. Bened sup. Isidor. l. 2. offic. Eccl. c. 11.

Digitized by Google

EPISTOLA XC.

Quid, & quantum generatim religiosis sit edendum.

Proverb 23.



Osippe, mihi & mei similibus in sacris apophtegmatis dicitur, *Quando sederis ut comedas, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Cibi qui magis destruunt, quàm ædificant corpus, conditi sunt mendacio. Quid nobis cum delicijs, qui inter renuntiantes esse cupimus? Frixuris, ait S. Bernardus, non anima saginatur, sed caro. Piper, zinziber, cyminum, salvia, & mille eiusmodi species salsamentorum palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt. Prudenter quidem & sobriè conversanti satis est ad omne condimentum sal cum fame. Quâ solâ non expectatâ, necesse est alias de nescio quibus succis extraneis confici permixtiones, quæ palatûm reparent, gulam provocent, excitent appetitum. Fames miro mòdo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. Olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur deliciæ. Famelicus de nullo murmurabit; nec de adulterinis delicijs sollicitus erit. Quin hoc ipso quo religiosus es, voluptates aversaberis, cùm in ipsis lateat hamus mendacij.

S. Bern. ep. 1.

P. Damian. in vita.

S. Romualdus nobili astu gulam fefellit ac fregit. Si appetitus eum proritabat ad cibum esculentiorem, accuratè illum parari iussit, allatumque ori naribusque admovens, soloque capto odore dixit: *O gula, gula, quàm dulcis, quàm suavis modò tibi saperet iste cibus: sed væ tibi: ex eo numquam gustabis.* Sicque intactum misit ad cellarium. Quodam ieiunij tempore, cum multa esset piscium penuria, Procurator S. Ottonis Bambergen: Episcopi lucium non magnum duobus emit solidis, sanctoque viro apposuit. Cuius pretium ut intellexit, *Absit,* inquit, *ut miser Otto solus hodie tot nummos absumat,* levansque discum, *Ferto,* ait, *piscem hunc, sicubi nosti hominem morbo decumbere. Ego qui robustus sum, hoc me pane facile refecero.*

Surius vita S. Otton.

S. Basil. ep. 1.

Hoc est, Iosippe, quod docet magnus Basilius, in cibo solummodò quærendum τὸ χρειῶδες, id est necessitatem: sic ut si

panis

Digitized by Google

panis cum alijs de seminibus paropsematis adjectâ aquâ suffi- ciat, sano præterea nihil esse desiderandum. *Sit vilis,* ait S. Hie- ron. *& vespertinus cibus, olera & legumina, interdumq; pisciculos pro summis ducas delicijs.* Certè Cassianus scribit antiquorum summas fuisse delicias, si herba sale condita, quam *Lapsanium* vocabant, aquâ diluta ad refectionem fuisset apposita. B. Mar- cellina etsi infirma, hanc tamen instructionem à Liberio debe- bat acceptare. *Infrenent teneram ætatem jejunia, & parsimo- nia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates.* Si corpus infirmum per saturitatem excitatur ad illicita desideria, quid continget sano? Rationabiliter igitur S. Martius Abbas, cum adhuc juvenis esset, luxuriam totis viribus expugnavit, gladio abstinentiæ.

S. Hier. epist. 13. Cassian. 4. instit. 11. S. Ambros. l. 3. Virg. S. Greg. Turon. vitis SS. cap. 8.

In aureo libello de martyribus Angliæ horrenda fratris delicati pœna legitur. Joannes Dailei audiebat Ordinis S. Bru- nonis. Hic semel murmuravit, quod super mensam nec satu- ratus, nec cibi pro oculis & appetitu fuissent: unde inter cete- ra adjecit, maluisse se bufones, quàm eius generis pisciculos manducasse. Vix verba protulerat, & tantam bufonum co- piam ei Deus immisit, ut totum cellæ pavimentum replerent. Quacumque per cubiculum ibat, eos habebat pedissequos. In mensa ei jugiter assidebant, in ipsumque discum insiliebant. In lecto conthorales erant. Si quem in ignem conjecisset, resilie- bat illæsus: siquos obtruncasset, nascebantur in vestigio alij, sic ut numerus quotidie augeretur. Per integrum mensem pla- ga in cella duravit; in vicino hortulo per tres. Semel unum for- cipe arreptum in flamma torrere voluit: sed tantus ex eo fœtor exhalavit, ut à cœpto desistere debuerit. Sic luit miser suam gulositatem.

In vita Ioan. Houth. cap. 8.

Nec ferculorum varius & multiplex apparatus nostris maioribus placuit. S. Lupicinus Abbas cum fortè superve- niens in culina ciborum varium apparatum conspexisset, minus quàm pauperes Monachos decebat, indignans cacabum æneum igni imposuit, in quem ubi omnes cibos tam pisces, quàm olera confusim injecit: *De his,* inquit, *pultibus fratres refici- antur: indignum namq; est, ut delicijs vacantes ab opere divino impediantur.* Pudet dicere, quot modis apud delicatulos sola ova, ut ait S. Bern. versentur & vexentur. Quanto studio e- vertuntur, & subvertuntur, liquantur, durantur, diminuun-

Greg. Turon. cit. cap. 1. S. Bern. apol. ad VVilhelm.

Digitized by Google

tur. Et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farta, nunc mixtim, nunc singillatim apponuntur. Apage, si bonus es, cum hac variatione. Sive semel sive bis in die comedatur, dentur, ait S. Benedictus, duo pulmentaria, ut siquis non potest comedere unum, habeat alterum. Si poma, aut nascentia legumina fuerint, addatur tertium. Magna pars Monachorum uno dumtaxat cibo contenta erat.

S. Bened. reg. cap. 39.

Occurrunt tamen per annum tempora, quibus in rigore cum fratribus dispensatur. *Diebus festis*, ajunt leges Canonicorum Regularium, *sicut moris est Ecclesiæ, iuxta quod melius Prælati possunt, fratribus cibum, potumq; ministrent.* Et quamvis Benedictinis in Concilio Aquisgran. dicatur, *Volatilia intus forisve numquam comedant, nisi pro infirmitate:* ibidem tamen eis conceditur, ut in Nativitate Domini, & Pascha tantum quattuor diebus, si est unde comedant, si verò non est, non requirant, quasi debitum: si etiam his diebus velint abstinere, faciant: Nam S. Paulinus nec in Paschate deposuit abstinentiam. Templarijs similiter S. Bernardus concessit, ut in hebdomade Nativitatis Christi, in Paschate, & festis omnibus B. Virginis MARIÆ ter carnem haberent. Et quid prolongo sermonem? Non est Ordo religiosus, qui si possit, hoc non observet. Etiã in phlebotomia hoc ab Aquisgranensibus statutis admittitur. Relaxari subinde etiam corpora debent, quamvis non usque ad vomitum, sicut diebus festivis faciebant Monachi Remoboth; nec ultra metam disciplinæ religiosæ.

Concil. Aquis. 816. cap. 122.
A. D. 817. c. 8.
cap. 78.
S. Paulin. ep. 5. ad Amandu.
Reg. Templar. cap. 10.
A. D. 817. c. 11.
S. Hieron. ep. 22.
Baron. A. D. 995. n. 13.

Cum aliquando B. Nilus ad Mansonem Abbatem Cassinensem accederet, invenit ipsum casu in Monasterio inferiori, in quo est pulcherrimum sacellum S. Germani aquarum pulchritudine circumdatum. Invenit autem Præpositum ipsum cum insignioribus Monachis in cœnaculo comedentem. Cum itaq; expectaret ipsum B. Nilus in Ecclesia cum suis fratribus, audijt quod Citharædus locum ingressus convivij citharam pulsaret. Tunc B. Nilus ad suos dixit: *Memoria tenete, fratres, verbum hoc, quod brevi tempore veniet ira Dei super homines istos. Surgite, & hinc discedamus.* Et hoc cùm dixisset, recessit. Nec annus transivit, & Præpositus ipse captus defectionis sive seditionis causa, eruti sunt illi oculi, & Monachi gravi morbo oppressi, alij quidem usque ad mortem afflicti sunt, alij perierunt. Citharædus ille prolectus ut raperet, & captus est, & post multa tor-

menta

Digitized by Google

menta eruti sunt illi oculi. Et sic omnes biberunt calicem iræ Domini, iuxta S. P. Nili prædictionem.

O si nulla etiam Cœnobia integra perijssent ex inhabitantium comessationibus! Vix sæviorem hostem disciplina monastica patitur, quàm intemperantiam. Hæc numquam non insidiatur ascetis, ut eos tepefaciat, & evertat. Cluniacensium quanta sanctitas erat ab initio! Nec micam extra tempus refectionis licebat absque nefas sorbere. In mensa quid vidisses præter pulmenta vilia, & legumina? In servandi ordinis continua iugitate tanta erat prolixitas; tanta præsertim in Ecclesiasticis officijs protelabatur instantia, ait Petrus apostolicus legatus in sua epistola, ut in ipso Cancri, sive leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horæ dimidium, quò fratribus in claustro liceret miscere colloquium. Huic tamen tantæ sanctitati tandem manus injecit luxuria, & invertit, ut exclamaret S. Bernardus. Miror unde inter Monachos tanta intemperantia in commessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit: quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. E contrà remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum, & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Quis in principio cum ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extitêre Monachi! Panem cælestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de scripturis; nihil de salute agitur animarum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces. Tanta quidem accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quattuor aut quinque fer-

In vita S. Odon.

Baron. A. D. 1062. n. 80. & 81.

S. Bern. sup.

culis

culis devoratis prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum. Pudet meminisse, supellex mensæ paulatim displicet, nisi ex auro vel argento sit: quique cum essent in sæculo vix ex argilla cœnassent, modò nauseant stannum Anglicanum. Quàm procul ab his B. Richardus Cicestrensis Antistes, qui memor Christum in pauperibus esurire, numquam ex auro vel argento comedere voluit. Vendidit, & erogavit in egenos, sicut & equi sui pretium. Stultus est, qui cibi potusque naturam ex vasis dijudicat.

Surius in vita. tom. 2.

EPISTOLA XCI.

An, & qualis, & quantus panis Monachorum cibus fuerit ordinarius.



SÆpe inter Monachos tractatus est habitus, ait Cassianus, quis sit optimus modus refectionis, dum alij victitarent vel solis leguminibus, vel solis oleribus, vel solis pomis, & conclusum est, optimam esse refectionem solius panis: quantitatem verò per diem esse in duobus paximacijs, quos parvulos panes vix libræ unius pondus habere certissimum est. Adstipulatur huic decisioni S. Isidorus Pelusiota dicens: *Nihil præter panem requirere esse mensæ spiritalis, ac præclaræ & philosophicæ.* Sanè & B. Basilius ait, *Cum panis cor hominis confirmet, quid opus est condimentis?* Admittit tamen ad panem pulmenta de seminibus, sed hoc secundum indulgentiam. Plerique in condimentum panis sale utebantur. quod optimum esse si accedat fames S. Bernardus docet. Ita S. Antonius præter panem & sal ad victum nihil accipiebat. Civem per triennium S. Hilarion imitans aliud nil gustavit, quàm panem aridum cum sale. S. Palæmon hanc diætam nec in die Paschatis mutare voluit. Pachomiani ieiunaturi ad cellam deferebant solummodò panem, sal, & aquam, quo victu Zachæus S. Pachomij discipulus utebatur perpetuò, sicut & qui cum Evagrio habitabant quam plurimi. Et quid multis? Communis hæc primorum Monachorum refectio fuit. unde Abbas Ioannes dicebat ad suos: *Patres manducantes panem tantùm & salem, fortes facti sunt in opere Dei, dum angustiarent seipsos. Constringamus ergo & nos in ipso pane & sale.*

Cassian. coll. 2. cap. 19.
S. Isid. l. 2. ep. 281.
S. Basil. de Virg.
Idem. epist. 1
S. Bern. ep. ..
In vita S. Anton. cap. 6.
Vita S. Hilar. cap. 6.
Vita S. Pach. cap. 8.
S. Hier. præfat. ad reg. S. Pachom.
Vita S. Pachō. cap. 52.
Ruffin. l. 1. vitt PP. cap. 27.
Rosweyd. in append. n. 1.

Ab hoc

Digitized by Google

Ab hoc rigore qui nonnihil discedebant, addebant ad sal & panem vel hyssopum, ut Essæi; vel parum aceti, & olei, vel olera & legumina. S. Basilius ad panem nec sal adhibuit, dicens ad libidinem nihil magis concitare, quàm salis igneam acrimoniam. Sed, quantum existimo, per hoc nonnisi excessum arguit, aliàs id nequaquam tolerasset in convictore suo Gregorio, qui de seipso canit in eremo suas opes ac victum fuisse panem, sal & aquam. Quidquid tamen sit, multi leguntur panem suum manducasse nullo iuxtim posito salino. S. Athanasius suis sacris virginibus dumtaxat panem præscribit. Cibus ordinarius Simeonis eremitæ, sanctique Stephani Grandimontensis solus panis scribitur fuisse: nec puto corvum S. Paulo cum pane frustum salis semper attulisse. Sufficit igitur si panis in prima coctione condiatur sale.

Eufeb. lib. 2. hist. cap. 17. Ruffin. l. 2. n. 5 sup. S. Hieron. ep. 22 S. Basil. de Virg. S. Greg carm. 1. S. Athan. de Virg. Vita Simeon. lib 3. vitt. PP. Occid. Vita S. Steph. ibid Vita S. Pauli Eremit. cap. 9.

Verùm qualem arbitraris sanctiores monachos panem comedisse? An de farina puriori, & quotidie recentem? Recens, Iosippe, panis si tam usitatus monachis fuisset, frater ille melotem suam non impignorasset, ut ægroto aliquem acciperet. Duri erant, sicci, bis cocti, & idcirco prius aqua macerandi, insuper cibarij. Cum plures viliori se alebant. Jesum testor, inquit S. Hieron. & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus unus per triginta annos clausus hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit. Severus Sulpitius de sanctissimo quodam sene in extrema ora Cyrenorum memorat, ipsum hospitibus prandium sanè locupletissimum apposuisse. At quale? *Dimidium*, inquit, *panem hordeaceum*. B. Senoch per quadragesimam non alium panem quàm hordeaceum comedit. S. Marculphi eremitæ panis ordinarius erat ex hordeo, cui crudas herbas addebat. Simili pane S. Liphardus vitam transegit; sed admodum parcè. Per diem nonnisi unciam accipiens cum aqua. S. Gregorius Nicopolitanus Episcopus de huiusmodi pane tres quidem indies comedit uncias, sed farina de hordeo subacta erat lixivio, ut tanto amplius cruciaretur, quanto plus manducabat. S. Amatus præterea, cum S. Guthlaco, & B. Monegundis alium panem quàm hordeaceum ignorarunt. S. Godricus eremita ramos & radices herbarum in cineres redegit, quos cum farina hordei sic permiscuit, ut partem tertiam cineres continerent. S. Arnulphi inclusi panis erat ex hordeo semitrito:

Pelag. lib. 17. num. 17. S. Hier. epist. 9. & in vita S. Pauli cit. c. 5. Sulpit. dial. 1. cap. 2. Greg. Turno. vitt. PP. c. 5. & l. 3. hist. c. 3. l. 5. c. 7. & de glor. confess. capit. 25. Vitt. PP. Occid. lib. 4. Surius in vita tom 3. Lib. 3. vitt. PP. Occid. Apud Surium. Matth. Paris. hist. Angl. Surius in vita. Idem.

Lib. 3. vitt. PP. Occid. Ioan. Mosch. cap. 17 Theodor. Philoth. c. 13. Idem vita S. Marcian.

S. Rodulphi Monachi, vel ex puro hordeo, vel cantabro, seu furfure, quem æmulatus est S. Stephanus Cisterciensis cuius panis si non hordeaceus, furfureus fuit, sicut & Macni senis apud Moschum. S. Macedonius etiam molitoris neglectâ operâ ipsissimum hordeum madefactum comedit. Sabinus farinam subegit aqua, & ubi per mensem ad summam duritiem constitit, in cibum sumpsit, credo ne pistorem fatigaret. Panis S. Wilhelmi eremitæ ex Duce Aquitaniæ erat nigerrimus, potus aqua: S. Robertus Abbas Molismensis initio præter cocta legumina sale perfusa, panemq; nigerrimumac terreum in cibum cum suis nihil sumpsit. S. Celestinus panem & aquam pro summis habuit delicijs. Sed, ô DEUS! qualem panem? Insuavem, atrum, furfureum, & planè mucidum, atque præ vetustate, ac corruptione scatentem vermibus, siccumq; ac durum tantoperè, ut prius malleo frangendus esset. Panis B. MARIÆ Oegniacensis adeò asper & durus erat, ut vescentis fauces ex eo vulnerarentur, nec rarò sanguis ex ore manaret. S. Monegundis suum panem hordeaceum permiscebat cineribus. Idem fecit Joannes Silentiarius. Accepit de thuribulo cineres, & cum pane suo comedit.

Theobalds. in vita. Chron. Cist. Ben. Gonon. vitâ cap. 11. Iacob. Vitriac. in vita. Surius in vita. Cyrill. monach. in vita.

Et quamvis ex farina vel pane ægrotis subinde placentæ coquebantur; ipsarum tamen condimentum non erat ex adipe, melle, aut oleo olivarum, sed lini, ne scilicet in extremis inveniretur, quod gustum delectaret. Denique Pelagius refert apud Scetenses anachoretas nefas fuisse manducare panem cum sale ex iusculo aquæ etiam crudæ. Opinor autem Monachos Ægyptios tantum rigorem abstinentiæ, nauseamq; deliciarum à suis accepisse maioribus: nam teste Herodoto antiquitus apud Ægyptios etiam in convivijs à voluptatibus cavebatur: circumferebant enim mortui hominis è ligno fabrefacti imaginem, quam singillatim cuique exhibebant dicentes, *In hunc intuens pota, & oblectare. Talis post mortem fies.*

Ruffin. lib. 2. vitt. PP. n. 51 Pelag. l. 4. n. 10. Herod. lib. 2.

Quoniam verò pars voluptatis est vesci recentibus panibus: Monachi etiam hanc illecebram gulæ aversantes panes plerumque siccos & aridos ad refectionem inferebant. In vitis PP. sicci panis frequens admodum mentio est. Etenim bis coquebatur, & ante sumptionem humectandus erat, quo posset masticari. Hinc patribus usitata phrasis, *Panibus aquam infundere.* De quo Rosvveydus in Onomastico. In specie S. Candida,

Vide Rosw in Onomast Pallad. cap. 79.

dida, sanctusq; Wilibaldus non alium quam siccum panem comedebant. Vita S. VVilibald Gretser A. D. 816 c. 123.

Quamvis autem Prælatis in Concilio Aquisgran. mandetur, ut suis fratribus in cibis ministrent sufficientiam; perfectiores tamen religiosi etiam panis saturitatem in vitio posuerunt, decernentes meliorem esse eum, qui multum comedit, & esurit adhuc, quàm qui parum, & saturatur. Ruffin. cit. n. 48. Ulpius Marcellus vir Romanus & ethnicus, ne etiam pane satiaretur, eo minimè recenti, sed ante multos dies cocto vesci solebat, ut nec quid posset ultra comedere, quàm summa necessitas postularet. Zonar. tom. 2. Annal. Et miramur B. Zoën sanctimonialem per annos solùm duodecim, quo solo pascebatur pane, ad satietatem non esse refectam? Metaph. vita. S. Martinian. Et quomodo uncia per diem S. Liphardum saturasset? Surius. in vita. Infensiores ventris hostes panem non libris sed uncijs ponderabant. Pallad. c. 22. S. Macarius Alexandrinus inaudiens quemdam Monachum per diem nonnisi unicam panis libram comedere, ut eius abstinentiam transcenderet, solum sibi desumpsit frustulum 4. aut 5. unciarum. Atque hoc est, quod S. Gregorius Nazianz. sacris dicit virginibus: *Necessitati satisfaciat frustulum panis, & modica cellula.* S. Gregor. ex hort. ad Virg. S. Stephanus iunior solis diebus Sabbati & Dominicis manducabat. Surius. in vita. Si quæris quid & quantum? Dico sex panis uncias, quarum vehiculum erant tria pocula aquæ. Esca S. Antonij post quatriduum erat aridum frustum panis sex unciarum. Pallad. c. 28. cap. 12. Elias apud Palladium exiguo frustulo vivebat, & Marcianus apud Theodoretum quarta libræ parte, hoc est, tribus uncijs: Theodor. in vita. nam ut in Concilio Aquisgran. dicitur, *Noverint omnes libram non amplius, quàm duodecim uncijs constare.* A. D. 816. c. 122. Qualem libram S. Benedictus per diem suis monachis præscripsit. Panis libra, inquit, una per diem, sive semel, sive bis comedatur; sic tamen ut in prandio dentur duæ tertiæ, nempe octo unciæ, ad cœnam una tertiæ, scilicet unciæ quattuor. S. Ben. reg. c. 39.

Huius determinati ponderis tam rigidus observator erat idem B. Pater, ut Maurum discipulum prius à se in Galliam non dimiserit, quàm ei daret in viam id panis pondus, cum vasculo certæ mensuræ vini. Servatam à Benedictinis fuisse ibi hanc portionem ex vita cognoscis S. Odonis, qua dicitur, *Panis eis ad libram distribuebatur.* S. Odo domitor sui solùm comedit mediam. Theodoret. c. 5. S. Publium aiunt ante refectionem fratrum accessisse ad trutinam, ac panis pondus sedulò perpendisse, & si quando

Digitized by Google

inveniſſet plus, quàm eſſet definitum, ægrè tuliſſe, & eos qui hoc faciebant helluones appellaſſe. Iubebat enim neque comedentes, neque bibentes expectare ſatietatem; ſed tantum capere, quantum ſatis eſſet ad tuendam vitam corporis. Si quando autem vidiſſet etiam farinam opertam furfure, eos qui hoc feciſſent, impetebat maledictis, ut qui Sybariticis fruerentur delicijs. S. Publium imitatus eſt B. Petrus Damiani, cuius, ut & ſociorum panis non in ſaturitate erat, ſed in certo pondere.

Hoc pondus libram non exceſſit tam apud Monachos orientales, quàm occidentales, ut ex Caſſiano & S. Benedicto modò percepiſti, & omnino ſufficit ad ſuſtentandam vitam. imò B. Robertus Salentinus Ordinis S. Cæleſtini ab ipſo Chriſto didicit Monachum vivere poſſe octo in diem uncijs, & aquæ potu. Quare vix à riſu me contineo, dum imperiali atque Epiſcopali decreto lego Canonicis Regularibus in dies ſingulos Aquiſgrani uncias panis quadraginta octo, hoc eſt libras quattuor fuiſſe conceſſas. Quid ad hoc dixiſſet S. Publius?

Hieron. à Boſco. in vita.

Concil. Aquiſgr. cit.

Dividebatur antiquis temporibus libra panis in certas partes tamquam in fruſta, & liba minora, quæ nunc paximacia, nunc paxamates, nunc paxamidia dicebantur, non ex eo præciſè quod panes ſicci, bis cocti, & durî erant, ſed quod certi ponderis: ſic enim vocabantur etiam adhuc recentes & molles. Frater quidam, ait Pelagius, attulit panes recentes in cellam, & invitavit admenſam ſeniores. Et cum manducaſſent ſingulos paxamates pauſaverunt. Quò diutius hi panes durarent, bis coquebantur, unde Suidas & Heſychius eos διπύρους ſeu bis coctos appellant. Et neceſſe erat eos bis coqui, nam Eremitæ præcipuè non poterant habere copiam panis recentis, & quoniam plerumque ſe exercebant in locis calidis, niſi panis bis coctus fuiſſet mucorem facilè contraxiſſet. Adde quod Monachi ſe tam frequenter occupare nolebant in pinſendo pane, & voluptatem à recenti fugiebant. Unde mirum non eſt, ſi hi panes dicebantur ſicci.

Pelag. l. 4. n. 64.

Suid. V. Paxamas. Heſych. apud. Roſw. cit.

Eorum pondus communiter erat ſex unciarum, Hinc duo paximates per diem libræ unius portio Monacho ordinaria apud Caſſianum, cibuſq; S. Antonij in monte erat paxamas ſex unciarum. Tali paximatio Prior quoque in diem vixit. Si quis ex fratribus S. Columbani inobediens extitiſſet, duos dies uno paximate & aqua contentus eſſe debebat; ſi dixiſſet, *Non faciam,*

Caſſian. coll. 2. c. 19. Pallad. c. 28. Ruffin. l. 2. n. 31. cit. Reg. S. Columb. p. 2. c. 10.

faciam, tres: si veniam non petijsset, aut se excusasset, duos dies uno paximatio & aqua &c. Et quomodo libra commodius pro mensa divideretur, quàm in duas partes, ut una esset pro prandio, altera in cœnam? Si unica solùm refectio erat duo apponebantur paximacia, ut siquis voluisset, uno assumpto alterum posset relinquere integrum.

Non diffiteor tamē, subinde paximacia maiora & minora quàm sex unciarum fuisse. Cassianus sicci panis meminit in quantitate & pondere unius aut duarum librarum. S. Ephraim quoque dum ait exigentem necessitatem expleri posse tribus, aut quattuor, sive quinque paxametis, utique minora paximacia intelligat, quàm sex unciarum. Tantus namque promotor & Patriarcha Ordinis Monachici non censendus est usitatæ tēperantiæ frena laxasse, ut quattuor aut quinque paxamates Monacho per diem concederet, & penè ad nostram mensuram ascēderet, quibus ex decretis Aquisgran. debentur indies paxamatia octo. Atque ex his minoribus paxamacijs illud fortè diminutivum est Paxamidium. Quamvis etiam Paxamidium sex unciarum apud Palladium reperiatur, & per se paxamas non potest esse grandis, quorum duo tribus vix denarijs in Ægypto distrahebantur.

Cassian. lib. 5. instit. cap. 5.

S. Ephr. de Virt. cap. 10. fol. 305.

Pallad. cit. Cassian l. 4. cit. cap. 14.

Fuerunt qui ab omni pane penitus abstinuerunt vitam traducentes oleribus, leguminibus, fructibus aut radicibus. S. Antiochus eremita adhuc in vivis erat, cum de eo scriberet Georgius Presbyter, quod iam triginta annis panem non gustarit contentus crudis oleribus cum sale & aceto: vinum & oleum à sexaginta annis aquæpotor ignorabat. Græcus meus Palladius de Possidonio refert, quod per annos 40. panem non comederit. Dactyli cum herbis silvestribus famem curabant; sicut & omnis multitudo Monachorum circa Iordanem solis victitabat oleribus & dactylis. Admiranda fuit abstinentia S. Abraamis apud Theodoretum, qui toto tempore, quo fuit Episcopus Carrarum, nec panem, nec aquam gustavit. Evagrius quoque à Palladio laudatur, quod artophagus non fuerit. Septem illi quos Ruffinus ait in ea eremo habitasse, quæ Saracenis contigua est, in tam vasta solitudine panem nec à longè noverant. Victum præbebant lactorones, dactyli, ficus, lapsanum, pastinaca, caricæ, petroselinum; potum guttæ roris matutini, ut mirer Cassianum eo tempore & penè loco viventem dicere,

In vita S. Theodori Siceotæ

Pallad. c. 41. vel 82.

Idem c. 112. de Sabatio. Theodor. cap. 17.

Pallad. c. 27.

Ruffin. lib. 2. num. 200.

Cassian. lib. 5. cap. 23.

 Se nul-

Se nullum scire ex probatissimis Monachis, qui solis leguminibus, oleribus, aut pomis absq; pane vixerit. Et quomodo latere ipsum S. Abramius Syrus potuit, de quo B. Ephraim tradit panem per annos 50. non gustasse? Complures ex probatissimis anachoretis fuêre, qui cum impervias solitudines inhabitarent, præter fructus & herbas nihil omnino habere potuerunt, ut fuit Maria Ægyptiaca & alij sexus utriusque. Denique Heron dum sola vivit Eucharistia, &, si quas fortè reperisset, herbis silvestribus, gloriari poterat, solis se panis speciebus esse contentum. Micas de sororum mensa, cum ollarum reliquijs collegit S. Isidora, & lautè se vixisse putabat. Natura paucis contenta est. Qui non vivit modicè, vivit miserè.

In vita S. Abraam. Pallad. c. 32. Idem. cap. 39.

EPISTOLA XCII.

An caro fuerit cibus Monachorum antiquorum.

OMnis creatura Dei bona est, Josippe, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatûr enim per verbum Dei & orationem. Hoc sciens ex Apostolo S. Basilius in suis regulis tradit, *Nullum cibum esse damnandum.* In specie verò S. Bernardus non vult, ut usus carnis damnetur, cum eam comederit S. Abraham & Elias. Potuisset & Christum cum discipulis nominasse ob esum Agni Paschalis. Superstitiosus ergo fuit Ebion, dum ideo à carnibus abstinuit, quod essent de coitu. Damnantur & Manichæi, omnem carnem immundam esse dicentes, quibus nihilo meliores Saturniliani ab animatis abstinuerunt, ut hac specie severitatis plures ad se attraherent, venenoque suæ pravitatis inficerent, docentes & uxores ducere & liberos procreare ex dæmone esse, simulatores simul & hæretici. Si abstinentiam sincera intentione condivissent, quanto melius fecissent. Rectissimè frater quidam dixit: *Non ex observantia superstitiosa repudio esum carnium: omnis enim creatura Dei bona est: sed quia scriptum est, Non conducunt imprudenti atq; insipienti deliciæ. Insolentia & immodestia est monacho vesci animalibus.* Gravis sententia; sed si sacerdotes Isidis in memoriam revocamus, qui quod divinis (ut putabant) vacaverint, ab esu carnium, volatilium, ovorum & lactis, item à potu vini abstinebant panem rarò comedentes, oleumque ad sola olera adhibentes,

1. Timoth. 4. S. Basil. reg. fusior. 18. S. Bern. apol. ad VVilh. S. Epiphan. hæres 30. à num. 18. S. Aug. l. 16. contr. Faust. c. 31. S. Epiph. hær. 23. S. Ephr. in Proverb. fol. 515. Proverb. 19. Heliodor. in Æthioph. l. 3. S. Hieron. l. 2. contr. Iovian.

Digitized by Google

bentes, neſcio an eam egrè ferre poſſit, qui ſe ex aſſe Deo vero conſecravit? Certè S. Hieronymus carnis & vini uſum ijs tantum concedit, qui volunt abuti libidine. Clemenſq; Alexandrinus etſi fateatur uſum carnis & vini eſſe indifferentem, attamen docet Dei famulum cum Ægypti ſacerdotibus rectè ab eis abſtinere propter ſtudium caſtitatis; & quod corpus quidem robuſtius efficiant; animam tamen enervent; maximè cum etiam Pythagoras philoſophus à ſimilibus abſtinuerit. S. Ephraim his non mitior, *Cave*, inquit, *carnis eſu, potuq; vini delecteris, ne mens tua inutilis reddatur ad dona ſpiritualia ſuſcipienda.* Similiter S. Baſilius poſtquam dixit vini ac carnis uſum primùm poſt diluvium eſſe conceſſum, antè & maximè in paradiſo ignoratum, addit per ea mentem humanam obfuſcari. Singulariter autem in carnes invehens. Quorum corpora, inquit, ceciderunt in eremo? numquid non carnes appetentium ac veſcentium? qui quamdiu cæleſti pane & aqua de petra contenti fuerunt, Ægyptijs extitère ſuperiores, ac mare tranſierunt: ſtatim autem ut carnium ollas ſibi ſunt imaginati, terram promiſſionis non attigerunt. Non paves ad exemplum?

Ibid. Clem lib 7. ſtrom. à fol. 717.

S. Ephr de vit. ſpirit fol. 48.

S. Baſil hom. 1. de jeiunio.

Joſippe paverunt plurimi, qui quia ſtudio cæleſtis ſapientiæ, puritatis ac mortificationis ſummè dediti erant, carnis uſum, niſi in infirmitate, non admittebant. Breviter Theodoretus: *Caro vinumq; Monachis propter nimium calorem, quem excitant, non eſt in uſu.* A diſcipulis Chriſti hoc ſtudium profluxit, qui cum eſſent pij, ait Euſebius Pamphili, Philoſophicique Magiſterij ardore ſuccenſi, amplexati ſunt vitam duram & moleſtam ieiunijs & abſtinentiam vini & carnium. Nominatim S. Petri cibus erant lupini, quos uno vix aſſe coëmiſſes. S. Matthæi, ſemina, olera, acrodrya, ut de Iacobo fratre Domini taceam.

Theodoret. ſerm de charit

Euſeb demonſtr. Evang lib. 3. cap. 7.

S. Greg. Naz. orat. 16 Et in jambic 18.

S. Clem. Alex lib 2. Pædag. cap 1.

Si nunc Monachos commemorare vellem accuratiſſimos Apoſtolorum ſectatores ab Eſſenorum temporibus, quantum me fatigarem! Infiniti ſunt qui carnem numquam guſtaverunt. Reperti ſunt in Eccleſia homines ſæculares etiam, qui ut carnem frenarent ac delectationem & gulam comprimerent, quæ carne & vino ſolet rabidius, immoderatiuſque raptari, teſte S. Auguſtino, à carnibus & vino abſtinuerunt. ex doctrina S. Pauli dicentis, *Bonum eſt fratres non manducare carnem, neque bibere vinum.* Quin & reperti ſunt Ethnici, qui præter farinam

S. Aug. l. de morib. Manich. cap. 14.

Rom. 14.

S. Hieró. ſup.

& ole-

A. D. 817. c. 37. & olera in cibum nihil acceperunt. Denique constitutiones Benedictinorum Aquisgrani erectæ nec oblatis infantibus carnes concedunt extra infirmitatem, usque adeo consuetum erat olim ut Monachi à carnibus abstinerent potissimum in Oriente, unde verissimè S. Augustinus, *A carnibus*, inquit, *& vino abstinent.*

S. Aug. lib. de morib. Eccl. cap. 31.

Pelag. l. 4. n. 63.

Pulchrum est quod Pelagius memorat. Intraverunt, inquit, aliquando fratres in Alexandriam invitati à Theophilo Archiepiscopo, ut præsentibus his facta oratione templa destrueret paganorum. Et manducantibus eis cum Archiepiscopo ministratæ sunt carnes vitulinæ, & manducabant nihil discernentes. Et accipiens Archiepiscopus unum copadium (partem abscissam) dedit iuxta se recumbenti seni, dicens: Ecce istud bonum copadium est, manduca abba. Illi autem responderunt: *Nos usquemodò credebamus, quia olera manducaremus: nam si carnes sunt, non manducamus.* Et ultra nemo ex eis acquievit gustare.

Blasius Melã. vitã. S. Gualberti.

Simile quid accidit in Cœnobio S. Ioannis Gualberti, cuius fratres cum semel nimia premerentur egestate, præcepit vir sanctus cibos dividi, & cuivis panis frustum dari. Quod cùm videret satietati minus esse, nec positam esse legem necessitati, præcepit Cellario ut arietem occideret, & coctum fratribus apponeret. In prandio igitur sedentes ad mensam quilibet suum quidem panis frustulum absumpsit, carnes verò propter regulam nec contrectare voluerunt. Altera vice cum pane deficiente bubulam iisdem apponeret, nec unus inventus est qui eam contingeret, ita mordicus regulam suam observarunt, id quod usqueadeo Deo gratum extitit, ut panes eis de cælo ad sufficientiam legaret.

Regul. S. Bened. cap. 39.

S. Bern. apol. cit.

Si quæris, quæ fuerit illa vallis-umbrosæ fratrum regula? S. Benedicti est, quæ ait: *Carnium verò quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos.* Quæ si hodie non observatur à plerisque quid ad nos? Cistercienses iam olim Benedictinis objiciebant, quòd pelliceis induerentur; quòd sani carnibus seu pinguedine carnium vescerentur; quòd tria vel quatuor pulmentaria uno die admitterent; quòd opus manuum non facerent, & multa alia pro libitu suo vel mutarent, vel minuerent contra Regulam. Quæ si ipsis hodie exprobrarent, nonne audirent, *Medice cura te ipsum?* Scio quid

Digitized by Google

quid actum sit A.D. 1237. in concilio Londoniensi præsidente Ottone Legato Apostolico. Audivimus, inquiunt Episcopi, & lætati sumus, quod religiosi viri Abbates Ord. S. Benedicti per Angliam constituti convenientes nuper in suo capitulo generali tamquam filij iuxta sermonem propheticum ad suos terminos revertentes, providè statuerunt, ut de cetero secundum S. Benedicti Regulam ab esu carnium debeant abstinere, exceptis debilibus & infirmis, quibus debet secundum eiusdem Regulæ continentiam in infirmario provideri, quod utique approbantes statuimus inviolabiliter observari.

Hoc inquam scio: sed nec me latet in eodem concilio surrexisse Walterum Episcopum Wigorniensem, & in persona quorumdam dixisse. Cum statutum vestrum in religione S. Benedicti ad omnes æqualiter se extendat, & durum sit multis tum propter locorum penuriam, & præcipuè monialibus cum sint debiles & fragiles, hoc statutum observare, necesse est huic rigori discretum addere temperamentum, super quo etiam postulamus, ut Dominum Papam super his velitis interrogare. Consensit Legatus, si tamen secum Papæ scriberent omnes præsentes Episcopi & Archiepiscopi. Verùm quid inde factum sit, non liquet. Hoc mihi constat, quamplurimos esse in Ecclesia Latina Monachos, qui nihil discernentes comedunt quæ apponuntur utentes carne pro oleribus: nec culpari possunt, dum id non faciant ad distensionem, nec ad ruinam corporis, ut S. Ambrosius loquitur. S. Ambr. l. de Noë & arca c. 25.

Græci primævæ consuetudinis tenacissimi inter impedimenta monachismi computant à carnibus non posse abstinere. Joannes Glycys ad Patriarchæ dignitatem Constantinopoli evectus cum de more Monasticum prius habitum expeteret, is ei concessus non est, quod ex sententia medicorum à carnibus abstinere propter articularem morbum non posset. Sic monachismus & carnis comestio apud ipsos repugnantia sunt. Quod facilè scientes sorores Romani Imperatoris cum contra voluntatem habitu sancto indutæ essent, digresso eo, à quo in monasterium adductæ erant, habitum illicò exuërunt, & carnes vorarunt, hoc ipso demonstrantes se Monachas non esse. Niceph. Greg. l. 7. hist. Rom. Zonar. l. 3. in Romano.

Lepidus est in hanc rem apologus Patriarchæ Alexandrini ad Andronicum Imperatorem contra Athanasium Patriarcham Constantinop. Erat, inquit, sutor, qui felem albam Niceph. Greg. supra.

Digitized by Google

habebat unum quotidie murem domi capientem, quæ aliquando in medium vas, quo coria tingi solent, delapsa & vix eluctata, tota nigra evasit. Proinde mures eam Monastico habitu sumpto carnibus deinceps abstinere velle rati, sine ullo metu vagantes coria roserunt. Illa verò tantam multitudinem conspicata capere omnes, quamvis averet, haudquaquam poterat; duos tamen comprehensos devoravit. Reliqui omnes fuga salutem quæsiverunt, admirantes quo pacto sumpto Monachico habitu crudelior evasisset.

Viden' Josippe Græcorum intentionem? In hodiernum diem nobis exprobrant: *Si quis*, aiunt, *Monachus Latinus in Episcopum promovetur, carnes manducat intrepidè.* Et: *Monachi Latini parva vexati ægritudine carnibus vescuntur.* Quid si id de sanis nossent? Sed audiant B. Ephraim dicentem, *Melius est carnem comedere, quàm detrahere.* Audiant & Apostolum: *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Qui vel ex consuetudine non prohibita, vel ex dispensatione, vel ex debilitate carnes comedit, non peccat; qui autem non comedit, melius facit castigans corpus suum, & inservitutem illud redigens: neque enim cum Joviniano sentimus, qui, teste S. Hieronymo, reprobans jejunia, carnisque ac piscium, delicatorumq; abstinentiam ciborum, aquæ insuper & pyracij potationem, germana, necessariaq; verorum exercitia Monachorum, asseruit nullam esse distantiam meritorum inter eum qui jejunat, & qui comedit; inter aquæ vinique potum; inter carnes, pisces, & sorbitiunculas, incentiva libidinum, & herbas, poma ac legumina pastum Monachorum.

Stevart. tr. contra Græcos ex Pantaleon.

S. Ephr. Paræn 1. fol. 338.

Rom. 14.

S. Hier. ep. 25.

Magna distantia est. Agnovit eam apud nos S. Benedictus, censuitq; melius esse carnem non manducare. Secuti sunt eum S. Bruno, Franciscus de Paula, Romualdus, Joannes Gualbertus, S. Bernardus, qui omnes suis sectatoribus carnis abstinentiam indixerunt cum alijs pluribus. Quin & Ludovicus Imperator, quem Pium cognominamus, per Episcopos carnis privium in totum Ordinem S. Benedicti per imperium latè revocavit. Et quia Regula nonnisi carnem quadrupedum prohibet, sancitum est, ne Benedictini etiam volucres comederent exceptis summis festivitatibus. Quæ sancta reformatio cum post non multa tempora animam ageret, spiritum à Cluniacensibus recepit, & brachia per orbem latissimè expandit.

In concil. Aquisgr. cit.

Quàm

Digitized by Google

Quàm autem hæc sanctæ temperantiæ renovatio Deo in acceptis fuerit, multis claruit indicijs. Violatores eius graviter de cælo puniti sunt, Frater quidam Cluniaco venit ad sororem suam. Et quia fatigatus erat ex itinere, esurijt, cibumque petijt. Sat magnam, ait soror, piscium copiam habeo, audacter exige quos velis. Quid mihi cum piscibus, inquit monachus, vix visu eos fero? i, & assa carnem. Soror accepto armo nescio cuius animalis cœpit eum assare. Sed frater impatiens moræ abscissam inde particulam in prunas, ut citius assaretur, coniecit, ac vinum ad haustum petijt. Quo allato cum particulam de prunis extractam ori immitteret, faucibus interclusis spiritum exhalavit. Alius ex eodem loco parentes invisit; & quia pisces nauseabat, gallinam trucidavit, atque assari præcepit. Cui cum præsentes dicerent, Ordinem ipsius carnibus haud vesci, respondit, Avem non esse carnem. Cum ergo ex assata gallina coxam auferret, suffocatus illicò perijt. Plura possem ex Petro Cluniacensi afferre, sed nolo tibi molestior esse. Consultò nos Apostolus monuit, ne carnis curam faceremus in desiderijs. Caro corpori, abstinentia animæ.

In vita S. Odonis.

Rom. 13.

EPISTOLA XCIII.

Pisces & animata an olim esca Monachorum.

Religiosorum semper fuêre diversa exercitia. *Divisiones,* ait Apostolus *operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quidam, inquit S. Epiphanius ab omni carne abstinuerunt, quadrupedum, volucrum, piscium, ovorum & casei. Alij à solis quadrupedibus, cetera ut aves & pisces comedebant. Alij continebant se ab avibus; ova tamen & pisces comedebant: alij nec ova tangebant: alij solos accipiebant pisces, alij solum caseum; alij denique nec caseum. Horum quisque secundum suum laborem mercedem utique iam possidet. Inter optima exercitia erat abstinere ab animatis, ἔμψυχα dicebant, quæ inter & pisces. Laudat hos Tertullianus in libro de cultu mulierum. A S. Baptista, ni fallor, hoc studium est. Absit ut carne locustarum se paverit, qui nec pisces comedit, quos de Jordane facilè habere, juxta S. Augustinum, potuisset. Jacobus frater Domini similiter ab omni vivente abstinuit. Et

1. Cor. 12.

S. Epiph expofit. fidei.

Tertull. c. 9.

S. Aug. serm. 65. Temp.

Egesippus.

Clem. Alex. l. 7. Strom. S Hier. ep. 25. Idem ep. 13.

quid hoc mirum? Fecerunt idipsum sacerdotes Isidis, & quidem causa castitatis: nam & pisces à S. Hieron. recensentur inter incentiva libidinum, eorumq; abstinentia inter communia exercitia monachorum, quorum summæ deliciæ esse debeant, si subinde accipiant pisciculos.

S. Bern. ep. 1.

S. Bernardus ait: Multi in Ægypto fratres multò tempore Deo sine piscibus servierunt; quia omnem carnem à suis mensis ablegarunt, pasti solis leguminibus aut pane.

Euseb. lib. 2. hist. c. 17. S. Chrysost. hom. de Benefic. in append. oper. S. Greg. Nyss. Pelog. libell 4. n. 15.

Horum primi fuerunt Essæi, quibus nihil cedebat in cibum, quod sanguine vivebat. ἀναιμάκτου mensæ meminit & Chrysostomus. Cum sanctus Hilarion aliquando vocatus esset ad mensam S. Epiphanij, manducantibus eis allatum est de avibus quiddam, quod tenens Episcopus dedit Abbati. Et dicit illi senex: *Ignosce mihi pater; quia ex quo accepi habitum istum non manducaui quidquam occisum.*

S. Basil. ep. 208.

Huius sacri studij insignis æmulator erat S. Basilius. *Iacet,* inquit, *apud nos coquorum ars, cultri eorum non rubent sanguine: cibi apud nos optimi folia olerum cum parvo pane & vino flaccido, ne sensus ob ingluviem obstupescant ad solita munia.*

S. Athan. de Virgin.

S. Athanasius etiam sanctimonialibus animata interdicit. Hora nona, inquit, sume panem tuum ἐν λαχάνῳ ἀναπεποιημένῳ ἐλαίῳ· πάντα ἁγνὰ, ὅσα ἄψυχα, *in olere condito oleo.* Omnia casta, quæ inanimata.

S Epiphan. hær. 53. 68. 23. 30 48. Philastr. l. de hæresib. de Aërio & n. 36. S. Aug. lib. 16. contr. Faust. c. 31.

De hæreticis qui ab animatis abstinebant, nempe Sampsæis, Hieracianis, Encratitis, Abstinentibus, Saturnilianis, Manichæis, & Ebionitis dedignor aliquid dicere: horum enim temperantia infecta erat cœno hæreseos, cum abominandum censebant esse omne animatum.

Quantumvis autem plurimi Monachi ob sui mortificationem à piscibus se continebant; eorum tamen esus tam rarus ipsis non erat, ac quadrupedum & volucrium; cum caro ipsorum tantæ delicatiæ non sit, nec tantæ nutritionis, aut caloris.

S. Ephr. Proverb. f. 515.

Syri pisces manducabant etiam grandiores, unde S. Ephraim non vult ut alijs in exugendis ossibus sibilando sint molesti. Monachos aliquos Palæstinæ non exclusisse pisces ex Epiphanio intellexisti.

S. Greg. Nyss. sen. vitâ S. Macrinæ.

Naucratius S. Basilij frater in Ponto artis piscandi peritissimus sua piscatione alebat plures eremitas senio & egestate laborantes ad fluvium Iridem, qui medius Pontum secans evoluitur in Euxinum.

Cassian. l. 4. instit. c. 22.

De monachis Ægypti relatione Cassiani constat, eis summæ voluptati fuisse pisciculos minutos salitos, quos Metominia vocabant. Nonnulli saltem rarò certisque


Digitized by Google

que diebus pisces admittebant, ut B. MARIA Ocgniacensis, quæ nonnisi raro & minimos pisciculos manducabat. S. Candida tametsi communiter abstinebat ab omni enæmo & empsycho; diebus tamen festis pisces sumebat cum oleo & oleribus. B. Martinus eos solummodo comedit in Paschate. Berchtoldus Garstensis numquam, etsi jure Regulæ posset. Nostro ævo qui à quadrupedum & volucrum carne abstinent pisces sine discrimine cum ostreis & testudinibus manducant & cancris; nec curatur pretium, dummodè delicatè ad gustum præparentur, cum quondam apud Pachomianos exitialis voluptas fuerit comedisse liquamen de piscibus tam extra quàm intra cœnobium, nisi gravis infirmitas exegisset. Muriam vocabant, & conficiebatur ex pisce Thynno, condiebaturq; aceto & oleo: quamvis perfectiores ascetæ ultra unicam guttam non infundebant, ut mirum non sit, si patres nostri vixerunt in delicijs spiritualibus, qui carnales voluptates tantopere fugerunt. Sanissimè S. Ephraim: Ne mens in crapula torpescat & hebescat, utere victu simplici.

Iacob d Vitriac. Pallad.c.79. Sulpit. dial. 3. Anonym. in vita. Reg. S. Pachom. n. 23. & 31. Cassian. collat. 7.c.1. Et collat 19.c.6. S. Ephr. de vita spirit.

EPISTOLA XCIV.

Cibum priscorum Monachorum usitatissimum fuisse olera & legumina.



Herbas, Josippe, olera & legumina pastum Monachorum B. Hieronymus appellat. Si placet audire, quotidianus & penè unicus erat. *Mensa communis apponitur,* ait Evagrius, *non opiparis instructa delicijs, aut alioquovis ciborũ genere, sed oleribus solùm & leguminibus apparata.* Huius victûs celebrior encomiastes non est S. Ambrosio. In suo hexaëmero ad opus diei tertium, quo DEUS herbas creavit, eas vocat cibum naturalẽ reliquis omnibus anteferendũ, cùm herbæ sint cibus sobrietatis, reliqui verò deliciarum atq; luxuriæ. Quod item sint cibus communis omnium animantium cùm alij sint paucorum. Exemplumque esse frugalitatis ac Magisterium parsimoniæ si possis esse contentus simplici victu herbæ, olerisque vilis aut pomi. Eò quòd cibus hic, sit esca naturæ, quam DEI liberalitas nobis prima donarit. Alibi dicit, Sunt qui putant ut olera ad escam nobis DEI nutu attributa

S.Hier.ep.25. Euagr.l.1. hist. c. 20. S. Ambr. l. 3. Hexaem..7. Idem l.deNoë & arca.c.25.

Digitized by Google

tributa videantur, quò his magis quàm carnalibus epulis uti debeamus. Ego autem libenter his acquiescerem, ut generi hominum parsimoniam & temperantiam olerum usus inolesceret, nisi viderem ab ijs, qui non libenter accipiunt, posse referri mihi, quia non omnia olera homini inveniantur accommoda.

[Essen. l. 2 hist. c. 17. Theodoret. in Philoth. c. 1.] Verum est: sed neque omnis caro. Maneamus ergò in cibo naturæ & temperantiæ. Essæni hyssopo vescebantur. Iacobus Nisibita in solitudine eas accepit herbas, quæ esculentæ instar olerum erant, ex quibus tantum corpori dabat, quantum [Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 200] satis erat ad vitam conservandam. Septem illi monachi, de quibus Ruffinus agit, herbis usilibus, nempe lapsano, pastinaca, & [Baron. tom. 9. ex eius discipulo. Moschus in prato. c. 159. Sophron. in vita c. 19. Paphnut. in vita c. 10. Sulpit. dial. 1. c. 2. Vita S. Pacho. c. 43. Ruffin sup. l. 1. c. 11. Pallad. c. 32. & 41.] petroselino victitabant. Cibus S. Pauli monachi in monte Latro erant herbæ, & arborum radices. Sophronius per annos ferme 70. præter herbas nil in escam accepit. Ijsdem permultis annis vixit B. Maria Ægyptiaca cum S. Onuphrio. Fasciculus herbæ mentæ similis folijs exuberans pars prandij erat senis illius Cyrenaici apud Sulpitium. Olivæ & herbulæ, olera cum leguminibus pastus erant Tabennesiotarum. Quàm gratus hic Deo cibus sit ex eo cognoscere poteris, quod Angelus Domini esurienti Heleno præ omnibus alijs subministrarit herbas & aquam. S. Heron apud Palladium relictis herbis domesticis tamquam delicatioribus assumpsit agrestes, quod & fecit Posi[S. Ephr. de SS. PP. fol. 770. In vita l. 4. vitt. PP. Ovid. Vita S. Pachom. c. 8. Cassian. l. 4. instit. c. 11. Lib. 3. vitt. PP. Ovid. Greg. Turon. vitt. PP. c. 1. Sulpit. in S. Martin. Vita c. 4. Lib. 3. vitt. PP. Ovid. Sulpit dial. 1. c. 7. Cyrill. mona. in vita S. Euthymij. Euagr. cit.]donius, & iuxta S. Ephraim communiter omnes eremitæ. Eas crudas edit S. Marculphus, & absque vel guttula olei S. Palæmon, & alij infiniti. Summæque voluptatis erat vel sale eas condire, & aqua diluere, idque vocabant Lapsanium. Alij rigorem intendebant, viventes solis radicibus crudarum herbarum, ut S. Gregorius Nicopolitanus Episcopus & Eremita, S. Lupicinus ac Romanus, S. Martinus in insula Gallinaria, Stephanus Abbas Cisterciensis, & ex relatione Sulpitij plerique in eremo, quos Anachoretas dicunt, quorum multis cum deessent ligones ad radices eruendas, ut solebant, eas evellebant unguibus aut dentibus, unde pabulatores & βοσκοὶ appellati sunt, quod terram sicut belluæ depascebantur, nisi dicas à pastu graminis sic nuncupatos, quod adhuc plus est.

[S. Hieron. ep. 22.] Nunc ad olera te voco, quibus nihil consuetius apud cœnobitas; nam herbas plerumque sibi desumebant eremitæ. De illis S. Hieronymus, *Vivitur*, inquit, *pane, leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur*. [Idem epist. 13.] Et ad Paulinum: *Cibus sit vilis, olera,*

Digitized by Google

lera & legumina. Arripiens Paulinus conſilium vixit oleribus ſeipſo teſte. Prolixiſſimus ero, ſi plures in ſpecie retulero. Lachana ſeu olera iam S. Matthæus in cibum aſſumpſit. Et Romanus Imperator à filijs in monaſterium detruſus, cum quodam tempore ab ijſdem viſeretur, audi obſecro quale prandium appoſuerit. Parata, ait Luitprandus, frigidior occiduis aqua decocta pruinis, dulces adſunt fabæ, lachana, porrique recentes: non hic marinæ deliciæ morbos, ſed crebra potius ieiunia creant. Denique etiam nobis in Excerptis notis dicitur. *Habeant canonici hortos olerum, unde pulmentum quotidie aliquod cum ceteris additamentis in refectorio ſibi viciſſim miniſtrent.*

S. Paulin. ep. 3 ad Sever. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1. Luitprand. l. 5. hiſt. c. 9. Conc. Aquiſgrau. A. D. 816. c. 122.

Priſci oleribus vix in ſenectute aliquid olei ſuperfundebant, ita arctè & parcè vivebant. De S. Fulgentio eius diſcipulus narrat. Huic beatiſſimo ſacerdoti nullus aliquando extorſit cuiuſlibet generis carnes accipere, ſed ſola ſimpliciter olera, ptiſana & ova, quamdiu juvenis fuit: poſtquam verò ſenuit, ſuperfuſo oleo manducavit, ideò perſuaſus oleum accipere, ne caligo prævalens oculorum lectionis impediret officium. S. Hilarion à vigeſimo ſeptimo ætatis anno uſque ad trigeſimum herbis agreſtibus, & virgultorum quorumdam radicibus crudis ſuſtentatus eſt. A trigeſimo autem primo uſque ad trigeſimum quintum ſex vncias hordeacij panis, & coctum modicè olus abſque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos ſuos, & totum corpus impetigine uri, & pumicea quadam ſcabredine contrahi ad ſuperiorem victum adjecit oleum, & uſque ad 63. vitæ ſuæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil omnino extrinſecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei guſtans.

Vita S. Fulgent. S. Hieron. in vit. c. 6.

Itaque robuſti ac juvenes monachi pura ſine oleo, teſte Caſſiano, comederunt olera, id quod S. Fulgentio cauſavit impetiginem. S. Macarius Alexandrinus ea penitus cruda cum herbis madefactis manducavit. Eum ſecutus eſt per annos triginta & amplius S. Antiochus eremita, & alij quàm plurimi, quibus ſatis erat nonnumquam ſale & aceto condire. S. Baſilius ſolummodò ſumpſit olerum folia, eſcam pauperrimorum. Vnde S. Ioannes Eleemoſynarius: *Quanti*, inquit, *deſiderant ſaturari de folijs olerum, quæ projiciuntur de coquina mea?* Sic S. Macarius, quem primùm nominavi, per quadrageſimam cibavit ſe ſolis braſſicæ folijs crudis, quæ diebus dumtaxat Dominicis accipiebat.

Caſſian. l. 5. inſtit. c. 5. Vita S. Fulgent. Pallad. c. 22. Georg. in vita S. Theodori Siceotæ. S. Baſil. ep. 208. Leont in vita c. 26. Pallad. ſup.

Quæris

Quæris quid monachi per hyemem acceperint, qua herbæ, olera, & legumina, vel non crescunt, vel arent? Sed cogites amice, in calidissimis Regionibus, vt Africa & Ægyptus est, hæc magis arescere per æstatem torridam, virescere per hiemem cum gramine. Deinde Nilus tradit monachos baccas, fructus & olera in futurum tempus frixisse, torruisse, aut sale inspersisse. Hinc sæpius in vitis PP. reperies *Olera & legumina sale aspersa, rigata, madefacta,* ut ad esum scilicet aptiora forēt, sicut dixi de siccis panibus. Ita Serenus Abbas, alijq; plures comederūt *Trogalia,* nempe cicer frixum, elixum S. Romualdus: Napium monachi Panopolitani, tam per hiemem, quàm æstatem. Scillas cum sale coquebat S. Quiriacus eremita, & licet cibus esset amarus & lethalis, innoxiè tamen eum annis quatuor sumpsit. Apud Ruffinum multi comederunt lenticulas toto tempore, quas ad solem in aqua positas prius non tetigit S. Gregorius Nicopolitanus quàm germinarent: tuncque eas, quantum sinistra capere potetat, cum tribus uncijs panis hordeacij in lixivio decoxit, & in escam cæpit. Φακὸν hoc est *lentem coctam* S. Antonius apposuit fratribus peregrinis, qui ei minus grati erant. Victor monachus S. Paulino lentem cum hordeo & vicia coxit. Aliàs S. Augustinus ait lentem Ægypti cibum esse, sicut Ægyptus est hortus bonorum monachorum.

Nilus in hist. martt. FF. in Sina.
Ruffin. t. 2. n. 5. cit.
Cassian. col 7. c. 1.
P. Damian. vita.
Pallad. c. 38.
Metaphrast. in vit.
Ruffin. lib. 2. n. 6.
In vitt. PP.
Ovid. l. 3.
Pallad. c. 26. & 28.
S. Paulin. op. 3. sup.
S. Aug. serm. 44. de diverf. c. 12. & in psal. 46.

De fabis quid dicam singularibus monachorum delicijs quocunque anni tempore venisses? Etiam ethnicorum philosophorum fuère pabulum, ut Tertullianus scribit. S. Odo Cluniacensium pater fabarum pusillum accepit in escam: & fabæ cum leguminibus primorum Cisterciensium peculiaris cibus erant. S. Wilibaldus adhuc puerulus fabas & pisa in delicijs habuit. Et Victor S. Paulini archimagirus fabam intrivit panico & milio, ut senatorio nuper viro orexin excitaret, & fastidium edendi dispelleret. Sed video quid objicias. Pythagoras magnus Philosophus per fabalia transeundum non esse discipulos docuit, cum sit pabulum onerosum & flatulentum. Hinc, nisi fallor, S. Basilius omnis litteraturæ peritissimus ait, *Legumina & semina quædam & pleraq; olera stimulare ad libidinem,* utiq; propter flatulentiam. Et iam vetus Monachorum quorumdam querimonia est. *Legumina ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut* de

Tertull. de præscript. contr. hæret. c. 31.
In vita S. Odon.
S. Bern. apol. ad VVilh.
Phil. Episcop. in vita c. 4.
S. Paul. cit.
Tertull. sup. c. 48.
S. Basil. de Virg. fol. 714.
S. Bern. cant. serm. 30.

Digitized by Google

de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Verùm ad hæc quid respondet S. Bernardus? *Quale est hoc, ut in totis fluvijs, agris, hortis, cellarijsq; reperiri vix possit, quod comedas? Puta te quæso Monachum esse non Medicum; nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quidem quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium; parce gravamini domus; parce conscientiæ. Conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui prope sedens & edens quod sibi apponitur, de tuo singulari ieiunio murmurat.* Addo ego Iosippe, communiter eos in mensa murmurare, qui de extrema sæculi paupertate venerunt; aut qui nec ea, de quibus conqueruntur, in sæculo habere potuissent

Nostrâ memoriâ frater laicus apud Capucinos rustica atque inope familia natus paulatim in Monasterio cœpit aspirare & quærere lautiora tam in victu, quàm vestitu. Nemo ipso tandem delicatior, nemo in vestitu mundior; nemo interim ad labores ignavior. Paucis dico: ad sola placita, ac delicata ferebatur. Tandem in extremis constitutus, cum nemo de salute ipsius desperaret, ipse exclamare, *Damnatus sum.* Rogatus causam: *In sæculo,* inquit, *cum fuerim vilis, rerumq; omnium egenus; in Ordine tamen nobiliter, molliter, ac delicatè tractari volui.* Dixit, vixit, atque inexpiatam animam dæmoni consignavit. Bover. in annal. 1600.

Non sic Patres nostri, non sic. Etiam λεπτολάχανα, hoc est, vilia oluscula & legumina inter delicatiora ponebant. Vnde S. Jacobus eremita prope Amidam solis pascebatur seminibus. Multi aliud nullum vitæ sustentaculum habuerunt, quàm tenera frondium arborumq; cacumina, seu ἀκρέδες. S. Quiriacus post suas cepas vel scillas comedit radices melagriorum, & ramos arundinum, cui se S. Sabbas præbuit convictorem. Donatus Anachoreta se nutrivit fructibus agrestibus, radicibus atque arborum corticibus. Asperum nutrimentum, post quod natura nec esurire amplius vellet. Poëta meus Leoninus in antiquo manuscripto repertus clementior est. Dicit enim

Procop. l. 1. de bello Persico. Vide Epist. 51. sup. Metapht. sup. in vita. Idem vita S. Sabbæ. Lib. 4. vitt. PP. Occid.

Ordo cucullatus posset satis esse beatus,
Si biberet flumen, velletque adamare legumen.


Adstipulatur S. Ephraim dicens, Convivium Monachi ex solis oleribus cum charitate constans esse melius adipe victimarum. S. Ephr. paræn. 1. fol. 338

Digitized by Google

EPISTOLA XCV.

An fructus, lacticinia, pulmenta & similia cesserint olim in escam Monachorum.

S. Hieron. ep. 25.
S. Ambros. l. 7. hexaëm. cap. 7.
Theodoret. in vita.
Vita S. Donat l. 3. vitt. PP. Occid.
Greg. Turon l. 2. de gloria Confess c. 81.
Bonfin. in hist. Vngar.
Epist. 51.



Oc iam nosti, Josippe, poma à S. Hieronymo inter alimenta Monachorum numerari. Poma verò dicuntur omnes fructus arborei, duri ac molles, esui humano apti. S. Ambrosius eadem decernit esse cibum naturalem & simplicem frugalem & sobrium. Verùmtamen id quoque scire te oportet, monachos olim de pomis plerumque viliora selegisse. Ita S. Jacobus Nisibita silvestres tantùm arborum fructus sponte nascentes collegit. Ita S. Donatus, Marianus, & Salomon ex rege Hungariæ eremita silvestribus pomis se aluêre, quæ si contrahas ad mala silvestria; *melagria* vocantur, pabulum eremitarum notissimum, ut Cyrillus te docet in vita S. Ioannis Silentiarij.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 1.
S. Epiphan. exposit. fid.
S. Basil. de Virg. fol. 715.
Sulpit. dial. 1. cap 7.
Pallad c. 74.
Ruffin. l. 2. Vitt. PP. num. 70.

Acrodrya præterea magna pars pomorum sunt. Ea tibi iam pridem descripsi esse vel maximè fructus arboreos ligneum putamen habentes, ut dactylos, nuces, siliquas &c. Tametsi autem S. Matthæus Apostolus, & multi alij Monachi Acrodrya comederint; eorum tamen esum non magnopere laudat S. Basilius. Sed quidquid sit, eremitis certè vix quidquam usitatius erat dactylis & palmulis. In specie referente Sulpitio novimus maiorem partem Anachoretarum in ea eremo, quæ duodecim millibus in Ægypto à Nilo distat, sustentasse se pomis palmarum, hoc est dactylis. Monachi quoque circa Jordanem solis victitarunt dactylis & oleribus, ut innumeros prætercam quibus aut natura soli, aut industria humana, aut Deus ipse palmas ad sui stustentationem providit. Hoc tamen silere non possum. Fratres aliquando in Scithi convenientes manducarunt palmas. Quidam autem infirmus excreabat, & casu phlegma proiecit super unum ex illis. Qui cum id ægrè ferret, & iam ad murmurandum & corripiendum animo moveretur, continuit se tamen, & luculenta sui victoria proiectum phlegma animosè comedit.

Metaphr. in vita.
Ruffin. n. 200.
Surius de S. Amato.
Ruffin. l. 1. c. 7.

Siliquis S. Sabbas vescebatur cum porcis: nucibus alij cum S. Amato eremita; qui tamen uno die per quadragesimam non nisi quinque accepit. Incidit hoc loco S. Apollonius. Dies

sanctus

sanctus aderat Paschæ, & absolutis synaxibus cum reficere se fratres vellent, nihil in penu reperiebant præter paucos & siccos panes cum oleribus. Tanta verò solemnitas exigebat aliquid lautius. Ergo vir sanctus confugit ad DEUM, cum aliud remedium in eremo non esset. Finitis precibus postquam fratres responderunt *Amen*, insperatò ante fores apparuerunt ignoti aliquot homines cum tanta copia rerum ad victum pertinentium, ut vix quisquam illorum tam multa ac varia umquam conspexerit, immò quæ neque Ægyptus quandoque protulit. Erant autem diversa genera pomorum, & magnitudinis incredibilis uvæ, nuces quoque, ficus, & mala punica ante tempus omnia; insuper favi cum abundantia mellis & lactis, ingentes etiam nicolai, nempe palmulæ, panesq; calidi ac mundissimi de peregrina Provincia ut videbantur. Quibus traditis qui ea attulerant festinanter recesserunt. Monachi autem grates DEO agentes usque ad Pentecosten sufficienter honorarijs his escis refecti sunt. Cæl. Rhodicus. l. 3. antiq. lect. c. 6.

Ceterùm mala punica, panesq; mundissimos an aliàs umquam monachi comederint ignoro. Uvas, ficus, caricas, ac mel interdum sumpserunt, sed modicè. Plerique ab his bellarijs omnino se continuerunt. Sic Possidonius ficus & uvas subinde manducavit, S. Zoë abstinuit. Si S. Marianus in silvis mel fortassis invenisset, accepit, sed quàm dulce mel silvestre S. Joannis fuerit, alibi exposui. Monachus ille quem scribit S. Hieronymus in cisterna veteri vitàm consumpsisse, caricas quidem in escam sumpsit, sed non plures in diem, quàm quinque. Jisdem si nonnumquam usus est Eusebius apud Theodoretum, ad fulciendam infirmitatem fecit. Semel simul quindecim accepit, & totam quadragesimam de cetero duravit jeiunus. Serenus Abbas Cassiano & comitibus cum caricis apposuit *trogalia*, seu cicer frictum; sed nullus ex eis accepit amplius, quàm quinque grana ciceris & unam caricam. Et hunc numerum in illa eremo excedere ait Cassianus culpabile esse. Pallad. c. 42. Metaphr. vita S. Martini. an. de S. Zoë. Greg. Turon. cit. Epistol. 51. S. Hieron. in vita S. Pauli. Theodor. in Philoth. Cassian. collat. 7. cap. 1.

Apud eumdem lego Ægyptios olivas manducasse; verùm hæ summæ, rarissimæque deliciæ erant. Vnde S. Antonius ante senium eas numquam tetigit. In vita S. Pachomij numerantur olivæ inter escas parvas, quoniam parvo numero dispensabantur, adeò ut S. Serenus suis hospitibus dumtaxat ternas apponeret, singulis, ut existimo, non nisi unam. Pior quinque ac- Idem l. 4. instit. cap. 22. in vita cap. 25. Vita S. Pach. cap. 43. Ruffin. l. 2. c. 31.

Digitized by Google

que accepit cum paxamatio deambulando foris: dicebat enim se in sumendo cibo non quasi opus facere, sed quiddam supervacaneum. In usu ipsius olei Patres erant parcissimi. Vbicunque penè de oleo legeris, invenies addi *Modicum*. Et quomodo non modicum, cùm cuivis Anachoretæ tam pro se, quàm hospitibus in annum sextarius olei suffecerit? Acetarijs non plus, quàm guttam affundebant, qui plures, à Cassiano laxatæ disciplinæ arguuntur. Severissimi in suum corpus fugiebant oleũ tamquam incentivum libidinis, vnde non nisi fracto, vel infirmitatibus, vel senio corpori illud adhibebant, ut S. Antonius, Fulgentius & alij. Nobis butyrum vel adeps pro oleo est. Quanta autem insolentia murmuris, si largè non affunditur. Obaudimus id, quod in concilio Aquisgran. decernitur. Fratres *aliquid* pinguedinis in victu quotidiano habeant, exceptâ feriâ sextâ, & viginti diebus ante Nativitatem Christi, & septimana illa, quæ præcedit Quadragesimam. Hodie pro illo *aliquid*, *multum* legimus, pro pinguedine per hebdomadam carnes inferuntur, ferijsque sextis profusè adipata pulmenta sunt, atque illis viginti diebus ante Christi Natalem diem vix à carnibus abstinetur, & Bacchus denique toto anno numquam hilarior est, quàm illis diebus, qui præcedunt Quadragesimam. Græci Latinis exprobrant usum porcinæ pinguedinis. Pauperum hoc condimentum est. Tu nisi nobis quid melius attuleris, ibis Homere foras. Sed gaudeo quod Concilium non meo, sed Ordini alteri loquatur, ut & Græci.

Cassian. collat. 19. cap. 6. Idem collat. 7. cap. 1. Collat. 19. supra.

A. D. 817. c. 77. & 22.

Panthal. apud Stevart. cõtr. Græcos.

Ad lacticinia progredior. Ab ipso lacte, cùm plerumq; Monachi abstinuerint cum Ethnicis sacerdotibus; B. Apollonio tamen divinitus subministratum est. Nosti ipse S. Ægidium herbarum radicibus & lacte cervæ, quæ statis ad eum horis ventitabat, longo vixisse tempore. Simili lacte S. Ioannes Dalmatiæ Regis filius in eremo annis 14. sustentatus est. Et quod mireris, Christina illa mirabilis suo se lacte per novem hebdomadas aluit. Caseo aliqui vescebantur, alij non, ut ostendit B. Epiphanius. Cassianus graviter perstringit Anachoretas aliquos, quòd muriæ pro salibus permiscuerint caseum Ægyptiacum, atque ita duos cibos propria suavitate distantes, qui singillatim diversoque tempore Monachos reficere iucundissimè poterant, sub unius saporis oblectatione perceperint. Quid si nostra vidisset embammata, eaque fercula, quæ ex omni genere cibo-

S. Hieron. lib. 2. contr. Iovin. Vita S. Ægidij. Nicol. Salius Prag. in vita Thom. Cantiprat. in vita

S. Epiph. sup. Cassian. collat. 19. cit.

Digitized by Google

ciborum confusa, peregrino vocabulo dicuntur *Oglia poderida?* Pallad. c. 38.
Sed st! Caseo vaccino vivebant Monachi Panopolitani in Ægypto.

Ovorum eadem penè cum caseo ratio est. quæ quia de lautioribus cibis erant, à plerorumque mensa relegabantur, excepto casu infirmitatis, ut de B. Fulgentio legimus. Nec mirum: cùm id etiam sacrificuli factitabant. Fuerunt tamen, qui S. Hieron. sup.
intrepidè ea comederunt, quod ostendit B. Epiphanius. S. Epiph. sup.

Superest ut de pulmentis agam, cibo Monachorum iuxta Cassianum. S. Epiphanius vocat ἑψήματα. De his ita decernit S. Benedictus. *Sive semel, sive bis comedatur, dentur duo pulmentaria, vt si quis non potest comedere unum, habeat alterum. Si poma aut nascentia legumina fuerint, addatur tertium.* Verùm noveris Iosippe, *Pulmenti* nomen in Lexico monastico restrictius esse, quàm in politico, in quo per id omne coctum per ignem ferculum significatur. S. Patriarcha Isaac ad filium ait: *Cum venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum*, quod interpretans Rebecca dicit: *Audivi patrem tuum loquentē, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam:* illata est autem esca de hœdis optimis, pulmentum scilicet de carne seni exoptatissimum. Apud Ioannem Christus ait, *Pueri numquid pulmentarium habetis*, Græcè προσφάγιον? & piscis assus fuit in opsonium seu merendam, quæ paniacibus adijcitur. Cassianus pulmentum clarè opponit Xerophagiæ, hoc est crudæ comestioni. Vnde & S. Basilius ad Valentis coquum seu culinæ præfectum: *Tuum est*, inquit, *de pulmentis cogitare*, videlicet de coquendis cibis. In meo monachico Lexico tam latè se non effundit pulmentum: absit enim à Monachorum temperantia, vt omnis generis pulmenta comederint; carnium non sumpserunt; nec quæ mensam Valentis Augusti onerarūt. Ipsorum pulmenta primò sine pane erant, ut tradit B. Ephraim. Deinde quidquid vile erat, conijciebatur in ollam, & coquebatur. Victor S. Martini discipulus monasticorum pulmentorū insignis coquus, docuit ad stomachum præclarum pulmentum S. Paulinū coquere. Species erant, *Olei gutta, aquæ copia, milium aut farina, non tamen de siligine ad ignē apposita.* Subinde sumpsit *fabam, & intrivit panico vel milio. Lentem quoq; & hordeum, & viciam commiscuit.* His dapibus reficiebatur S. Martinus ornamentum status monastici, totiusque Ecclesiæ. S. Pithyrionis pulticula de

Cassian. l. 4. instit. cap. 21.
S. Epiph. cit.
S. Bened. reg. cap. 39.
Genes. 27.
Ioan. ult.
Cassian. sup.
S. Ephr. paræn. 8.
S. Paulin ep. 3. ad Sever.

Ruffin. l. 1. c. 13. Pelag. l. 4. n. 64. Rosw. in Onomast. Cassian. coll. 15. cap. 10. Greg. Turon. cap. 1. vitt. PP. In vita cap. 6. Lib. 3. vitt. PP. Ovid.

farina erat, & cuiusdam fratris infirmi ex siccis nixis, seu prunis Damascenis; ex aqua & lenticula Monachorum per Ægyptum, *Atheran* appellabant pulmentum hoc. S. Lupicinus & pisces & olera in unam conjecit ollam: *De his,* inquit, *pultibus fratres reficiantur.* S. Hilarion in extrema senectute, cùm aridos cibos digerere amplius non posset, *sorbitiunculam* solebat accipere *ex farina & comminuto olere.* S. Stephanus Grandimontensis ad suam sorbitiunculam solummodò adhibuit farinulam siligineã cum aqua. Breviter dico. Sanctissimi viri nec pulmenta, nec sorbitiunculas accepissent umquam, nisi naturæ imbecillitas incoctos cibos, seu Xerophagiam eos dimittere coëgisset. Hæc sola namque pulmenta apud probatissimos Monachos invexit. Et quamlibet pulmenta tandem admiserint; in ijs tamen nihil gratum, nihil delicatum, nihil non vile cernebatur. Et quale obsecro pulmentum S. Godrici erat, farina & hordeum cum ramis & radicibus herbarum in cineres redactis permixtum? Et cinis quis cibus? Nihilominus S. Gregorius de sui ævi Monachis canit,

Matth. Paris. hist. Angl.

S. Greg. Naz. carm. 1.

Est alijs rursum sordibus esca cinis.


Intuere ex omni latere mensam priscorum Monachorum, &, ita me Deus amet, nihil perspicere etiam Lynceis oculis poteris, quod vel tantillam voluptatem sapiat. Voluerunt vivere miserè, ut viverent aliquando beatè.

EPISTOLA XCVI.

De cruda comestione, seu Xerophagia Monachorum.

S. Epiph. exposit. fid.

Idem in Ancoran. n. 47.



Vltos Monachos suos cibos per ignem coxisse extra controversiam est, Iosippe. Quid enim aliud, S. Epiphanij ἑψήματα, & aliorum pulmenta sunt? Quæris unde anachoretis ignis semper esse potuerit? S. Epiphanius oculatus testis respondet: Monachos vas vitreum implesse aqua, solisque radijs opposuisse subjecta materia è lino vel stuppa, quæ flammam illico conceperit. Si rursus de frigida hieme sollicitus rogas, Lactantium audi. Orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam in durissimo frigore. De silicibus & lignis quibusdam mutuo affrictu scintil-

Lactant. de ira Dei c. 10.

las ex-

las expuentibus nunc taceo, cum possint in Ægypto cibi coqui per solum calorem solis. Certè Postumianus apud Severum refert se in eremo venisse ad senem in Ægypto, apud quem viderit ollam cum oleribus, quæ in cœnam præparabantur, sine igne fervere. Tanta, inquit, vis solis est, vt quibuslibet coquis etiam ad Gallorum (quos edacitatis arguit) pulmenta sufficiat. Hunc modum coquendi iam antè Troglodita habebant teste Diodoro Siculo. Immittebant cibum cum aqua in vas æneum, & exponebant aprico soli, ac sic absque igne coquebant. Noster Phœbus non ita æstuat, unde S. Ingenuus eremita sua olera ad ignem quidem coxit, sed caldaria erat lignea, nec comburebatur.

Heliodor. in Æthiop. lib. 1. Sulpit. dial. 1. cap. 7.

Diodor. Sicul lib. 4.

S. Greg. Turon. de glor. Confess. c. 98.

Coctæ comestioni cruda opponitur, qua cibi manducantur penitus incocti, & aridi. Græci *Xerophagiam* nominant etiam primis Christianis notam. Institutum quippe Apostolicum fuit, ut scribit Epiphanius, ut omnes Christiani per hebdomadam sanctam solummodò panem, sal & aquam in refectionem susciperent. Tertullianus quoque dicit: *Quantula est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno Xerophagiarum hebdomadas, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis offerimus Deo.* Itaque cum Xerophagia sit species acerbi ieiunij, Monachi eam avidè arripuerunt. *Veri pietatis asceta*, inquit S. Basilius, *alimento siccissimo utuntur, & quod modicè nutrit, & per totam diem semel.* S. Ephraim quoque: Huius monasticæ viæ incessus, est iejunium, oratio, compunctio, vigilia, humilitas animi, paupertas spiritalis, contemptio carnis, cura animæ, fames, sitis, nuditas, illuvies, humicubatio, aridorum ciborum comestio, misericordia, lachrymæ, luctus, angustia, gemitus, genuflexiones, ignominiæ, &c.

S. Epiphan. hæres. 75. n. 6. & supra. Tertull. l. de ieiunijs c. 9. & 15.

S. Basil. in cõst. c. 6.

S. Ephr. de varijs torm. inferni. fol. 192.

S. Macarius Alexandrinus quidquid rectè fieri ab alio audivisset, æmulabatur. Audiens ergo, Tabennenses Quadragesimam peragere in Xerophagia, per septennium cruda dumtaxat olera, vel madefactas herbas in escam sumpsit. S. Iacobus Nisibita usum ignis in totum rejecit. S. Philoromus per annos octodecim nihil coctum recepit. S. Damianus subinde per dies 40. Cruda poma pastus tunc erant. Fratrum S. Roberti Abbatis Casæ Dei cibus fuit parvus & aridus. Et quot iam tibi attuli qui vel solo pane, vel herbis crudis, oleribus, aut fructibus vitam transigebant? Xerophagi fuerunt, & inter sanctos Dei servos nominatissimi. Per aridos cibos caro exsiccatur, anima pinguescit & saginatur.

Pallad. c. 22.

Theodoret. in vita. Pallad. c. 119. Hieron. Rubeus in vita. Surius vita S. Robert.

EPI-

EPISTOLA XCVII.

Sitné vinum potus Monachorum.



On dubito, Iosippe, quin post tot cibos tibi de culina Monachorum appositos tandem sitias. Ast vereor, ut de eorumdem cellario suavius quid proferam, quàm cibi fuerunt. Haustum fortassis expectas vini? Sed crede mihi, quia versamur in antiquitatibus, cellaria priscorum ascetarum vinum non eructant. Ad fontem communiter amandati sunt, maximè in ætate robusta, & juvenili. *Legimus,* ait Monachorum celeberrimus institutor, *Vinum omnino Monachorum non esse.* In vitis Patrum hoc legit, & est sententia magni Abbatis Pastoris. De Orientalibus in specie S. Augustinus, *A carnibus,* inquit, *& vino abstinent.* Laudat hos S. Clemens Alexandrinus dicens: Delector ijs, qui austeram hanc vitam amplectuntur, & bibunt aquam, pharmacum continentiæ: vinum autem longissimè fugiunt tamquam minas ignis. Placet ergo pueros & puellas ab hoc potu plurimum abstinere: neque enim convenit ætatis calori superfundere id, quod omnium humorum ferventissimum est, ignem scilicet igni, unde feri motus, flagrantesque cupiditates oriuntur, & mores ignei, unde præcipitentur in venereas voluptates, solito citius ex vino maturescentibus pudendis, & uberibus. Necesse proinde est, vt horum potiùs suffocentur ardores per subtractionem materiæ. Alio loco dicit. *Vinum enervare animam.* Sanctus Ephraim ait: Fuge Vinum quasi venenum, ne ebrietate vincaris, & virtutibus nuderis. Et pòst: Semper adolescentia & juventus sibi timeat à vino, quoniam ex vino spiritalis oculus excæcatur, iniquitas multiplicatur, ignisque pravæ concupiscentiæ continuò accenditur, mollescit virtus animæ, cogitatio vitæ æternæ aboletur, vincitur anima invisibiliter, ac facillimè delinquit, fugatur ab ea cælestis gratia, sanctimoniam dico atque virginitatem. Et alibi: Semper tibi à vino time, ô juvenis. quandoquidem vinum numquam parcit corpori, ignemq; malæ concupiscentiæ continuò incendit. S. Basilius: Calor, inquit, ex vino proveniens accendit ignita iacula inimici: nam vinum & rationem & mentem demergit, inflammatque cupiditates. & voluptates, non secus atque oleum accendit ignem.

S. Bened. reg. cap. 40.
Pelag. libell. 4. num 31.
S. Aug. de morib. Eccl. c. 31.
S Clem. l. 2. Pædag. cap. 2.
Idem l. 7. strom.
S. Ephr. de agon. spirit. fol. 483.
Idem serm. de Virgin. f. 118.
S. Basil. in c. 5. Isai. f. 952.

ἐγχεῖν, ait Plato, πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν: non oportet flammam flamma accendere. Quibus conſentit S. Iſidorus Peluſiota. Sano atque ferventi ſtomacho, ait, idque Monaho vinum, quo in omnibus rebus liquidis nihil eſt calidius infundere, ac velut ignē igni addere, haud mihi bonum eſſe videbitur. Hinc enim agreſtes impetus, & tumidæ cúpiditates inflammantur, ac temeritas & petulantia exæſtuans lenitatis pugiles ad frenum contumaces reddit. S. Proſper ait: Infirmitas ſi defuerit, à vino eſt abſtinendum, ne vini perceptio, quæ infirmum ſuſtentat, ſanum corpus incendat. Nam rectè B. Bernardus: vinum, inquit, & ſimilia, mulſum & pinguia corpori militant, non ſpiritui. Appoſitiſſimè ad rem noſtram patrum noſtrorum memoria P. Antonius Ciudadus vir admodum religioſus, ac Mexici Quardianus dixit: Miſerat ei Archiepiſcopus lagenam vini. Quod ut vidit Pater, exclamavit, *Apage, apage; Cilicium, Cilicium, non vinum,* doliolumque ſimul remiſit donatori.

Plato l. 2. de legib. S. Iſidor. l. 1. epp. 385. & 495.

S. Proſ. l. 2. vitæ cōtempl.

S. Bern. ep. 1. Valent. Fricius de ſtatu Indico.

Quo circa mi Joſippe ab antiquis Monachis non multum vini expectes. *Vinum,* ait Theodoretus, *Monachis in uſu non eſt.* S. Hieronymus dicit: De cibis & potu taceo, cum etiam languentes Monachi frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Berchtholdus popularis noſter vinum nec in extrema neceſſitate bibere voluit. S. Paula à vino etiam infirma abſtinuit, quo exemplo propemodum ſanctum ſenem Epiphanium à modico vino in ſenio bibendo abſtraxit. S. Anſelmus Lucenſis vinum fugit *ut venenum:* S. Gregorius Nicopolitanus *ut peſtem.* Facta eſt aliquando feſtivitas in Scithi, & dederunt ſeni in calice vinum, quod abijciens dixit: *Tolle à me mortem iſtam.* Quod videntes alij, qui cum ipſo edebant, nec ipſi biberunt.

Theodoret. ſer. de charit. S. Hieron. epp. 22. In eius vita. S. Hier. ep. 27.

In eius vita. Annal. eccl. Aurelian. Pelag. l. 4. n. 53.

Legi Ioſippe, quòd unicus vini odor graviter nocuerit. Vennocus Britto presbyter in ſumma vivebat abſtinentia. Veſtes erant viliſſimæ pelles, cibus agreſtes & incoctæ herbæ, potus aqua. Ad comprimendam gulam vini vaſcula ori ſolummodò admovebat, nihil ex ijs hauriens. At dum hoc ipſum crebrius factitat, tandem dulci odore vini illectus, & guſtare nonnihil, inde & bibere, denique etiam cœpit inebriari, adeò, ut homo miſerabilis ex continua ebrietate tandem ad inſaniam redactus, catenis conſtringi debuerit. *In vino* ergo *luxuria, in vino inſania, in vino venenum, peſtis ac mors eſt.*

Greg. Turon. l. 8. hiſt. Franc. c. 44.

Orig. hom. 11. in Leuit. Ioseph. l. 3. antiq. c. 12. Euseb l. 3 demonstr. Evang. c. 7.

Ab eo proinde in veteri testamento abstinebant etiam Nozaræi toto voti sui tempore, sicut & sacerdotes, quamdiu stolam sacerdotalem ferebant. Non iam unum aut alterum Christi discipulum nomino, Eusebius ait, omnes à vino abstinuisse, dum prædicabant Evangelium. Ab his ad Monachos hæc abstinentia venit. Hi non modò spadonatui se assignarunt propter regnum cælorum, sed etiam Dei creaturam sibi interdixerunt, abstinentes vino, & animalibus exultantes, prout loquitur Tertullianus. Sapientissimè ergo legislator Monachorum in suis tabulis: *Ante omnia oportet Monachum abstinere à congressu mulierum, & à potatione vini: nam vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* In morte Regis solebant olim omnes Ægyptij à vino & coctis cibis propter luctum abstinere. Cùm ergo vita Monachi sit lugere, quid ipsi cum Baccho?

Tertull. l. de cultu mulier. c. 9. S. Basil. de ascesi. Eccli. 19. Diodor. Sicul. l. 1. hist.

S. Hieron. l. 2. contr. Iovin. S Clemens. l. 7. stromat. Plato apud Euseb. l. 12. Præparat. Evang. c. 25.

An hoc putamus impossibile? Sacerdotes Isidis cum multis alijs Ethnicis hoc præstabant. Carthaginiensium lex erat, ut in militia nemo aliud quàm aquam biberet: domi nec servus, nec ancilla vinum gustaret, sicut nec reipublicæ rector, quo anno in officio esset, nec gubernatores navium; nec judices dum solida peragebant; nec quisquam alius in senatu sententiam dicturus. Vsqueadeo credebant magnificè fieri nihil posse ab eo, cui vinum in usu fuisset.

S. Basil. in c. 14. Isai.

Quandoquidem autem sexus femineus passionibus inordinatis, quas vinum, teste S. Basilio, generat, validius quassatur, faciliusque prosternitur, SS. Patres ancillis Dei vinum præ alijs disuaserunt.

S. Greg. carm. 3. S. Ambros. l. 3. Virgin.

Vinum Virginibus probrum est obscœnius irâ ait S. Gregorius Nazianz. Liberius Papa dum S. Marcellinam instruit, concedit ei quidem vinum propter infirmum corpusculum, sic tamen, ut per id non excitet voluptatem. *Incendunt,* inquit, *pariter duo, vinum & luxuria.* In Monasterio S. Euphraxiæ erant architria, hoc est, cellæ Monialium 130. Ex tanto numero nulla gustabat vinum, non pomum, non uvas, ficus, aut aliquid huiusmodi bonorum, quæ terrena nascuntur ubertate. Et quantum Iosippe est, feminas Deo sacras vino abstinuisse? Inter quindecim Romuli leges septima erat, ne mulier Romana vinum in urbe biberet sub pœna capitis. Immò Plinius refert, vinũ matronæ Romanæ nec olere licuisse: siqua oluisset, à Censore relegari poterat. Et verè Valerius Maximus,

Vita S. Euphrax. c. 6.

Dion. Halicar l. 2. de antiq. Roman. Plin. l. 14. hist. cap. 13.

Digitized by Google

mus, *Quæcumq; vini usum immoderatè appetit, & virtutibus omnibus ianuam claudit, & delictis aperit.*

Ardescit vitio vitium, viresq; ministrat
Bacchus. ait Manilius.

Sed onerosus fortè sum in viro culpando. At si me intelligis, loquor tantùm de sæculis antiquis, quæ valde fervebant; nostra quia frigent & rigent, quidni caloris remedium à vino quærunt? Non audimus hodie Athenæum dicentem, Πάντων δὲ τῶν μητρόπολις ὁ οἶνος. Vinum omnium malorum metropolis, & sedes regia.

EPISTOLA XCVIII.

Quando, & quantum vini concessum priscis Monachis fuerit.



VT veteres Monachi pro Manichæis atque Encratitis hæreticis non haberentur, quos nosti vinum ex natura censuisse abominabile, certis ex causis id subinde bibebant. Præcipua fuit necessitas. Vinum, ait S. Basilius, nullo modo abominandum censeas, si sumatur causa valetudinis: extra necessitatis tamen articulum nolim de eo te esse sollicitum: quo modo te iudicare volo de cunctis corporis necessarijs. In partes Basilij frater eius transit Gregorius. Quis ignorat, inquit, ex omnibus, quod vinum si ultra necessitatis articulum bibatur, sit fomes libidinis, seminarium voluptatum, iuventutis pestis, probrum senectutis, feminarum dedecus, insaniæ nutrix, mater petulantiæ, venenum animæ, mentis interitus, virtutum effugatio. Deus bone Iosippe, quàm terribilia encomia vini præter necessitatem sumpsi! Ergo si sapis cum S. Dorotheo id absque necessitate & symbolo ne bibe.

S. Aug. l. de morib. Manich cap 14. S. Basil. ep. 2. ad Amphil. can 47. Idem in constit. monastic. t. 2. fol. 393. Greg. Nyssen. hom. 2. in Eccles. S. Doreth. doctr. 20.

Si quæris, quando sit præstò necessitas, dico in infirmitate & senectute. Apud Pachomianos vinum nullus quàm ægrotus audebat attingere. S. Petrus Damiani id insuper celebrantibus concessit, quod S. Dorotheus symbolum appellat. De senibus S. Hieronymus ait: Vinum tantùm senes accipiunt, quibus & parvulis sæpe fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, & aliorum non frangatur incipiens. Vtrique huic ætati victus diætam Pædagogus Alexandrinus præscribit. Iuvenes,

Reg. S. Pach. P. Damiani. Rubeus in vita. S. Hier. epist. 22. S. Clem. l. 2. Pædag cap. 2.

venes, inquit, placet quotidie prandere quidem, sed non nisi in pane absque ullo potu, ut hac Xerophagia corpus calenter humidum citius exiccetur. Crebriora siquidem excrementa per os & nares, & aliunde exeuntia, quid aliud indicant, nisi abundantiam infusi humoris? Quod si ergo sitis vexet, aqua accipiatur, & ea ipsa nonnisi modica, ne cibus in ventriculo nimium dissolvatur. Quamvis & aliunde indecens sit, nec divinis contemplacionibus congruat gravari vino; nam merum iuxta Comicum ad prudentiam parum juvat, ne dicam ad vitam continentem. Ad cœnam tamen vinum habere possunt; tum quod finis studiorum vespera sit; tum quod exterior calor frigescente cælo remissior: modicum tamen & hîc esse oportet.

Ætate provectioribus liberalius concedendum est propter ætatis frigus: vinum namque remedium est naturæ marcescenti: nec tempestates cupiditatum in senibus multum timendæ sunt. Verum & his suus terminus esto bibendi, quoad scilicet rationem inconcussam, memoriam firmam, corpus fervent immotum. Sapientis super hac re consilium est. *Senes ego moneo, exhortor & rogo, vt & parum bibant, & diluendo admodum mitigatum: nimia enim & intemperata potatio iuniores tantùm ebrios; senes verò & ebrios, & stultos facit.*

Apud Grevar. lib. 5. horol. princip. c. 20.

Vides Iosippe, omnibus & vbique vini parum & modicum etiam pro infirmis dandum esse. *Stomacho languenti,* ait idem Gymnasiarcha, *remedium vinum, sed modicum.* Vinum modicum, inquit S. Ambrosius, omnem infirmitatem corporis allevat. Et S. Basilius: Debilitatis & exhaustis corporibus vinum modicum non est negandum, sed tantùm calentibus. Ita senex Epiphanius modicum bibit. Idem fecit Simeon eremita ob infirmum stomachum de consilio S. Pauli. Cuius occasione S. Bernardus vehementer irascitur Monachis sui temporibus. omnes, inquit, ex quo Monachi sumus, infirmos stomachos habemus, & tam necessarium Apostoli de vtendo vino consilium meritò non negligimus; *Modico* tamen, quod ille præmisit, nescio cur prætermisso. Pudet dicere, sed magis pudeat actitari; & si pudet audire, non pudeat emendari. Videas vno in prandio ter vel quater semiplenum calicẽ reportari, quatenus diversis vinis magis odoratis quàm potatis, nec tã haustis quàm attactis sagaci probatione, & celeri cognitione; vnum tandem è pluribus, quod fortius sit eligatur. Quin alibi existimat consiliũ S. Pauli ad Mona-

S. Clem. sup. S. Ambros. L. de Noë c. 29. S. Basilius de Virgin. fol. 714. & 719. Epist. 97. In eius vita l. 3. vitt. PP. O. vid. 1. Timoth. 5. S. Bern. apol. ad VVilchel.

Idem serm. 30 in Cant.

Monachos non extendi. Fruſtra, inquit, ſibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli hortantis diſcipulum non bibere aquã, ſed modico uti vino propter ſtomachum & frequentes ſuas infirmitates. Qui attendere debent non Monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cuius vita teneræ adhuc & naſcenti Eccleſiæ per neceſſaria erat. Timotheus hic erat. Da mihi alternm Timotheum, & ego eum ſi vis cibo auro, & poto balſamo. Ceterùm tu tibimetipſi diſpenſas, miſertus tui. Suſpecta eſt mihi, fateor, tua ipſius in te diſpenſatio, & vereor tibi illudi ſub tegmine & nomine diſcretionis à carnis prudentia. Id te ſaltem volo admonitum eſſe, vt ſi tibi ita auctoritas Apoſtoli placet de bibendo vino modico, quod ille adjunxit, non prætermittas. S. Athanaſius ſimili doctrina ſacram Virginem imbuit. Si corpore, inquit, minus valueris, vtere *vino modico* propter ſtomachum. Ad finem addit. Virginem decet ſolam comedere panem ſuum; ſi adſint Virgines aliæ, cum ipſis comede; Si bibant vinum, & ipſa *modicum* bibe propter ipſas. Si graves presbyteræ ſint, & ad bibendum te cogere volunt, ne acquieſcas, ſed dic, Vos iuventutem veſtram multa exercitatione conſumpſiſtis, ego eò nondum perveni.

S. Athan. de Virg.

Tolerari fortaſis hoc modicum poſſet, ſi aut merum, aut de cado nobili apportaretur. Sed mi Joſippe, Sancti Patres hoc ipſum modicum aut aquâ diluerunt, aut de dolio extremæ ſortis acceperunt. *Meri pocula,* inquit S. Ephraim, *etiam modica Patribus non placuerunt.* S. Monegundis vinum numquam bibit, quin aqua bene miſcuerit: bibebat autem ſolis diebus feſtis. S. Candida aceto confudit. S. Baſilij perpetuò ægrotantis vinum erat flaccidum: aliorum ſenum acerbum & marcidum. S. Macarius mirabilis fuit: vini calices læto animo hauriebat; ſed quot pocula hauſit, tot poſtmodũ dies etiam aquâ abſtinuit.

S. Ephr. de humil. acquir. cap. 20.
S. Greg. Turon. Vitt. PP. cap. 11.
Pallad. c. 79.
S. Baſil. epiſt. 208.
S. Ephr. paræn. 27.
Ruffin. lib. 2. Vitt. PP. n. 53.

Nunc in hoc ſumus ut definiamus quouſque ſe *modicum* illud extendat. S. Ephraim unum concedit poculum, quod à Monachis in Scithi ſedulò obſervabatur. S. Eſaias Abbas largior eſt: Si urget neceſſitas, inquit, ad tertium uſque poculum vini bibe: menſuram hanc amicitiæ gratia tranſilias cave. Eadem diſcretione S. Auguſtinus exiſtimat homini temperantiæ ſtudenti ſuper menſam ſatis eſſe, ſi accipiat tres vini cyathos ad conſervandam valetudinem. S. Benedictus cùm dixiſſet Monachis abſtinentiam à vino perſuaderi non poſſe, ſubiungit,

S. Ephr. Proverb. fol. 523.
Pelag. l. 4. n. 53.
S. Eſaias orat. 10.
S. Aug. ſup. c. 13.
S Bened. reg cap. 40.

Digitized by Google

saltem non ad satietatem, sed parcius bibant, ad quod in diem sufficere putat *Heminam*, nisi labor, æstus, aut alia necessitas plus suadeat, quod ponit in arbitrium Prioris. Est autem Hemina seu cotula dimidium sextarij, sicut sextarius sexta pars congij. Sextarium implent duodecim cyathi seu unciæ, sicut medici communiter distribuunt. Andreas Baccius ait cyathum continere paulò plus quàm unciam cum dimidia, adeò ut sextarius excurrat ultra uncias octodecim, & Hemina ultra novem. Et revera existimo Heminam plus quàm sex vncias seu cyathos nostros continuisse apud S. Benedictum: nam declarationes Cassinenses super S. Patris Regulam Heminam vini sustulerunt, quod multo plus, quàm pro communi necessitate unius Monachi per diem contineat.

De ministerijs & Pincernis.

Datur igitur quantum Superiores judicant necessitati sufficere, sicut olim Regibus Ægypti, quibus ea mensura præbebatur quotidie, qua nec farciri venter ipsorum, nec caput inebriari poterat. Omnibus iuxta concilium Aquisgranense eadem mensura est, tam Abbatibus quàm suis Monachis, nulla habita ratione dignitatis à maximo usque ad fratres laicos etiam apud Canonicos Regulares; quibus tamen (absit risus) in dies singulos decernuntur in locis ditioribus, ubi vinum crescit, quinque vini libræ. Ubi vinum non crescit, *Discreti* illi censuerunt esse dandas libras vini tres, & totidem cerevisiæ: aut si penitus non crescit, libram vini unam, & quinque cerevisiæ. Si tamen Monasterium aliunde ditescat, curet advehi vinum, & ad justam quantitatem tribuat.

Diodor. Sicul. lib. 1. histor.

Concil. Aquis. A. D. 817. c. 25.

Idem c. 121 & 122.

Multi Iosippe, doluerunt, hanc legem hodie abrogatam esse; aliàs nulla canonia satis capax esset ad suscipiendos novitios canonicos. In Austria vinosa provincia nunc sum, ante aliquot annos eam in sterili Bacchi colonia, nempe Bavaria, varijs in cœnobijs, ad quorum utilitatem me Prælati evocabant ac mittebant. Vbique eadem portio vini per diem est, nempe sextarius, sicut & apud Patres Benedictinos est in eadem prorsus quantitate, ut ignorem, an illi canonizent, vel nos monachizemus.

Et omnino nostra hemina, seu medius sextarius, qui ad singulas mensas apponitur, concordare videtur cum more patriæ. Si propino proprio respondet *Salus*. Salus in S. Augustini lingua patria *Tria* significat, eratque Afrorum formula salutandi

S. Aug. in ep. S. Pauli inchoatas.


lutandi

lutandi, qua censebant salutem consistere in Trinitate. Ego autem hoc verbum *Salus* interpretor, tamquam significet tria pocula S. Augustini, quæ continentur in nostra hemina: si tamē cyathi S. Patris non minora fuerunt. Benedictini propinantes sibi mutuò iubentur dicere *Benedicite*, responsio est, *Dominus*. Pulchra formula, si ex ipsorum constitutionibus observaretur. In constit. Bi-b. PP.

Vt ut sit, Iosippe, crevit Apostoli modicum non modicè, vt audisti: daturque non modo senibus, & infirmis, verùm etiam sanis & juvenibus. Olim multum erat, si hospitalitatis ergo proponebatur peregrinis: cùm autem ipsorum posteri viderent inde nasci scandala, consuetudinem abrogarunt. Abbas Ioannes Moschus interrogavit Abbatem Theodorum Pentapolitanum dicens: Bonum est, pater, quoties vel ipsi ad aliquem pergimus; vel siquis venit ad nos, vini abstinentiam solvere? Respondit senior & ait, Non. Et Ioannes: Quomodo igitur antiqui Patres ita solvebant? Respondit Theodorus: antiqui Patres ut magni & potentes, & solvere potuerunt & ligare: nostra verò generatio solvere ac ligare non sufficit: nam si solvamus ritum abstinentiæ, non amplius vitæ nostræ religiosæ austeritatem retinebimus. Hunc morsum qui non sentit, callum obduxit ex consuetudine contraria, quam ego pro mea parte non vitupero, si maneat in terminis: alia enim sunt nostrorum, alia priscorum monasteriorum sæcula & mores. *Multi amici in uno sæpe vitro.* Prat. spirit. c. 162.

EPISTOLA XCIX.

An aqua fuerit quondam potus Monachorum.



IAm nuper ex S. Hieronymo tibi dixi aquæ usum numeratum olim fuisse inter germana ac necessaria verorum Monachorum exercitia: censebatur enim pharmacum esse continentiæ. Lege acta priscorum Patrum, & ab Essæorum temporibus pro potu nihil invenies aquâ usitatius, potissimum in Ægypto & Oriente, sic ut eâ etiam moribundi se reficerent. Et modò data fuisset, pura, frigida, atq; ad sufficientiam: quia cum frigida inter delicias haberetur, & esset nonnisi languentium, sani, ut omnem omninò voluptatem à se proijcerent, plerumque bibebant calidam, qualem etiam S. Basilius in infirmitate, S. S. Hier. epist. 25. S. Clem. l. 2. Pædag. cap. 2. S. Eph. in eos qui in Christo obdorm. fol. 776. S. Hier. epist. 22. S.Ephr. de humil. acq. c. 20.

te, S.

S. Basil. ep. 8. & 366. te, S. Paula cum Abbate Petro Pyonio accepit in morte.

S. Hier. epist. 27. S. Clemens Alexandrinus aquæ dumtaxat modicum admittit in siti. Et S. Ephraimi de se, suisque confessio est. *Linguam æstuantem aqua madefacimus, ac refrigeramus.* Item de omnibus Monachis: Monachus, inquit, temperans, nec compotationibus, aut vinorum dulcedine gaudet; nec temerè vinum bibit; nec immodicè non solùm vino, sed ne aquæ quidem potu fruitur. Regula S. Antonij erat: A saturitate etiam aquæ abstinere. Euagrius quoque valde detestabatur potum aquæ largiorem. Vnde super omnia suos exhortabatur, si studium gererent vel humiliandi corporis, vel phantasias ab eo dæmonum (per noctem) propellendi ne in bibenda aqua largiore mensura uterentur: dicebat enim, *Quia si aquâ multâ corpus infundatur, maiores phantasias generat, & largiora receptacula dæmonibus præbet.* Atque hæc fortè causa fuit, quod Pœnitentibus olim aqua in mensura porrecta fuerit, quo exemplo ductus S. Guntherus aquam fratribus suis in mensura distribuit. Abbas Paulus Galata per totam Quadragesimam vitam transegit sextario lentis, & parvo vasculo aquæ. S. Stephanus junior per hebdomadem tres solùm aquæ haustus fecit. Et de se fatetur S. Paulinus, quòd se suosque hospites raris ac minutis poculis asperserit. Denique S. Anselmus Episcopus sæpè per totam mensam nihil bibit: verùm si ardentius quandoque sitis incubuit, circa Vesperas fortasse modicum aquæ privatim hausit: nam & in ipsa aqua, prout mecum sæpe locutus est, gulæ gastrimargiam æstimavit, laqueum timuit, ideoque parcius delibavit.

Pelag. l. 4. n. 35. — S. Clem. sup. — S. Ephr. serm. in eos cit. — Et de Temper. fol. 37. — Ruffin. l. 1. c. 31. vitt. PP. — Idem cap. 27. — S. Ephr. de Pœnit fol. 564 — Surius in vita Paschas c. 2. — num. 2. — Surius in vita. — Paulin. ep. 5. ad Amandum. — Vita S. Ansel Luc.

Fuerunt qui aqua magis accenderent sitim, quàm extinguerent, bibentes marinam, vel sale aspersam, ut Abbas Pior, Portianus, Emanus Eremita, & Eulogius cum suis. Nec dulciorem habuerunt, qui eam amaris lacrymis miscuerunt.

Pocula sunt alijs fletu permixta calenti

Canit S. Gregorius. S. Guthlacus cum eo, de quo S. Hieronymus in vita S. Pauli scribit, bibit lutulentam. B. Aureæ potus erat stillicidium cum cineribus expressum. Et quid purum in nivibus? Multi eas in siti hauserunt.

Altera brumali pars petiturq; nive

Adjungit superiori versui S. Gregorius. Ruffinus commemorat septem Monachos sitim explesse rore matutino. De tota

Ruffin. l. 2. c. 31. — S. Greg. Turon. vitt. PP cap. 5. — Vita Eman. vita. PP. Ovid. — Pelag. lib. 8. num. 4. — S. Greg. Naz. carm. 1. — Surius in Guthlac. — S. Hier. vita Pauli. — Vita S. Aur. l. 3. vita PP. Ovid. — Ruffin. cit. n. 200.

anti-

Digitized by Google

antiquitate unicum Patroclum reperio, qui aquam paucissimo melle miscuit, interim nihil sumebat, quod solet inebriare. Greg. Turon. l. 4. hist. Franc. cap. 48.

Quid Simeon junior Stylita biberit, non satis capio. Evagrius tradit ei cibi & potionis loco fuisse ramos quosdam fruticis in monte in quo stabat crescentis. S. Macarius Evagrium Ponticum in siti ablegavit ad vmbram. Veni aliquando, ait, in ipso meridiei articulo ad S. senem Macarium Ægyptium, & cum immensa siti flagrarem, aquam ab eo petij. Qui respondit mihi, ut umbrâ contentus essem: nam multi viatores, aiebat, cum navigantibus eodem tecum morbo laborant, nec umbram habent. Loquente me autem, cum ipso de continentia: Macte, inquit, fili: viginti jam admodum anni sunt, in quibus neq; panis, neq; aquæ, neq; somni satietatem percepi umquã. Panem siquidem pondere, & aquam sumebam mensura: cùm verò dormituriebam, obvio me parieti applicui: sicque modicum somnum delibavi. Evagr. lib. 6. hist. cap. 22. Socrat. lib. 4. hist. cap. 22.

Theodorethus in vita S. Eusebij refert plurimos fuisse, qui ab omni potu penitus abstinuerint contenti cibis humidioribus. In specie Sulpitius unius meminit, qui nihil umquam bibens septem in diem caricas sumebat. Abraames insuper aquam judicavit esse supervacaneam. Quidam senex statuit per 40. dies non bibere. Et siquando fiebat cauma, lavabat surisculam, & implebat eam aqua, & appendebat ante oculos suos. Qui cùm interrogaretur à fratribus, cur hoc faceret? respondit dicens: Vt cum videns quod desiderabam, non gustavero, maiorem ardorem sustineam, & propter hoc maiorem mercedem à Domino consequi merear. Iosippe quibus non machinis & stratagematis Christi milites Civitatem DEI expugnarunt! Theodoret. in Philot. cap. 4. Sulpit. dial. 1. cap. 14. Theodor. cap. 7. Palag. l. 4. n. 67.

EPISTOLA C.

De Ministris & Officialibus ad mensam requisitis.



Nihil est utilius, nihil congruentius quàm vt ex fraternitate constituantur, qui non ad mensam solùm, verùm etiam ad alia victualia fratribus inserviant. Comedant alieni robur nostrum? væ illi, per quem scandalum venit. Verè bonum erat si natus non fuisset Ab initio non erat sic, nec adhuc est in cœnobijs ordinatio-

Digitized by Google

Cassian. l. 4. instit. c. 19.

natioribus. Per Palæstinam olim, Mesopotamiam, Cappadociam, ac totum Orientem singulis hebdomadibus vicissim fratres ad necessaria ministeria constituti sunt, plures aut pauciores pro numerositate Monasterij. Hinc illi officiorum *hebdomadarij* apud S. Basilium. Apud Ægyptios vices ministrorum (intellige in officijs maioribus) non tam cito mutabantur; sed unus ex probatissimis fratribus præficiebatur coquinæ, vel cellarij officio, qui perpetuò, donec vires eius, aut ætas admittebat, jugiter opus exercere debebat, id quod valde consultum est. Hinc in concilio Aquisgran. statutum legimus, ut apud Benedictinos Præpositus, Decanus & cellarius ab officijs non moverentur, nisi causa utilitatis. Quod ipsum quoque decrevit generale consilium Lateran. sub Alexandro III. Priores, inquit, cùm in conventualibus Ecclesijs fuerint constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur, videlicet si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amovendi meritò videantur: aut si etiam pro necessitate maioris officij de consilio fratrum fuerint transferendi. B. Iordanus generalis minister Dominicani Ordinis suo Procuratori ingeniosè respondit. Petierat is absolvi ab officio: Cui ille: *Quattuor sunt*, inquit, *in officio, negligentia, impatientia, labor & meritum*, A primis duobus *te absolvo: duo reliqua in peccatorum tibi remissionem injungo.*

S. Basil. in cõstit. monast. — Cassian. c. 22. — A. D. 817. c. 56. — A. D. 1179. c. 10. — Lib. 7. vitt. PP. Ovid. c. 16.

S. Benedictus culpabiles Officiales prius ter aut quater admonendos esse statuit, quàm deponantur. Tridentini sententia est, Officiales quorum curæ subest administratio bonorum monasteriorum, seu conventuum ad nutum Prælati esse amovibiles: quidni ergo & admovibiles? Esto S. Benedictus velit cellerarium à fratribus eligi: & S. Basilius ad creationem Officialium consilium fratrum adhiberi: nam facilius amoventur, qui ad solum Prælati arbitrium admoventur. Qui per viam electionis intrant, difficilius à solo Prælato deponuntur.

Reg. S. Bened. cap. 21. & 65. — Trid. sess. 25. c. 2. de regular. — S. Bened cap. 31. — S. Basil. reg. brev. n. 104.

Inter Officiales ad rem nostram huc facientes præcipui sunt, quibus committitur œconomia, seu administratio rei domesticæ, unde & dicuntur *œconomi*. Græca quidem vox est, sed Latinis etiam in usu. In consilio Hispalensi II. significat vicarium Episcopi in spiritualibus, nam citatur concilium Chalcedon. quo dicitur: Vt quivis Episcopus œconomum ex proprio clero constituat, qui vice Episcopi res ecclesiasticas tractet,

A. D. 619. can. 10. — Can. 26.

Digitized by Google

tractet, ut adjungit concilium Toletanum VI. In œcumenico VI. reperies eiusmodi œconomos loco Episcoporum suorum subscripsisse, quos *Vicedominos* appellat Anastasius Bibliothecarius. In appendice concilij Lateranensi sub Alexandro III. *œconomi* vox contracta fuit: decernitur enim, ut ad Beneficia vacantia mittatur œconomus, qui redditus vel præsentaturo servet; vel ad utilitatem Ecclesiæ impendat, quod etiam habetur in concilio Ravennate IV. Atque hinc demum vox hæc ad monasteria apud nos devoluta est: nam & Cœnobiarchis in synodo generali septima præcipitur, ut quivis suum œconomum habeat. Qui quia vitio temporum subinde Laici erant, in appendice citata habetur, quod per eos Abbates & Sanctimoniales in causa deponendi juramenti jurare possint.

A.D. 633. can. 47. A. D. 787. Anastas. act. 2. ibid. Part. 15. c. 21. A.D. 1317. rubric. 1. Conc. Nicæn. II.

Obligantur hi sive sint Laici, sive Ecclesiastici singulis annis æconomiæ suæ, non minus atque Abbates ipsi reddere rationem. Decretum concilij Lugdunensis generalis sub Innocentio IV. est, ut singulis annis omnes Prælati, Abbates, Præpositi, Decani, Priores suo Superiori rationem administrationis faciant, & computatio ad memoriam reservatur in thesauro Ecclesiæ, ut anni deinceps cum annis computari possint, & comprehendi diligentia vel negligentia Administratoris. In concilio Senonensi præcipitur, ut Abbates, Priores, & alij Obedientiarij singulis annis in capitulo rationem reddant in scriptis suæ administrationis, & scripti unum exemplar sit penes conventum. Ceterùm de annua ratione vel Episcopo, vel terræ Principi à Prælatis reddenda sæpius in concilijs decisum est, ut in Parisiensi sub Pipino; in Salisburgensi A. D. 1274 1281. 1310. & alijs.

Part. 23. c. 2. & 3. A. D. 1245. A.D. 1151. c. 5. A.D. 756.

Magna pars Oeconomiæ domesticæ est officium *Cellariotæ, cellarij, vel cellerarij*, ut diversimodè dicitur. Verba sunt denominata *à cellarijs*, seu receptaculis, in quibus reservantur victualia suo tempore depromenda, unde ea Tertullianus appellat *Cellas promas*. Ad hoc officium Aquisgran. vult ordinari *non vinolentum, non violentum, non superbum, non tardum, non prodigum,* sed præ ceteris charitativum, maximè erga ægrotos & hospites. Diethmaro Cellario Garstensi ad salutem profuit erga fratres charitatem exercuisse. In omni vita præter hoc nihil laude dignum habuit. Post mortem D. Adelramus, qui post modum Abbas in Cremsmünster fuit, de eius

Tertull. l. de resurr. carn. cap. 27. A. D. 816. c. 140. In vita B. Berchtold.

salûte valde sollcitus erat. Quare dum adjurat dæmoniacam, quæsivit ex insessore satana, quid à morte Cellario contigerit? Nostræ sorti respondit dæmon per os feminæ, deputatus erat. At cùm Monachus quidam in eius morte diceret, *Reddat tibi omnipotens omnia bona, quæ mihi fecisti:* Et alius similiter: *Retribuat tibi pius Dominus bonum, quo me frequenter sustentasti.* Et plures deinde eâdem de causa similia dicerent, eique imprecarentur, cùm nihil certius putaremus, quàm eum ad nostras partes accessurum, subitò elapsus est, & noster esse desijt. Hoc præmium charitatis fuit; quæ tamen nisi discreta sit, carnalitas est. Sæpe prudenter negandum est, quod impudenter petitur. Indignetur licet alter, & spiret minas. *Non idcirco in prædam stant cervi, tametsi insaniant latrando molossi.*

S. Cæsarius, qui postmodum Ecclesiæ Arelatensi dignissimè præfuit, post breve tempus ab ingressu religionis electus est in Cellarium sui Lerinensis cœnobij. Cœpit igitur attentè & studiosè illis fratribus velle largiri, quibus erat necessarium, quantumvis amore abstinentiæ nil peterent: quibus verò cognoscebat necessarium non esse, nihil dabat, quamvis expeterent. Quo factum est ut quibus invisa erat sancta discretio, Abbati supplicarent, ut eum à Cellarij functione removeret, quod & factum est. Non ingratum hoc Cæsario fuit: nam absolutus ab officio Marthæ convertit se ad opera Mariæ, studia longè iucundiora ac fructuosiora.

Cyprian. in vita eius.

Comitia Aquisgranensia statuunt, ut Cellario committatur & pistrinum, quod non ubique servatur. Monachi quondam panes ipsi pinsebant, ut est in vita S. Sabbæ. Idem officium subijt S. Euphrâxia. Hæc sancta Virgo cum insuper & culinam & dormitorium, & triclinium curaret; neque noctu tamen, neque interdiu ab ulla hora Canonica abfuit. Vbi fratres panem ipsi non coquebant, constituebatur unus, qui sæcularibus pistoribus præerat. Alia vice ait auctor vitæ B. Berchtoldi Abbatis, cum pauper quidam panem eum postularet, misit ad fratrem pistoribus præpositum, jubens panem dare pauperi. Qui cum negasset sibi panes esse, misit Abbas F. Erchengerum ut videret, an ita esset, & inventi sunt panes. Illicò convocatis fratribus inobedientem propria manu, assumpto & alio adiutore, diris verberibus corripuit, & panes omnes in flumen abjecit. Apage ab officijs cum huiusmodi Euclionibus.

Suprà

Metaphrast. Vita S. Euphr. cap. 18.

Suprà.


Metaphr. eius vita.

S. Quiria-

S. Quiriacus longè liberalior fuit cum *custos panis* apud suos esset, cuius officij mentionem etiam S. Basilius facit. Olitoris præterea officium ad mensam mediante culina facit. Eius meminit S. Dorotheus. Id unus aut plures è fratribus administrabant, sicut & ministerium coqui, à quo S. Benedictus absque gravi causa nullum eximit. Omnes igitur per ordinem sibi succedere debebant, sicut ministri mensæ, & custodes supellectilis, qui ad singulas septimanas vices mutabant. Incipiebant autem, Cassiano teste, hebdomadam suam secunda sabbati, hoc est feria II post matutinos hymnos, ubi præcedentes succedentibus utensilia ac vasa, in quibus ministraverant, consignabant. Cum ergo sic ministrassent per totam septimanam usque ad cœnam diei Dominici, hac peracta ministerium ita claudebatur, ut hi quibus succedendum est, convenientibus in unum fratribus ad concinendos psalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lavarent, hanc scilicet ab eis pro labore mercedem expetentes, ut eos ab omnibus fratribus prosequeretur oratio. S. Benedictus de his hebdomadarijs ministris sic decernit. Egressurus, inquit, de septimana sabbato munditias faciat. Lintea, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes verò tam ipse, qui egreditur, quàm qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerij sui munda & sana Cellerario reconsignet ut sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem, ut hora refectionis sine murmuratione & gravi labore serviant fratribus suis: In diebus autem solemnibus usque ad Missas sustineant. Itaque de S. Benedicti mandato fratres die Dominico suam incipiebant hebdomadem, quo die peractis matutinis precibus reliquos rogare debebant ut pro se orarent.

Rectè; quia fratribus in vera charitate, humilitate, ac patientia servire requirit gratiam Dei precibus impetrandam.

S. Basil. reg. fusior. n. 45. S. Doroth. doct. 4. S. Bened. cap. 35 reg. Cassian. sup. cap. 19. Suprà.



EPISTOLA CI.

Ieiunium fuisse semper ordinarium exercitium religiosis.



Uod pridiè Cinerum, quo die Jeiunium Quadragesimale incipit, paulò hilariores fuerimus, non vitio nobis Josippe vertes, si cogitabis nos carnium ollas & prandia deserere, jeiunijque austeritatem amplecti cum gaudio. Et verò *Hilaria* ad initium Quadragesimæ celebrare antiquis etiam in more fuit; sic tamen ut prius populus in Ecclesia reficeretur verbo Dei; nos solemne cantamus officium, ad quod haud segnius populus convenit, quàm ad celebrandum diem festum. S. Basilius hoc die luculentissimam orationem habuit de laudibus jeiunij. *Jeiunium* inquit, *est fortium armatura, exercitatio Athletarum. Ieiunium tentationes abigit, ad pietatem inungit. Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit. Per jeiunium Sancti omnes ad vitam DEO placitam instituti noscuntur. Amiantum est, ab igne non vincitur: leonum rabiem extinguit, & quasi penna deducit ad cælestem conversationem. Jejunium juventutis pædagogus, senum ornamentum, virginum nutrimentum, Angelorum similitudo, justorum contubernalis, vitæ sobrietas, principium pœnitentiæ est. Memento Sanctorum, qui à sæculis fuère antiquis, quibus dignus non erat mundus, qui circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, & horum imitare conversationem, si partem cupis habere cum eisdem.* Vis pluribus scire, addit S. Chrysostomus, quàm homines jeiunium exornet, quàm custodiat, securosque reddat? Reduc in mentem tibi beatum illud & admirabile genus Monachorũ. Hi namque sæcularium tumultuum fugitivi, montiumq; cacuminum incolæ, eremiq; gurgustiorum tamquam in quieto ac tranquillo portu inquilini hoc vitæ genus lucrosum communiter omnes receperunt, quod proin eos ex hominibus reddidit Angelos.

S. Basil. hom. 1. de jeiunio.

Idem hom. 2.

S. Chrysost. hom. 53. & 1. de pœnit. t. 4. Græcolat.

S. Dositheo Tribuni cuiusdam filio hæc causa fuit vitæ monasticæ. Iverat fortè Hierosolymam, ubi casu incidit in tabellam, in qua depicta erant tormenta damnatorum, cuius rei novitate sic obstupuit, ut quid faceret, ignoraret. Adstitit autẽ ei matrona splendidissima dicens, *si eas pœnas vellet evadere, & abstine-*

Vita S. Dosi-tei.

abstineret à carnibus, & jugiter jeiunaret atq; oraret, simulque disparuit. Ab eo tempore non carnem, non bis in die comedit juvenis, preces usque & usque perpetuavit. Quod cum viderent milites, dixerunt, *non hanc vitam esse militarem, sed monasticam.* Volentem igitur duxerunt ad Abbatis Seridi cœnobium, in quo S. Dorotheo loci valetudinario instruendus est traditus. Vixit ibi annis non plus quinque, sed in obedientia ac sanctitate simplicissima, & phthisi consumptus est.

Antiquitùs igitur *vita Monachorum* fuit *vita iejunantium;* à carnibus abstinere, nec nisi semel in die comedere, quid aliud quàm iejunare est? Vtrumque adeò observabant Monachi, ut nec in quinquagesima bis reficerentur. A Pascha, inquit, S. Hieronymus, ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quò & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Interrogavit quidam Abbatem Pastorem, Quomodo oportet Monachum sedere in cella? Et Pastor: Sedere, inquit, in cella, quantum ad id, quod in manifesto est, hoc est, ut faciat opus manuum, & semel comedat, & taceat, & meditetur.

S. Hieron. ep. 22.

Pelag. libell. 10. n. 64.

Quamplurimi per diem nec semel comederunt, quos ὑπερθέτους idcircò nominat Evagrius, quod legem communem transcenderint. Quippe iejunant, inquit, ad biduum, vel triduum, immò ad quinque dies, quod ex S. Augustino non semel jam tibi dixi. Etiam Monialibus hic rigor in usu erat. Certè in monasterio S. Euphrasiæ alijs à Vespera ad Vesperam iejunium protrahentibus, repertæ sunt, quæ primùm post biduum & triduum se reficiebant, quarum austeritatem B. Euphrasia transcendens iejunia exercebat quatriduana, & hebdomadaria, cùm interim neq; psallendi officium, neque solita ministeria relinqueret, sic ut omnes eius tolerantiam mirarentur, & pulchritudinem simul, & juventutem ætatis.

Euagr. lib. 1. hist. Eccl. cap. 20.

S. Aug. l. de morib. Eccl. cap. 33.

Vita S. Ephr. cap. 6, 15. 19

Inter eos, qui alternis dumtaxat diebus cibum sumebant, habes discipulos S. Eusebij apud Theodoretum, Eulogium presbyterum apud Pelagium, Petrum Galatā eremitam ad pontum Euxinum, & Theodosium solitarium in prato spirituali, ac Zacchæum S. Pachomij discipulum. Avitus exercitatissimus anachoreta de seipso asseveravit, *Nescio me umquam cibum sumpsisse ante Vesperam: sæpe autem duos & tres dies simul maneo iejunus.* Eusebius cùm suos alternis primùm diebus reficeret,

Theodoret. in Philoth. c. 4.

Pelag. l. 8. n. 4.

Theodoret. c. 9.

Ioan. Mosch. cap. 67.

Vita S. Pach. cap. 52.

Theodoret. c. 3.

Idem cap. 4.

Vita. S. Hilar. cap. 1.

ficeret, ipse protelabat iejunia ad diem tertium & quartum, id quod etiam S. Hilarion in juventute factitabat ad comprimendos carnis motus. Ego te asselle, inquiebat ad suum corpus, faciam ut non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, gravi onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, ut cibum potiùs, quàm lasciviam cogites. Herbarum ergo succo & paucis caricis post triduum, vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, ut iejuniorum laborem labor operis duplicaret.

S. Greg. Turon. vitt. PP. cap. 1.

Lupicinum Abbatem Præsul Turonensis refert ante tertium diem vix umquam quidquam gustavisse: sitim verò non aliter extinxisse, quàm immersione palmarum in vas aquæ, quas ait, tantum aquæ sorbuisse, quantum ore sumere fuisset necessarium.

Pallad. c. 83. Surius in vita. Pallad. c. 106. & 14. cap. 74. Pelag. lib. 10. num. 109. Ioan. Mosch. cap. 22. Pallad. c. 51. Moschus c. 13.

Serapion Sindonites ad quintum diem perstabat iejunus. S. Stephanus Auxentianus, Elpidius Abbas, & virgo quædam apud Palladium nonnisi diebus Sabbati ac Dominicis manducabant, Pityrion bis per hebdomadem, Scetenses anacharetæ nonnisi semel, cum Conone Cilice per annos 30. & Elia solitario in juventute. Marcus anachoreta apud Moschum putabatur carnem omninò non habere, quod per integram hebdomadam inediam ferre posset, quod ipsum de Polychronio, Simeone Stylita, alijsque legitur.

Theodor. sup. cap. 21. Vita S. Simeon. cap. 2. Theodoret. c. 26. Idem. cap. 29. Vitriac. in vita. Vincent. Bellovac in specul. hist. c. 31. Evagr. l. 4 hist. cap. 32.

Heliodorus Abbas fratribus post biduum comedentibus, cùm ipse per integras septimanas iejunaret, causam præbuit murmurandi, quod per hoc ordinis perturbationem induceret. Quid si vidissent Maranam & Cyram, quæ iejunia sæpè protrahebant per tres adeò septimanas? Maria Oegniacensis semel dies 35. ante mortem 53. sine cibo vixit, & Nicolaus Helvetus annos omninò viginti, Barsanuphius 50. & amplius. Sed hæc miracula DEI sunt, & particulæ felicitatis æternæ.

Cassian. lib. 5. instit. cap. 9. Ruffin. lib. 2. vitt. PP. n. 45. Pelag. lib. 10. num. 44.

Multi ex Patribus prolixiora iejunia absque nutu divino speciali assumpta non commendarunt. Vnde & Cassianus ait: *Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quàm per intervalla arduum longumq; iejunium.* Requisitus Abbas Pœmen seu Pastor, quemadmodum oporteat iejunare, respondit: Ego volo Monachum ita esse quotidie parum comedentem, ut non satietur: nam biduana & triduana iejunia vanæ gloriæ vacant: hæc enim omnia examinaverunt patres nostri, & invenerunt, quia bonum est quotidie iejunare, & parum comedere,

dere, ut possit & quotidie esurire: hanc enim regiam viam levem nobis esse demonstraverunt. Hanc viam incessit S. Marcianus, qui secum statuerat vesperè quotidie comedere, numquam autem satiari; sed semper quidem esurire, semper verò sitire: corpori autem ea exhibere, quæ ad vivendum sufficiunt. Dicebat enim, quòd qui post multorum dierum inediam capit cibum, in diebus quidem inediæ officia Dominica exequitur imbecillius. Quo autem die rursus capit cibum, plura, ut est consentaneum, exhibens ventrem onerat: is autem gravatus tardiorem reddit animam ad vigilandum. Dicebat igitur esse melius vesci quidem quotidie; numquam autem expectare satietatem. Verum enim iejunium est perpetua indigentia. Hanc legem perpetuò ferebat vir ille divinus, & cùm corpus haberet maximum, & omnium sui temporis hominum esset maximus & pulcherrimus, hoc parvo cibo (nempe tribus panis vncijs) alebat. Theodoret. c. 3.

Macarium ferunt dixisse, *Sic Monachum debere iejunare, quasi centum annis victurum; sic motus frenare, quasi quotidie moriturum:* Brevissima regula S. Augustini est, *Exerce iejunia, quantum sine læsione corporis tui potes.* Et: *Carnem vestram domate iejunijs, & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit.* In quam rem bene monet sacram Virginem S. Athanasius, ut non facilè fidem adhibeat dicentibus eam propter crebriora iejunia reddituram corpus inutile, cùm quattuor pueri ex leguminibus, oleribus, & aquæ potu venustiores effecti sint, quàm si dapes regias absumpsissent. Et addit: *Sicut dæmonia nulla re ita delectantur, ac crapula, ita nulla sic fugantur ac sacro iejunio.* Magna virtus iejunium est, inquit, & magna per illud efficiuntur: sed si discretè fiat, & ex nutu potestatis altioris. Hinc commendamus iejunia Sanctorum. Cassian. l. 5. instit. c. ult. S. Aug. ep. 70. Idem. ep. 107. S. Athan. de Virg.

Ante mille annos habitum est Concilium Turonense II. in quo iejunia Monachis per annum decreta sunt ex antiquis institutis. Nempe ut à Pascha usque ad Quinquagesimam (Pentecosten) exceptis Rogationibus omni die fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomade exactè iejunent. Postea usque ad calendas Augusti ter in septimana iejunent, secundâ, quartâ & sextâ feriâ, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto quia quotidie Missæ Sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Tom. 1. concil. Galliæ A. D. 567. can. 18.

Digitized by Google

Octobri, & Novembri, sicut prius dictum est, ter in septimana. De Decembri usque ad Natalem Domini omni die iejunent. Et quia inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt privatas in calendis Ianuarij fieri Litanias, ut in Ecclesijs psallatur, & hora octava in ipsis calendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur. Post Epiphaniam verò usque ad Quadragesimam ter in septimana iejunent.

Monachi Occidentales, Iosippe, ad mensuram Orientalium rarò pervenerunt. An ex natura edaciores simus ob frigora regionum; an verò fructus, olera, & legumina non eamdem vim habeant, ignoro. S. Augustinus ait apud Romanos, S. Aug. ep. 86. præter paucissimos Clericos & Monachos, totas septimanas non iejunari propter feriam quintam, qua ipsis non videbatur iejunandum. A. D. 1281. c. 4. Hodie multum est, si observatur decretum Salisburgense, quo mandatur, ut omnes Religiosi à festo S. *Martini* usque ad Nativitatem Christi, item à Dominica Quinquagesimæ iejunent usque ad Pascha. Adventûs ieiuniū paulatim vanescit; Côcil. Abrincan. A. D. 1172. quo toto tamen olim tam Clerici, quàm milites à carnibus abstinere debuerunt. Ita hæc quondam affirmativa Maxima trãsijt ad Minorem negativā *Vita Monachorum vita iejunantium est.*

EPISTOLA CII.

Quomodo prisci observaverint ieiunium quadragesimale.

S. Hier. epist. 25. Entiar, Iosippe, ni Epicurus resurrexit in Ioviniano quondam, dum censuit idem esse meritum iejunantium & comedentium. Genuina huius apostatæ soboles nostri sunt hæretici, qui odorem iejunantium, nec à longè sentire possunt. Homines carnales, quorum Deus venter est, quos & meritò cum Concilio Toletano VIII. A.D. 653. can. 9. reos judicamus Dominicæ Resurrectionis, quod nec in Quadragesima à carnibus abstinere possint. Alia mens sinceris Christianis est, qui cùm per annum frequenter iejunent in quadragesima tamen arctiori inedia se discruciant. Socrat. l. 5. hist. c. 22. *Alij enim*, ut ait Socrates, *ab omni genere viventium abstinent; alij*

ex

ex eis pisces accipiunt: alij etiam acrodrya & ora reijciunt: alij siccopane & Xerophagia contenti sunt: alij à pane etiam abstinent: alij deniq; cùm ad nonam usq; iejunaverint, varijs post vtuntur cibis. Quippe iuxta S. Ambrosium debet esse aliquid, quod quadragesimæ diebus addatur; sic tamen, ut nihil fiat ostentationis, sed religionis causa. S. Ambros. l. 3. Virg.

Hanc regulam Ambrosianam prisci Monachi observarunt exactissimè. In S. Pachomij cœnobio erant mille quadringenti viri, quorum nullus per quadragesimam aliquid igne coctum sumebat. Audijt hoc S. Macarius Alexandrinus, & ut rem totam oculis lustraret eò profectus est. Cùm autem præterijsset aliquantū temporis, advenit quadragesima, & vidit unumquemq; suscepisse diversas vivendi rationes, alium quidem comedere vesperè; alium verò post duos dies; alium post quinque; alium stare per totam noctem interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cùm aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in uno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & advenisset Pascha, non sedit, non accubuit, non sumpsit panem, non aquam, non genuflexit, nihil aliud gustavit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, ut videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem. Pallad. c. 21.

Sophronius ex sanctissimo Monacho dignus sedis Hierosolymitanæ Patriarcha pulcherrimè describit, quomodo Monachi in monasterio B. Zosimæ ad Iordanem Quadragesimam celebraverint. Dominica, inquit, quam primam iejuniorum hebdomadem nominari mos est, agebantur divina sacramenta consuetè, & unusquisque particeps efficiebatur vivifici atque intemerati corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi. Et solito modicum cibum sumentes, congregabantur omnes in Oratorium, & curvatis genibus, factaque suppliciter oratione, salutabant se invicem Monachi, & unusquisque genuflexo publicè amplectebatur Abbatem, postulantes orationem, ut haberent ad inchoatum certamen eum cooperatorem & comitatorem. His ita se habentibus fores monasterij patefiebant, & psallentes consona voce, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, &c.* exibant, unum multoties aut duos monasterij custodes relinquentes, ut non custodirent ea, quæ intus erant reposita (non enim erant apud illos furibus congrua) sed ne Oratorium absque divinis relinquerent solemnijs. Vnusquis- In vita S. Mariæ Ægypt.

que autem se annonabat, prout poterat aut volebat. Nam unus portabat corpori ad mensuram sufficiens; alius caricas; alius palmarum fructus dactylos; alius verò legumina aquis infusa; alius nihil præter corpus proprium, & vestimentum quo utebatur. Nutriebantur autem, quando necessitas exigebat naturæ, herbis quæ nascebantur per solitudinem. Canon autem erat unusquisque sibiipsi, & lex absque prævaricatione, ut non cognosceret aliquis consocium, qualiter abstinebat, aut quomodo agebat. Iordanem enim mox transmeantes longè ab invicem se sequestrabant, & nullus se jungebat ad socium, civitatem æstimantes solitudinem. Sed & si unus ex ipsis à longè venientem ad se aliquem videbat, mox declinabat de itinere, & ad aliam partem pergebat. Vivebat autem sibi & Deo psallens frequenter, & constituto gustans tempore cibum. Ita omnia iejunia celebrantes revertebantur ad monasterium ante vivificum diem Resurrectionis Domini, & Salvatoris nostri Iesu Christi, quam festam Dominicam cum ramis palmarum celebrare sancta accepit Ecclesia.

Quantus fervor, Josippe, ardebat in cordibus Patrum nostrorum? Nos pusilli sæpe plus manducamus uno die, quàm ipsi per totam Quadragesimam. Zosimas Abbas per id totum tempus vixit 45. dactylis: Zoërardus eremita totidem nucibus: S. Eusebius 15. caricis. Jacobus Gastolius Monachus Lerinensis aliquando totam Quadragesimam in pane & aqua jeiunavit: nonnumquam in eadem à vino abstinuit. B. Senoch inclusus nonnisi panem hordeaceum in ea comedit. Adolius cum per integrum annum quinto primùm die reficeretur, per Quadragesimam solo pane in certa quantitate utebatur. Ad Quadragenarij numernm jeiunij pervenisse quemdam à fratribus fide dignissimis nobis asseveratum est, ait S. Augustinus. Quem divinas fuisse? Illud Orbis miraculum Simeon stylita fuit, de quo Theodoretus refert, quod per viginti & octo annos per Quadragesimam nec micam gustaverit, germanissimus Christi discipulus. Idipsum præstitit sapientissimus Simeon Salus, de quo Leontius memorat, quod totum hoc 40. dierum jeiunium absque vllo cibo peregerit. S. Sabbas eamdem inediam sustinuit, præterquam quod sabbatis & Dominicis sacrosancta perceperit mysteria. Marana denique & Cyra Moysi sunt æmulatæ jeiunium tribus vicibus, quibus nonnisi cibum sumpsêre exiguum.

Lib. 3. vitt. PP. Ovid. vita S. Zoërardi. Theodoret. c. 18. Chron. Lerin. Greg. Turon. vitt. PP. Pallad. c. 62. S. Aug. ep. 86. Theodor. c. 26. Leont. in vita. Metaphr. in vita. Theodoret. c. 29.

Sed

Digitized by Google

Sed quia hæc censes inimitabilia ad paulò mitiora te duco. S. Romualdus per unius Quadragesimæ spacium neque in cibo, neque in potu sumpsit aliud, quàm sorbitiunculam de modica farina, & paucis herbis. Joannes Bonus ad initium Quadragesimæ panem trium unciarum accepit, dividens eum in multos bolos, ut singulis diebus usque ad feriam quintam hebdomadis sanctæ unum habere posset. S. Cælestinus in Quadragesima non pane, sed caulium folijs, aut crudis arborum fructibus citra satietatem famem temperavit. Semel decem panes cum totidem cæpis accipiens vixit dies 40. & tamen quinque panes remanserunt. Christianus eremita per Quadragesimam tantum semel per hebdomadem bibit. S. Coleta crebro jeiunium Quadragesimale solo pane & aqua exegit, semel cum Salvatore nihil penitus accepit. Marulphus sanctus monachus ut per Quadragesimam corpus solito rigidius affligeret & ad vigilias, orationes, ac jeiunia alacrius excitaret, solus concessit in insulam, quem hodie utcumque imitantur, qui eo se tempore ad sacra exercitia includunt. Quadraginta diale jeiunium adeò placuit S. Francisco de Paula, ut suos novo voto adstringeret ad eiusmodi vitam per integrum annum.

Petr. Damian. in vita.

S. Antonin. p. 3. hist. tit. 24. c. 13.

Bened. Gonon. in vita c. 11.

Vincent. Bellov. l. 29. c. 11.

Steph. Iuliac. in vita.

Lib. 4. vit. PP. Ovid.

Surius in vita, c. 2.

Hæc si adhuc sublimiora censes, confundat te studium plebis olim Christianæ. De suis Antiochenis narrat ipse Chrysostomus, eorum quosdam in Quadragesima per biduum nihil omnino cibi sumpsisse; quosdam non modò à vino, verùm etiam ab oleo toto tempore abstinuisse: omnes dumtaxat semel ad vesperam manducasse finita concione, quæ quotidie post meridiem habebatur. S. Augustinus quoque non semel dicit Christianos omnes in Quadragesima à vino & carnibus abstinuisse suis temporibus, id quod de carnibus adeò obtinuit, ut reiecti sint à communione paschali, qui per id temporis eas manducassent, exceptis ijs, quos vel ætas, vel languor, vel necessitas, ex sacerdotali sententia exemisset.

Chrysost. hõ. 4. ad pop. Antioch.

S. Aug. l. 30. contr. Faustũ c. 4. & 5.

Concil. Tolet. sup.

Cuius legis præ alijs observator erat S. Godefridus Ambianensis Episcopus. Feriâ quartâ Cinerum esum carnium gravissimis verbis interdixerat. ad quod cum populus submurmuraret, & proximâ Dominicâ ad carnium ollas reverteretur, res non latuit Episcopum: dissimulavit tamen usque ad feriam quintam majoris hebdomadis, qua populus volebat communicare. Ibi conscenso ambone cùm tantam inobedientiam atque

Surius in vita S. Godefr. l. 3. c. 12. tom. 6.

Digitized by Google

intemperantiam pro merito severissimè verbis lacerasset, subjecit se tantum facinus etiam facto vindicaturum. Consternarunt hæ minæ populum, unde in genua provoluti postularunt veniam spondentes simul emendationem. Nihilominus à sacra comunione usque ad feriam secundam Paschæ suspensi sunt. Unus tamen illorum mandatum suspensionis contemnens indutus vestibus femineis die sancto Paschæ inter obedientes accessit ad Vener: Sacramentum. Sed adhuc esca tremenda erat in ore ipsius, & miser corruit, gravissimisq; afflictus doloribus cœpit spuere sanguinem, & cum sanguine expuere SS. Eucharistiam. Concurritur ab omnibus, & ex iam semimortuo quæritur propter quæ tanta patiatur. Aperit rem totam homo miserabilis, suoque exemplo ceteros monet parere legibus Ecclesiæ ac Superiorum. Effectum monitio habuit, & populus de cetero à carnibus more prisco per Quadragesimam abstinuit.

Maiorem hebdomadem, quam sanctam appellamus, longè arctiore abstinentia, quàm præcedentes coluerunt fideles olim. Totus populus ex traditione Apostolica vivebat in Xerophagia: religiosi ad duos, tres, quattuor, immo ad usque Resurrectionis noctem permanebant jeiuni pervigilijs intenti. De Scetensibus Anachoretis singulariter refert Pelagius, quod totam illam septimanam absque ullo alimento transegerint. Sæculis recentioribus expiravit hæc devotio, dum contenta fuit Ecclesia, si monachi in superpondium quotidiani consueti jeiunij per Quadragesimam sibi mutuò lavarent pedes: in die autem Parasceves jeiunarent in pane & aqua. Quid dicam? Moriatur anima mea morte antiquorum, & fiant novissima mea illorum similia. Sic saltem fiet, ut moriar sicut volo: si non vivo, ut debeo aut possum.

S. Epiph. hær. 75. n. 6. & in exposit. fid.

Pelag. lib. 13. num. 4.

Concil. Aquis. A. D. 817. c. 23. & 47.

EPISTOLA CIII.

De jeiunio quorumdam dierum per hebdomadam.


Ideris me trahere extra propositi mei lineam, dum scire cupis quid de certorum dierum jeiunio per hebdomadam sentiam. Cuius rei habes Ecclesiasticos scriptores, qui de jeiunio feriæ quartæ, sextæ, & sabbati narrare solent. Prisci Monachi qui jeiunia protrahebant usque ad plures dies & hebdomadas, nec

diebus

diebus Dominicis comedebant, quo die (maximè si superstitio accedit) iuxta Tertullianum nefas est jeiunare, aut de geniculis adorare, id quod etiam de tempore Quinquagesimæ, à Paschate scilicet ad Pentecosten, sentiendum est. Interim verum est, Monachos ordinariè diebus festis ac Dominicis solvisse jeiunia propter perceptionem SS. Eucharistiæ. Monachi, inquit Epiphanius, ex bono proposito semper jeiunant per totum annum exceptis Dominicis. Eadem ratio de Quinquagesima est, qua secundum Augustinum, Epiphanium & alios numquam jeiunatur, sicut nec in diebus Epiphaniorum. Plures tamen hac libertate usi non sunt. Certè in cœnobio primæ meæ professionis feriâ sextâ per totam Quinquagesimam cum fratribus meis jeiunare debui. Discretiores olim eo tempore cœnas mutasse in prandia nuper ex S. Hieronymo didicisti.

Tertull. lib. de coron. milit. cap. 3.
Cassian. lib. 3. instit. cap. 7.
S. Epiphan. exposit. fid.
S. Aug. epist. 86.
Epiph. cit.
S. Hier. prol. reg. S. Pachô.
Concil. Aquisf. A. D. 817. c. 51.
Epist. 101.
S. Epiph. hær. 75. n. 6.

Iejunium feriæ quartæ & sextæ ab Apostolis institutum est, cuius etiam mentionem facit Clemens Alexandrinus. Synaxes, ait S. Epiphanius, pro populo ab Apostolis constitutæ celebrantur quarta & sexta feria, & Dominicis. quarta & sexta feria iejunatur usque ad nonam: & quartâ quidem, quòd ad Vesperam captus sit Dominus: sexta autem, quòd in ea sit crucifixus. Hoc toto anno fit excepta Pentecoste, ubi nec genua flectuntur, nec iejunatur. S. Petrus Episcopus Alexandrinus de hoc eodem iejunio ait; Primi Christiani feria quarta & sexta iejunabant: hac quòd Christus pro nobis sit passus; illa quòd in concilio Judæis sit venditus. In Ecclesia Romana durabat hæc consuetudo temporibus adhuc S. Augustini. Beatusque Fulgentius iejunium harum dierum exigebat non modò à Clericis, verùm etiam à viduis & laicis. Monachi id aliàs peragebant, ut in Pelagio & Palladio, & in specie de Pachomianis reperies in S. Hieronymo. Vnde S. Apollonius graviter monebat suos ne solverent legitima iejunia feriæ quartæ & sextæ, nisi grandis aliqua necessitas fieret; quia quartâ feriâ Judas de traditione Domini cogitaverat, & sextâ feriâ crucifixus sit Salvator. Videbitur ergo qui his diebus sine aliqua necessitate solvit statuta iejunia, vel cum tradente tradere Salvatorem; vel cum crucifigentibus crucifigere. Voluit proinde ut ijs diebus tantum peregrinis mensa poneretur, nec tamen ad edendum cogerentur. Atque ijdem dies iejuniorum à Monachis in Occidente adhuc observati sunt tempore Regis Ludovici Pij.

Clem. lib. 7. strom. fol. 744.
S. Epiph. expos. fid.
S. Petr. can. ult. de pœnit.
S. Aug. supra
Vita S. Fulgêt.
Pelag. l. 9. n. 11 & l. 10. n 30.
Pallad. c. 52.
S. Hieron. sup. Ruffin. lib. 2. vitt. PP. c. 7.
Tert part. decreti. dist. 3. de consecr. c. 16.
Conc. Aquisgran. sup. c. 18.
Petr. Damis. vitâ S. Romualdi.

Sabbati

Henric Spond. A. D. 57. n. 60.

Innoc. ep. ad Decent.

Cassian. lib. 3 instit. supra

S. Aug. cit.

S. Cyrill. catech. 4.

S. Basil. hom. 1. & 2. de jejunio.

Spondan. cit.

Paulin. vit. S. Ambros. l. de Elia & jeiunio

S. Aug. ep. 86.

S. Basil. sup & hom. de ebriet. & luxu init.

A. D. 1281. cap. 4.

S. Aug. cit. & epist. 118.

S. Hier ep. 28.

S. Ambros. apud S. August. cit.

Sabbati iejunium S. Petrus Damiani ait initium habuisse à Silvestro Papa. Antiquius est. Et in Oriente institutum ab hæreticis contra Iudæos statim initio Ecclesiæ: In quibusdam verò Occidentis partibus Innocentius Pont. ait illud cœptum fuisse ea de causa, quòd Apostoli Sabbato sancto non minus ac feriâ sextâ precedente in mœrore positi iejunaverint. Cassianus causam in id confert, quòd S. Petrus postridiè cum Simone mago conflicturus antecedente Sabbato cum fidelibus jeiunaverit & illud ieiunium in consuetudinem transierit. At hanc historiam ait esse incertam S. Augustinus. Quidquid sit; certissimum est Romæ & in vicinis, imò remotioribus etiam partibus olim Sabbato iejunatũ esse. Contrà, in Oriente, & multo maiore parte orbis non iejunabatur nisi in Sabbato sancto. Causam refert Cassianus apud Monachos fuisse lassitudinem à iejunio quinque dierum antecedentium; sed verior causa est, quòd Catholici noluerint participare cum hæreticis. Vnde S. Cyrillus ait ad suos catechumenos: *Ab omni Sabbatorum observatione abstine*, cui consenserunt patres alij in Oriente S. Ambrosius, quem Sabbatis solvisse iejunium Paulinus tradit, & ipsemet de Sabbatis etiam Quadragesimæ. Quadragesima, inquit, totis præter Sabbatum, & Dominicum iejunatur diebus, S. Augustinus quoque scribit multos totâ vitâ suâ ieiunare maximè cœnobitas præter dies Sabbati & Dominicas. Itaque apud complures olim per Quadragesimam una septimana solummodò quinque dies habebat ieiunij, quod etiam testatur S. Basilius, qui inde dicit Quadragesimã habuisse hebdomadas septem, cœpisseque adeò Dominicâ Quinquagesimæ, quod etiam decretum esse novimus in Concilio Salisburg. sub Archiepiscopo Friderico, atque hucusque observari à nonnullis Religiosis.

De hac sabbatini iejunij discordia sæpius consulti fuere SS. PP. qui unanimiter decreverunt, ut quisquis se suo loco accomodaret, & ut ieiunus manducantem non sperneret. Nunc sublata controversia diebus Sabbati ex Ecclesiæ præcepto saltem à carnibus abstinetur extra Quadragesimam, Vigilias, & Quattuor Tempora, quibus integrum iejunium est. Soli nostri hæretici, ut ab antiquis dissentire heterodoxis videantur, omnibus diebus Sabbati carnibus se infarciunt cum Judæis.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA CIV.

Quomodo Patres nostri Hospitalitatem exercuerint.



OMnium Religiosorum ore locutus est S. Hieronymus, dum dixit: *Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnesq́ ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus.* Actum esse crede de loco religioso, unde exulat hospitalitas; quæ etsi adsit, nec tamen læta sit fronte, suo nitore caret. S. Hieron. 1. apol. contr. Ruffin.

Super omnia vultus
Accessere boni.

Abbatis Josephi de Panepho sententia est: *Quando est præsentia fratrum, cum gaudio debemus suscipere eos: quando verò soli sumus, opus habemus lugere.* De B. Mæsima refert Theodoretus, quòd hospitum & paurperum tam alacri animo curam gesserit, ut patefaceret portas omnibus qui adessent. Scilicet inaudijt Pastoris vocem: *Nos non didicimus ianuam ligneam claudere; sed magis linguæ ianuam cupimus clausam habere.* Confundant nos cives Oxyrynchi, de quibus Ruffinus narrat, quod studiosè per singulas portas certos homines collocarint, qui observarent, ut sicubi apparuerit peregrinus aut pauper, quæ sunt necessaria acciperet. S. Apollonius censebat etiam cogendos esse peregrinos ad divertendum exemplo S. Lot, qui Angelos vi compulsos ad hospitium domus suæ perduxit. Laudatur hic versus, Pelag. libell. 13. n. 1. Theodor. c. 14. in Philoth. Pelag. cit. n. 5. Ruffin. l. 1. vitt PP. c. 5. Item c. 7. Gen. 19.

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.

Mihi, salvo aliorum judicio, angustior videtur. Qui Christum in peregrinis agnoscit, nihil discernit. Si multum habeo, absque selectu abundanter tribuo: si parum, saltem cum Abbate Pastore hoc ipsum semino, ne famis tempore moriar. Pelag. n. 6.

Patres nostri tanto amore peregrinos susceperunt, ac tractaverunt, ut propter ipsos consuetum vitæ rigorem deposuerint. Cùm de Syriæ partibus Ægypti provinciam petijssemus, ait Cassianus, quidam Monachus Senex probatissimus gratificè nos suscipiens, refectionem nobis ante constitutam horam iejunij præparavit. Percontantibus ergo nobis, cur ante canonicam refectionis horam nos prandere cogeret, respondit & ait: Iejunium, fratres, semper est meum; vos au- Cassian. l. 5. instit. c. 24.

tem continuò dimissurus mecum iugiter tenere non potero. Itaque Christum in vobis suscipiens, reficere eum debeo; & cùm vos deduxero, districtionem iejunij in memetipso potero compensare. Non enim possunt filij sponsi iejunare, donec cum ipsis sponsus est: cùm autem discesserit, tunc licitò ieju- Ibid. c. 25. nabunt. Et verò laudatur, qui uno die sexies cum adventantibus hospitibus manducavit.

Consuetudo, qua prisci suscipiebant hospites, his con- Reg. S. Bened. c. 66. stabat ceremonijs. Pulsanti fores monasterij, ianitor absque Concil. Aquisgran. A. D. 816. c. 143. mora respondere debuit, *Deogratias*, vel, *Benedicat*, indeque adire Priorem, significareque hospitum adventum. Erat ia- Concil. Cabilon. A. D. 813. c. 64. nitor semper unus è fratribus, vir ætate maturus, boniqué testimonij; & vitæ probabilis, maximè apud Moniales. Offi- Conc. Aquisgran. cit. cium eius erat portas claudere & recludere, finitoque Comple- Reg. S. Bened. c. 53. torio claves ad eum ferre, qui vicem agebat Prælati. *Hic* ergo hospitibus significatis Priori cetera relinquebat, qui vel per se, vel per alios fratres adire hospites debebat cum omni officio charitatis. Primo omnium ad preces se mutuò convertebant, ut securiores essent ab illusionibus satanicis: factaque oratione sociabantur sibi invicem in osculo sancto. Omnibus porrò venientibus & discedentibus hospitibus, ait Sanctus Benedictus, inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Iejunium regulare à Priore frangatur propter hospites. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio lavet. Coquina Abbatis & hospitum per se sit, ut fratres non inquietentur, in quam per annum duo fratres ingrediantur, qui officium bene impleant. Cella hospitum habeat lectos sufficientes stratos. Hospitibus nullus societur, nec colloquatur, nisi cui præcipitur. Si ergo ei hospes occurrat, eum humiliter salutet, & petita benedictione transeat, dicens, non licere sibi cum eo colloqui. Concilium A. D. 817. c. 63. Aquisgran. autem vult, ut eligantur fratres docti, qui cum ho- Theodoret. cit. c. 10. spitibus Monachis loquantur. Abbas Theodosius summa cura providebat, ut constitueret viros præditos charitate, morumq; lenitate ac mansuetudine, qui hospitibus omnia admini- S. Doroth. doctr. 11. strarent. Talisque erat S. Dorotheus apud suos, sicut & S. Qui- Metaphr. vita. riacus.

In

Digitized by Google

In Ægypto siquando fratres peregrini advenissent, statim sibi invicem per orationem confœderabantur. Deinde lavabantur eorum pedes, ponebatur mensa, post quam si haberent verbum ædificationis, id promere rogabantur. Placet audire Ruffinum de hac re. Vbi hospitem adesse senserunt servi Dei, continuò, inquit, procurrunt in obviam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lavant, ad orationem invitant, mensam ponunt, atque omnia secundum divinum mandatum complent charitatis officia. Verùm ubi refectus est, & paululum requievit, ex more cœperunt verbum ædificationis expetere, ac monita salutis inquirere. S. Apollonius adhuc gratiosior erat. Tres eramus nos fratres, inquit idem auctor, cùm venimus ad eum, & ecce longè adhuc nobis positis ab eius monasterio, occurrerunt nobis fratres cum psalmis. Hoc enim moris est eis facere in adventu omnium Monachorum. Et adorantes in facies suas usque ad terram osculabantur nos, atque ostendentes nos sibi invicem dicebant: *Isti sunt fratres de Hierosolymis venientes.* Alij ergo ex illis præcedebant nos, alij sequebantur; utraque tamen turba psallebat. Vbi autem appropinquare jam cœpimus, audita voce psalmi, etiam ipse S. Apollonius procedit in occursum. Et ut vidit nos, statim prior adoravit usque ad terram, & surgens osculo nos suscepit. Vbi autem ingressi sumus monasterium, oratione prius, ut moris est, data, pedes nostros proprijs manibus lavat, & cetera quæ ad requiem corporis pertinent, adimplevit. Hæc autem facere ei moris erat omnibus adventantibus.

Ruffin. cit. c. 1.

Idem c. 7.

Monachi in Nitria, ubi peregrinos fratres advenire sentiebant, continuò velut examen apum singuli quique ex suis cellulis proruebant, atque in obviam læto cursu & festina alacritate contendebant portantes secum quamplurimi ipsorum urceos aquæ & panes, secundum quod Propheta corripiens quosdam dixit: Quia non exijstis filijs Israël inobviam cum pane & aqua. Tunc deinde susceptos adducebant primò cum psalmis ad Ecclesiam, lavabant pedes, ac singuli quique linteis quibus utebantur abstergebant, quasi viæ laborem levantes; re autem vera vitæ humanæ ærumnas mysticis traditionibus abluentes. Quid de humanitate eorum, quid de officijs, quid de charitate loquar, cùm omnes gestirent adventantes ad suam quisque introducere cellulam, & non ea solum, quæ hospita-

Idem c. 21.

2. Esdræ 13.

ſpitalitati debentur explere, ſed inſuper aut de humilitate, qua ipſi pollebant, docere, aut de manſuetudine, atque alijs hujuſmodi bonis? Nuſquam ſic vidimus, ait memoratus Ruffinus, florere charitatem: nuſquam ſic vidimus opus fervere miſericordiæ, & ſtudium hoſpitalitatis impleri.

Sulpit. dial. 1. c. 2.

Senex ille Sulpitij in eremo Cyrenaica peregrinos flens præ gaudio ſuſcepit, atque ad genua provolutus, iterumq́e ac ſæpius eos deoſculans invitavit ad orationem. Deinde expoſitis in terram ferinis pellibus fecit eos diſcumbere. Vnus olim Pachomius quibuſdam videbatur inhumanior, dum hoſpites etiam religioſos alterius profeſſionis ad ſuos non introducebat. Sed utique ſuas cauſas habuit, dummodo interim eos hoſpitaliter tractaverit: nam etiam hoſpites ſæculares ad religioſorum habitacula non paſſim intromittendi ſunt: nequaquam enim monaſteria fieri debent diverſoria ſæcularium. Vnde quia nouimus, inquit Concilium Cæſarauguſtanum, quoſdam Abbates, quibus regulariter cura regendarum animarum commiſſa eſt, dum quaſi patrono affatu aditum ſæcularibus in monaſterijs attribuunt, diverſas inſolentias Monachis ibidem Deo ſervientibus ingerunt; dum & eorum operationem, quo ſe divinæ pietati placituros alacri cura exhibent, deprehendunt, & vitam & mores illorum quadam mentis pernicie infauſtè detrahendo deturbare non deſinunt. Et iterum, quod peſſimum eſt, dum extraneis paſſim commorandi aditus intra clauſtra monaſterij confertur, grave inſoleſcit vitium Monachorum, quo & vitam ſuam per lucra mundialia ſectantes degenerant, & ſe à proprio cœnobio voluptuoſa fœditate diſſociant. Quapropter placuit univerſo cœtui noſtro hoc ſtatuere, vel potiùs definire, ut nullus abinceps ſæcularium ſeu poteſtativè, ſeu ex permiſſo Abbatis, vel cuiuslibet Monachorum intra clauſtra monaſteriorum hoſpitandi, vel commorandi habeat receptaculum, excepto quos vita probabiles, egenos &c. inſpectio præviderit Abbatis. Ceterùm ſi ſecretius aut ſequeſtratim à monaſterio ad id, quod conſtructum pro ſupervenientibus domicilium patuerit, ibi eos ſuſcipere Abbates vel Monachos oportebit ne vel Monachorum lædatur fama, vel ipſi diſſolvantur familiaritate ſæcularium.

Vita S. Pachō. c. 22.

c. 33.

A. D. 691. can. 3.

Itaque extra clauſuram erigenda ſunt habitacula pro ſuſcipiendis hoſpitibus more veteri. Sic habes in Palladio Græco


de

de monte Nitriæ, & in vita S. Marcelli. Locus autem debet esse competens, & à fratribus accessu facilis, qui pauperibus ibi per Quadragesimam pedes lavent, ut vult concilium Aquisgran. decernens etiam pro feminis eiusmodi locũ extruendum, in quo necessaria cum eisdem agantur. Fratrem autem boni testimonij esse debere, qui hospites ac peregrinos suscipiat, eisq; necessaria subministret.

Surius 29. Decembr. Conc. Aquisgran. A. D. 816. c. 141. c. 144. c. 141.

Atque eiusmodi boni fratres olim etiam extra cœnobia præficiebantur hospitalibus, & vocabantur Præfecti xenodochiorum Græcè ξενοδόχοι. Talis erat Alexandriæ Isidorus, vir admirandus, & ex omni parte ornatus sermone, moribus, ac scientia, qui juventutem suam consumpserat in arduis Nitriæ montibus & solitudine. Cassianus quoque meminit Abbatis Macarij, qui nuper, inquit, xenodochio apud Alexandriam præfuit ea mansuetudine ac patientia, ut nulli eorum qui solitudinis secreta sectati sunt, inferior sit credendus. Et licet concilium Nicænum liberum reliquerit xenodochijs præfici sæcularem aut religiosum; requirit tamen ut quisquis ille sit, disertus sit ac patiens, orthodoxus item & via recta incedat, quiq; habitet vel prope Ecclesiam vel in ipso hospitali, ex cuius bonis apud se positis succurrat pauperibus, infirmis & captivis, eos vel liberando, si digni sunt; vel si indigni libertate censeantur, victu & vestitu sustentando. Cum autem paulatim fidelitas sæcularium vacillaret, clerici vel monachi præficiebantur hospitalibus, quod lego durasse adhuc Mennæ Patriarchæ temporibus. Sed cum tandem defectus graves etiam apud hos notarentur, negotium denuò commissum sæcularibus est, apud quos id etiam in hodiernum usque diem manet; sed utinam vel inspectorem ex Ecclesiasticis haberent, vel saltem ad initium officij juramentum fidelitatis præstarent: nam ipse nosti quâ conscientiâ sæpenumero bona tam sacra dispensentur.

In concil. Aurel. V. A. D. 549. can. 15. & Constantinop. sub Menna D. A. 536. Pallad. c. 1. Cassian. collat. 14. c. 4. A. D. 315. can. 80. In libell. a Clericis oblato Concil. C. P. cit.



EPISTOLA CV.

A mensa quid faciendum ubi de recreatione.



Uod paulò diutius mensæ tecum assederim, non luxuria fecit, sed arthritis. Pastus sum reliquijs peccatorum meorum. Surgamus ergo modò & oremus, quo ulterius nos Deus sustentet sicut docet S. Basilius. Si nosse desideras, num temperantiæ limites non excesseris, experire utrùm de re seria disputare possis. Nam S. Augustinus ita satisfecit naturæ, ut etiam in die Natalis sui, quo erga nos solemus esse liberaliores, peracto prandio cum suis ad disputandum consederet. Cibus & potus, Josippe, à Deo datur, non ut hebetetur, sed acuatur ingenium. Tertulliani ævo ex eo quisque probabatur, quomodo in mensa biberit, si post aquam manualem vel de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio quid in medium conferre potuisset. A convivio, inquit, disceditur non in catervas censionum; neque in classes discursationum; neque in eruptiones lasciviarum; sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam.

S. Basil. ep. 1.

S. Aug. 1. de beata vita.

Tertull. apol. adversf. Gent. c. 39.

S. Benedictus suis imperat, ut à mensa omnes in unum sedeant, & unus legat vel collationes, vel vitam Patrum. S. Ephraim à refectione ad cellas nos ablegat: quia à comestione multiplicare sermones, inquit, spectra & peccata generat. Ergo ad cellam vade, sed tuam, non alterius: nam in alia cella versari signum est audaciæ & perversitatis. A mensa proinde surgens, noli vagari per cellas, sed in tua cella quiesce. Id in professionis meæ cœnobio ante triginta annos adhuc observabatur. A prandio communiter omnes discedebamus ad cellas per horæ dimidium linguam silentio refrenantes. Nostra statuta hîc etiam somnum admittunt. Peracta, inquiunt, refectione, in æstate ad dormitorium omnes se repræsentent, ibidem permansuri & dormituri usque dum signum datum fuerit: scribendi tamen aut legendi tunc absque strepitu nulli tollatur facultas: cavendum verò maximè est, nequis quovis modo tunc inquietet, vel impediat dormientes. Eadem regula Benedictinis est posita. Fratres, inquit, post sextam in æstate vel dormire possunt, vel legere etiam in lecto. Quin etsi nec prandium habuerint, post

Reg. S. Bened. c. 42.

S. Ephr. in proverb. fol. 523.

Idem tract. de gesta vir. rat.

In Conc. Aquisgr. A. D. 817. c. 38.

post sextam in æstate dormire poterant. Arbitror id olim concessum esse ut somnus necessarius nocturnus longioribus vigilijs decurtatus diurno compensaretur; aliàs prorsus haud video causam cur inerti somno dare se religiosi à prandio debeant, præsertim cum Salernitani dicant:

Febris segnities, capitis dolor atque catarrhus; Schola Salernit.
Hæc tibi proveniunt à somno meridiano.

Quid ante aliquot annos fratri laico nostro contigerit, si placet audi. Officium eius erat opera inspicere cœnobij, quod cum à prandio semel negligeret, à Bernardo Præposito rigidissimo rerum omniũ perscrutatore deprehensus est in cella quiescens. Reprehensus cum somni sui patrocinium à statutis prætenderet, eam accepit sententiam, quâ pro tempore meliorem in toto Petro Lombardo non reperisset. Rectè: quia nec nostra, nec multorum aliorum vigiliæ nocturnæ tam diuturnæ amplius sunt, ut diurnum somnum requirant, sicut forsitan olim.

Quapropter in locum silentij, quietis ac somni meridiani plerumque successit hodie apud religiosos honesta recreatio aut mutuum colloquium. In quo cavendum maximopere est, ne lingua, post cibum solito volubilior, frenum abrumpat modestiæ. Qui factum S. Nili imitari vellet, quid laudis non mereretur? Is enim cum aliquando vidisset accedere ad se multos graves viros, dixit intra se: Cur nunc isti accedentes ad vana colloquia nos conijcient? Sed ô Domine JESU CHRISTE libera nos à laqueis alienis, & concede nobis intelligere & loqui quæ oportet, & facere quæ tibi sunt placita. Alio tempore cum Archiepiscopus quidam ab Ottone III. ad eundem missus loquacitate sua multum viro DEI fuisset molestus, nec etiam cessare velle videretur, B. Nilus inclinato capite dormitare se simulabat. Ubi verò ille vidit B. virum suis verbis mentem non adhibere, surgens abijt. Maches Ægypti Monachus ad otiosos sermones illicò obdormijt, utiles insomnis totas noctes audire potuit. In loquendo vix quisquam cautior fuit S. Cæsario. Ab ore illius numquam obtrectatio, numquam mendacium, numquam maledictum in quemcumque hominem processit: nec modò nemini ipse detraxit; sed nec detractionem patienter tulit. Si quis ex eius familia subitò jurasset, aut forsan cuiquam maledixisset, pro ratione personæ non permisit inultum abire. Si ipse fortassis in aliquem commotus esset, hæc eius pro male-

[Marginal notes: Baron. A. D. 976. — Idem A. D. 996. n. 18. — Cassian. l. 5. instit. c. 29. — Vita S. Cæsar.]

dicto

Digitized by Google

dicto erat benedictio: *Oblitteret DEUS peccatum tuum: Aboleat DEUS peccata tua: Castiget DEUS culpam, ne imposterum vltio te maneat: Dominus hic corrigat errorem tuum.*

Quotus quisque se ita observat maximè post mensam? Eo tempore pene quoties inter homines fui, minor homo redij: quo fit ut à multis iam annis cautior effectus meo damno me subducam: Timeo enim judicia DEI. Narrat Zaccharias Boverius

Zacch. Bover A.D. 1564. luculentissimus sui Ordinis scriptor in conventu Romano apud patres Capucinos P. Antonium de monte nocte quadam dormire non potuisse. Surrexit ergo ut lumen è culina acciperet. Mediam viam confecerat, & ecce de eadem culina videt emicare permagnum ignem. Attonito rei novitate occurrit horridus Æthiops, qui ad Antonium, Ne vereare, inquit, injectaque manu duxit ad culinam. Quam ubi ambo ingressi sunt, vidit Antonius duos nuper defunctos fratres veru fixos substratis copiosis prunis ab atrociore Æthiope crudelem in modum perassari. Vtrumque facilè agnoscebat. Quapropter, Quid est hoc, fratres, ait? Itáne damnati estis? Damnati non sumus, inquiunt, æternum: sed hac temporali pœna exurimur, quod & multum temporis inutiliter impenderimus: & dum calefactionis causa ad focum stabamus, nunc murmuraverimus: nunc aliorum facta carpserimus; & inutilia multa locuti fuerimus, aliosque nostro pravo exemplo ad similia traxerimus. Ob quæ cùm non semel corriperemur, absque ulla emendatione contemptis monitis in malo perstitimus, quibus dictis visio disparuit.

Quid aliud Josippe, in colloquiũ nostrũ ut plurimum venit?

Idem A.D. 1598. Cùm F. Salvator à Tissa ejusdem familiæ quadam nocte ad ignis reliquias accederet, vidit in eis duos ardere defunctos. Rogati causam tormenti, responderunt, murmura esse atque inutilia verba id loci prolata. Ante triennium, quàm hoc videret

Idem A. D. 1598. Salvator, P. Clemens à Gravina ante nocturnas vigilias de strato surrexit, ut in Ecclesia oraret, sed lampadem ante altare reperit extinctam. Quare ut eam animaret perrexit ad culinam. Et ecce prægrandis in ea ignis, & ad ignem vir obvolutus pallio. Adjuratus quis esset, & quidnam ibi rerum ageret. Capucinus, inquit, sum, & ad has flammas damnatus ob verba scurrilia & inutilia, quibus sæpe tempus infructuosè consumpsi. Si hæc nondum te movent, in anno Christi 1569. reperies fratrem de-

trem defunctum per octiduum suum purgatorium in vaporario sustinuisse, quòd cum alijs ad focum per hiemem sedens confabulationibus inutilibus vacaverit. Et A. D. 1612. tribus alijs post mortem facies ac linguas per ignem in culina propter eandem causam hinc inde fuisse raptatas.

Itaque per hiemem etiam communem fornacem suspectam habeo, ad quam utinam non sæpius sederetur causa fabulandi, quàm caloris. Etiam Petrus ad ignem corruit. Dolæ in Burgundia quidam ex memorato Ordine ab obitu stare ad focum deprehensus est. De causa interrogatus, ait, se ibi suum habere purgatorium, quod sæpius præter necessitatem ibidem semetipsum calefecerit, tantùm ut murmurandi, vaneque colloquendi locum haberet. Iocos, Iosippe, quis æstimat? Et tamen à Deo graviter castigantur. Eiusdem Ordinis F. Antonius Bononiensis sua eutrapelia ac jocis festivis fratres crebrò recreabat. Post mortem P. Angelo Theutonico apparens, salutem se quidem ob exantlatos labores consecutum esse asseruit, at nonnisi post atrocissima tormenta. Credi, inquit, non potest, quàm sint severa judicia divina. Equidem propter unicos jocos meos præteritis singulis diebus (quindecim erant) nudis pedibus Patavio Veronam usque (passuum millia quinquaginta sunt) super ardentes prunas commeare debui.

Idem 1603. 1596. ibid.

Alius (Ioannes Firmanus audiebat) in more habebat cunctos vexare, carpere, ridere, gestusque aliorũ ad recreationem per jocum exprimere. Histrionem dixisses potius quàm Monachum. Tandem venit ad extrema. Verè qualis vita, talis mors. Cùm moneretur de salute, & verò de ipso bene speraretur, is suos consuetos ludibriosos jocos, & gestus in alios formare; nunc hunc, nunc illum sannis proscindere, ac denique terrore præsentis satanæ tam horrendùm mugire, ut rictus oris ad aures usque hiaret. Nec ad quietiora, opinor, transijsset, ni sollicita fratrum oratio Deum mitigasset.

Idem 1586.

Qui placent hæc? Recreationum nostrarum fructus sunt. Si tam fatigatus nondum es, unum adhuc superaddo. P. Silvius Mediolanensis eiusdem instituti presbyter cum aliquando ante preces nocturnas in choro 4. oraret, derepentè fores Ecclesiæ ingenti ictu concussæ sunt. Paulò pòst fit strepitus in umbilico templi, ac deinde ante aram, in qua cæleste manna erat. Territus Silvius dum rei expectat exitum, inaudijt

Idem 1608.

vocem hominis amarè flentis. *Heu me*, inquiebat, *heu me*, *quanta tormenta sustineo! O juste mortalium Judex, quis tandem horum finis erit? O fratres! ô ô fratres! Si nosse possetis quàm dira patior, quantus vos horror invaderet.* Simulque compellans Siluium: Adesdum, inquit, Silvi, ne paveas. Ego anima nuper defuncti fratris sum Dei iussu huc missa. Silvius ut accessit, præter umbram ad cornu Evangelij nihil conspexit. Et anima: Defuncti nuper fratris anima sum, & gravissimis pœnis in flammis purgatricibus atteror. Quibus de culpis, inquit Silvius? Ad quæ anima digito linguam tangens, ob hujus, inquit, linguæ peccata tam miserè discrutior, ut cruciatus exprimere non valeam. Iurgia ac dissensiones inter fratres seminavi: accusationes non Zelo charitatis, sed animi libidine Superioribus obtuli. Quibus dictis, cùm triginta Missas postulasset, disparuit. Post triduum absolutis sacrificijs redijt, seque à pœnis liberatam cum gratiarum actione retulit.

Deus bone, quàm fugiendæ sunt omnes occasiones, quibus lingua periclitatur! Nihil difficilius est, quàm bene loqui. Rarò pervenimus ad perfectionem Afranij Carthaginiensis Philosophi. Hic octoginta & uno annis natus rogatus quid sciret? respondit: *Nil nisi bene loqui.* Rogatus iterum, quid didicisset? respondit iterum: *Nil nisi bene loqui.* Rogatus tertiò, Quid tanto tempore docuisset? *Nil nisi bene loqui*, dixit. Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Qui timet offendiculum, sileat, aut aliam recreationem quærat, maximè post mensam.

Anton. Sabellicus.

Alioquin in omni religione per hebdomadem corporis quædam conceduntur relaxationes, ne arcus plus iusto tendatur ac frangatur, ut S. Antonius venatori pulchra similitudine ostendit. Temporibus S. Ephraimi per septimanam biduanæ feriæ à laboribus dabantur fratribus, nempe die Lunæ & Martis, ut cum Ethnicis loquimur. Alij alios assignant dies pro discretione, quæ etiam in hoc negotio requiritur, præsertim ne quid nimis, aut minus: nam si minus, minuitur affectus erga maiores: si nimis, crescit dissolutio disciplinæ. Neutrum placet Deo. P. Constantinus à Salvatore Capucinus vir magnæ sanctitatis, paucis à morte diebus cuidam fratri apparuit. A quo cùm de statu suo interrogaretur, respondit, Heu, heu frater, quàm districta Dei judicia sunt, atque ab hominum sensu

Pelag. libell. 10. n. 2.

S. Ephr. de humil. acq. c. 57.

Bover A. D. 1587.


ac

Digitized by Google

ac sententia remota! nam quæ plerumque censentur à viventibus virtutes, apud Deum inter vitia numerantur. Equidem Dei misericordiâ salvus sum; verùm tamen per triduum in purgantibus flammis tam diras pœnas sustinui, ut ibi me per tria annorum millia fuisse crediderim. Cùm enim essem Superior, contraxi quasdam maculas, quas nec maculas esse judicabam. Etenim prætermisi quædam mei Officij, quæ à Deo summo rigore ponderata sunt. Deinde in concedendis recreationibus indulgentior in fratres fui, quæ res persæpe dissolutiones generavit, Quo dicto recessit.

Ex adverso nec nimius rigor, ut dixi, Numini placet. Erat in Britannia cœnobium feminarum, nomine Weinbronnē. Quingentæ admodum in eo sanctimoniales erant sub Tetta Abbatissa sorore Regis. Vna inter illas vivebat, antecedens reliquas omnes probitate & austeritate vitæ, qua de causa non semel officium Præpositæ administravit. At quoniam nimis rigidè atque indiscretè ab alijs disciplinam monasticam exigebat, iram illarum, potissimum autem iuniorum incurrit, & odium non leve, quòd ipsa nequidquam pensi habens mansit in rigore, sic ut nec in morte sibi reconciliaret indignantes sorores. Moritur proin & tumulatur. Crederes cum ea sepultum quoque viventium rancorem. Frustra: insultabant etiam infossæ, probisque ac maledictis nihil sentientem identidem lacerabant, ut etiam in tumulum insilirent, ac pedibus cadaver in solatium tamdiu tolerati fastidij conculcarent. Et profectò Deo displicuisse inhumanum Præpositæ regimen miraculo comprobatum est; quia terra tumuli notabiliter subsedit. Quod Tetta advertens castigavit primò sororum insolentiam: dein ut ipsas cum defuncta reconciliavit, tridui ipsis indixit iejunium, admonens ut sedulò pro eius anima Deo supplicarent. Elapso triduo inter Letanias cum illis processit ad sepulchum, seque effudit in vota & lacrymas. Mirum: Inter preces terra attollitur, sic ut ijs finitis consisteret in pristina altitudine, certo argumento Deum acceptâ vindictâ defunctæ placatum esse. Iosippe, si omnia circumspicio, reperio *melius esse, subesse, quam præesse.* Item, *melius tacere quam loqui.*


Rodulph. monach. in vita S. Liobæ c. 3. & 4.



ANTIQVARII MONASTICI DORMITORIUM.

EPISTOLA CVI.

De communi Dormitorio.



ORatorium, Refectorium, Vestiarium, Infirmatorium, Capitulum, Laboratorium, ac Dormitorium necessariæ cœnobiorum partes sunt. In quolibet horum quomodo te habere debeas exemplum te docet S. Willibaldi. *Erat hic,* inquit vitæ ipsius scriptor, *sobrius in Refectorio, castus in Dormitorio, patiens in Infirmatorio, fortis in sancti laboris exercitio, humilis in Capitulo, devotissimus in Oratorio.* Sicut ergo temperantia insidias suas in mensa, patientia in Valetudinario, solertia in Ergasterio, humilitas in Capitulo, & devotio in Oratorio habet, sic & castitas in Dormitorio. Hinc ad eam faciliùs conservandam statuitur, ut fratres unà dormiant, indeque locus hic *Dormitorium* nuncupatur. Abbates monasteriorum, inquit Concilium Turon. III. in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant canonicis, ut habeant claustra, & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur. Concilium Aquisgranense similiter: Sint, inquit, interius Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & ceteræ habitationes usibus fratrum in una societate viventium necessariæ. Qui hoc facere neglexerit, cense-

Philip. Aich-ſtet. in vit.

A. D. 813 c. 24.

A. D. 816. c. 117.

censetur inidoneus regimini, & puniendus synodali sententia. Pro Monachis idem statutum est anno sequenti: nam illud dictum est Canonicis Regularibus. Constituendum autem Dormitorium esse Synodus decernit iuxta Oratorium. Sic in Lamberto legimus S. Annonem Colon. Archiepiscopum à furente populo fugisse in Ecclesiam, ex qua aditus patebat in Dormitorium, hodieque in cunctis Monasterijs videmus descensum aut aditum ex Dormitorio ad chorum & Ecclesiã esse id, quod etiã Romæ in Concilio per Eugenium II. statutum est, ut iuxta Ecclesiam claustra constituerentur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent, ubi omnibus unum Refectorium & Dormitorium, seu ceteræ officinæ sint ad usus Clericorum necessariæ.

A. D. 817. c. 58.
Lab. Schnaff. A. D. 1074.
A. D. 826.

Jus Canonicum in decretalibus mandat, ut religiosi sub uno tecto dormiant & quiescant, idque à Patribus Oxoniensibus in Anglia accuratè receptum est. Ut caveantur insidiæ dæmonis, aiunt, Monachi, & Canonici Regulares, & moniales in uno Dormitorio pariter dormiant, & quiescant, singulis personis singulis lectis assignatis. Et Episcopi Aquisgrani congregati: Omnes in Dormitorio, nisi quem infirmitas aut senectus id facere prohibuerit, dormiant. S. Basilius decernit excommunicationẽ in eum, qui cum sanus sit, extra Dormitorium dormit. Si pro omnibus unum non sufficit, S. Benedictus vult, ut deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos soliciti sint, pausent; sic tamen ut singulis suus lectus sit, quod etiam imperat concilium Turon. II. dicens, Nullus sacerdotum aut Monachorum colligere alium in lecto suo præsumat. Valde laudo S. Ætherium, qui cum etiam Episcopus esset, circa lectum suum suos clericos dormire voluit.

c. quoniam. De vit. & honest. Cleric.
A. D. 1222.
A. D. 816. c. 123.
S. Basil. t. 2. fol. 732.
S. Bened. reg. c. 22.
A. D. 567 c. 15
S. Greg. Turon. l. 6 hist. Franc. c. 36.

Lumen per integram noctem in Dormitorio ardere non modò S. Benedictus & Joannes Gualbertus, verùm etiam usitata praxis præcipit. Multæ huius rei causæ sunt. Cui propositum est rectè agere, non oderit illud.

S. Bened cit. Surius in vita S. Gualb. t. 4.



Digitized by Google

EPISTOLA CVII.

De disciplina dormiendi.



Epist. 68. A.D. 817 cap. 48.

IAm scripsi tibi, quòd & quid antiqui regulares ante somnum oraverint. Placet admodum consuetudo hodierna, quam introduxit Aquisgranense concilium, qua peracto conscientiæ examine fratres omnes in Dormitorio per sacerdotem solemni formula benedicuntur perceptâ aquâ lustrali. Inde in cellas disceditur, & se quisque ad somnum componit quibuscumque potest privatis pijs exercitijs. Inter quæ non ultimum est, ut observetur religiosa modestia, & casta pudicitia. Non desunt exempla quibus discere possumus, quantum DEO, sanctisque displiceat corporis denudatio, situsque in lectis incompositus. Hinc Angelus ad Pachomium: Induantur noctibus lebitones lineos, præcincti lumbos, habeantque singuli melotē, sine qua neq; comedāt, neq; dormiant. Sozomenus & Cassianus addunt etiā dormijsse in cucullis, sicut Berchtoldus Garstensis. S. Benedicti decretum est, ut sui vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus. De S. Fulgentio referunt, quod scapulis nudis numquam visus à suis fuerit, nec deposito saltem cingulo somnum petierit: suæ autem conscientiæ DEO teste fiduciam gerens, in qua tunica dormierit, in ea & sacrificaverit dicere solitus in tempore sacrificij potius esse mutanda corda, quàm vestimenta. S. Athanasius eamdem modestiæ regulam præscribit sacræ virgini. *Neq; noctu*, inquit, *neq; interdiu exuaris vmquam.* Denique concilium Tolet. X. sacris vidujs: *Acceptâ*, inquit, *à sacerdote apta religionis veste, seu lectulo quiescens, sive quocumq; loco consistens, incunctanter utatur.* Quippe turpe est Christi sub vexillo militare, & nudum corpus adversario monstrare. F. Santus in Ordine Capucinorum devotus laicus cuidam fratri sine habitu dormienti prædixit recessum ab Ordine: *Expuit militia molles.*

Cæsar. Heisterbac. lib. 5. Vita S. Pachō. cap. 22. Sozom. lib. 3. hist. cap. 13. Cassian. lib 1. instit. cap. 4. Vita S. Berchtoldi. Reg S. Bened. cap. 22. Vita S. Fulgent. S. Athan. de Virg. A.D. 656. can. 4. Bover. in annal. A.D. 1585

(✠)

EPISTOLA CVIII.

Quamdiu, & in quibus lectis ſancti dormierint.

PAtres noſtri, Joſippe, vix ullam rem uſitatius amplectebantur, quàm vigilias. Ægrè ſancti vitam reperies, qui non inde laudetur: non quod ignoraverint à divina providentia conceſſum eſſe nobis ſuo tempore ſomnum; ſed quod lucris ſpiritualibus iugiter inhiantes tempus ſomni, ut Syriæ Archimandrita docet, inter infructuoſiſſima numeraverint. Immò hic idem ſanctus ait, ſomnum, ſi abſque ſollicitudine ſit, inter mala locandum eſſe, haud ſecus ac mollem lectum, veſtem, aut immodicum riſum. Quapropter S. Ambroſius ſacram virginem inſtruens, Tu, ait, in cubiculo tuo, & nocturno tempore conſtituta, ſemper meditare Chriſtum, & eius adventum omnibus ſperato momentis. Si tardare tibi videtur, exurge. Tardare videtur, cum diu dormis. Ingens oſor ſomni S. Arſenius erat, de quo dicebat Abbas Daniel, quia noctem vigilans pertranſiret. Nam tota nocte vigilabat, & quando volebat circa manè propter ipſam naturam dormire, dicebat ſomno: *Veni ſerve male.* Et ſubripiebat parum ſomni ſedendo, & ſtatim ſurgebat. Arſenio nihil ceſſit Dorotheus Thebanus magiſter Palladij. Hic vitam ſuam à juventute ſic inſtituit, ut numquam deditâ operâ dormiret, niſi quod inter operandum vel comedendum aliquando connivebat oculis deiectis, adeò ut ſæpe panis quoque ex eius ore excideret eſus tempore propter nimiam dormituritionem. Cum autem ego, inquit Palladius, aliquando cogerem hunc ſanctum paululum iacere ſuper ſtoream, ægrè ferens mihi dixit: *Si quando perſuaſeris Angelis vt dormiant, tum virtutis ſtudioſo quoq; perſuaſeris.* De S. Anſelmo Lucenſi narrat eius diſcipulus: Quod ſi naturæ neceſſitas ipſum non coëgiſſet, inſomnis omni tempore permanſiſſet. Nocte proin tota, inquit, aut legit, aut ſcripſit, aut oravit, etſi fortius incumberet ſomnus ſtans dormitavit: quod ſi delicatius interdum, in genua uſqe provolutus, dormivit. In lecto quidem rariſſimè, niſi ſumma cogente verecundia vel neceſſitate: nec item horis productis, ſed quaſi momentis. Pauloninus iam ipſam devicerat naturam, ut non iam videretur corpus, ſed quaſi ſpiritus totus. B. Berchtoldus Abbas

S. Ephr. ſerm. de mala converſat. f. 118.

Idem de var. torm. inferni.

S. Ambr. lib. 3. Virg.

Pelag. libello 4. num. 2.

Pallad. cap. 6.

In eius vita

Vita B. Bertholdi.

Digitized by Google

Abbas rarò quiescebat, tum propter desiderium Æternæ Patriæ, tum propter energumenos, qui passim mittebantur viro sancto, jeiuniis & orationibus serviens Domino die ac nocte. At cum quietem lassitudo imperaret, ita negligenter lecto accumbebat, ut nec iacere eum, nec sedere diceres, pedibus dependentibus.

Pelag. sup. n. 3. Maiores nostri Josippe, somnum non milliaribus, sed Cassian. collat. 12. c. 15. digitis metiebantur. S. Arsenius dicebat: *Sufficit Monacho, si dormierit unam horam, si tamen pugnator est.* Cassianus arbitratur castitatis studiosum non debere ultra tres vel quattuor S. Basil. ep 1. horas dormire. Magnus Basilius generatim ait, Somnus levis S Ephr. de vita spirit. fol. 79. & victui proportionatus sit. Denique B. Ephraim dicit: *Somno atque quieti tantum temporis tribuito, quantum ipsa te cogit necessitas.* Sed natura temperantiæ victûs assueta modico somno contenta est, maximè cum amor recti, studiumque proficiendi eam simul extimulaverit. Animus generosus etiam hîc saturitatem fugit, atque ipsam necessitatem in arctum contrahit. S. Chrysost. l. 3. advers. vit. vitæ monast. cap. 11. Sancti per stratagemata somnum adorti sunt. Narrat S. Chrysostomus juvenem quemdam mirè ferventem vestem noctu induisse cilicinam, ut è somno facilius expergisceretur. Qui mollissimè corpus tractabant, mattis, storeis, seu psiathijs ex scirpis, juncisùe textis indormiebant: cervical erat embrimium, S. Ephr. vita S. Abrah. Cassian. collat. 1. c. ult. fasciculus nempe longus & gracilis de grossiori papyro. Eremitæ pro pulvinari lapidibus utebantur. S. Paula etiam in gravissima febri mollia lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat. Similiter S. Macrina in extrema ægritudine non requiescebat super strato aut lectulo, sed humi super asserem tectum sacco seu cilicio: pulvinaris locum sustinebat altera tabula, ad id affabrè facta ut & cervicem subiret, & reciperet in se. Atque hoc erat eius *chameunion*, quod versus Orientem fuit dispositum. Lectus S. Martini erat nuda humus superinjecto cilicio, in quo etiam moribundus recubuit additis insuper cineribus. Cumque à discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi stramenta supponi permitteret: *Non decet*, inquit, *filij Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.* Aliquando in itinere stramini incubuit, cuius partem cum sanctimonialis energumeno de collo suspendisset dæmon erupit. S. Gregorius Nazianz. de seipso canit:

S. Doroth. doctr. 4. Pelag. l. 7. n. 46. S. Ephr. de SS. PP. fol. 770. S. Hier. epist. 27. S. Greg. Nyss. sen. de S. Macrina. Sulpit. epist. 1. ad Euseb. Et epist. 3. & dial. 2. c. 7. & 8. S. Greg. carm. 1.

Pro

Pro lecto mihi sunt paleæ, pro tegmine saccus,
Et madidus lacrymas pulvis ob assiduas.

S. Paulinus de Melania ad Sulpitium scribit: Scito nunc istam tantam in sexu infirmitatis virtutem Dei, cui refectio in iejunio, requies in oratione, panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo, & centone durus in terra sit. S. Paulin. ep. 10. ad Sulpit.

In tam molestis lectisternijs pausare diutius vix libebit. Et sicut naturam asper victus facilè satiat, sic & durus lectus. S. Antonij stratum erat juncus cum cilicio, vel etiam nuda humus. Theodoretus memorat religiosam illam feminam, per quam Iberi conversi ad fidem sunt, dormivisse super saccum humi stratum; quem rectè Socrates *lectulum cilicinum* appellat, quales habebant sacræ Virgines in cœnobio S. Euphraxiæ, erantque lati non nisi unius cubiti, longi trium. S. Macarius Ægyptius de seipso dicit: cùm dormituriebam, applicui me obvio parieti, sicque modicum somnum delibabam. Vbi Pachomiani mihi in mentem veniunt, quibus Angelus Domini præcepit, *Dormiant fratres non recumbendo, sed sellas erige ipsis, in quibus positis stragulis dormiant sedentes.* S. Zoërardus Eremita planatum truncum quercinum sepe circumdedit, & per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit: ipse verò in trunco sedens tali sessorio usus est artuum recreatione, ut si fortè corpus sopore gravatum quamcumque in partem sese flecteret, arundinum acie sauciatum graviter evigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti circumponebat, ad quam in partibus quattuor totidem lapides suspendebat, ut sic caput sopitum quacumque inclinaret, lapide percuteretur. P. Archangelus Ariminensis dormivit sedens in baculo, quem geminis funibus ad cellæ tabulati tigillum alligaverat. F. Felicis Capucini lectus nudæ tabulæ erant, pulvinar, lignum vel sarmentum: in senio tabulas tegebat modico stramine. Nihilominus in hoc vix pausabat, sed somnum capiebat genuflexus manui vel ligno incumbens: sicuti P. Cyprianus à Montecorvino eiusdem sacræ familiæ domire solebat, aut genuflexus, aut sedens in tabulis. Denique etiam S. Dominicus Loricatus flexis dormiebat genibus, & ad terram depresso capite.

Aita S. Anton. c. 6. — Theod. l. 1. hist. c. 24. — Socrat. l. 1. hist. c. 20. — Vita S. Euphrax. — Socrat. l. 4. c. 22. — Pallad c. 38. — Maurus Episco. in vita. — Bover annal. Capucin. A. D. 1505. — Idem A. D. 1587. — Idem A. D. 1584. — Petr Damiã. in reg. eremit.

In tam adverso ac duro corporis situ non tibi multas somni horas imagineris. B. Coleta tam parci somni fuit, ut aliquoties per octiduum vix integram horam dormiverit: nam Steph. Iuliac. in vita.

Ooo somnum

somnum pro inutili servo habebat, compescens eum durissimo lectulo. Adhuc puella super duros cubavit asseres cum vilissimo operimento stringens nudam carnem nodosis chordulis. Post ubi se inclusit, humi jacens in horrido cilicio pro pulvinari utebatur ligneo trunco. In monasterio denique corpore in servitutem redacto jacebat in stramine tecta simplici operimento: cervical erat sacculus impletus paleis. B. Mechtildis sibi adhuc austerior, ut populi in Bacchanalibus levitates apud Deum bonis meritis compensaret, testulas vitreas, & alia fragmenta acuta in lectulo posuit, in quibus tamdiu volutabatur, donec lacerata cute ac penitus sauciata tam copiosum sanguinem effunderet, ut præ dolore nec sedere, nec iacere valeret. S. Bononius Eremita pro molli lecto duram humum, pro delicatis linteolis asperum cilicium, pro commodo cervicali lapidem habebat. Lectus S. Wilhelmi Ducis quondam Aquitaniæ erat antrum, culcitra solum, capitale saxum, coopertorium tectũ. S. Stephani Grandimontensis stratum adeò durum erat, quietique contrarium, ut in eo dormiens magis vexaretur, quàm foveretur. Erat enim ex tabulis ligneis instar sepulcri in terra consertis carens omni stramento, omnique lectisternio; si inspexisses, sepulcrum vacuum dixisses. S. Ioannes Bonus Eremita in cella tres lectos habebat. In uno erant ligna acuta pro torquendo ac macerando corpore. In altero erat ex parte anteriori fovea concava, de qua non recedebat, nisi dictis ducentis orationibus Dominicis. Tertius erat ligneus, pulvinaris loco habebat truncum. B. Robertus Salentinus S. Cælestini discipulus cùm alioquin humi cubaret, corpus quandoque recreaturus incumbebat tabulæ & ligneo pulvinari. S. Rodulphus Monachus dormiebat in nuda tabula solâ indutus interulâ, sic ut nec in sævissima hieme stramenta admitteret, aut papyrinam stoream, aut alias vestes contra frigus. Et quid prolixus sum cum lectis ligneis? S. Angelus Carmelita cum fratre Ioanne tabulæ ferreæ indormiebat.

Lib. 4. vitt. PP. Ovid.

Sur. t. 7. in vita.

Theobald. in vita.

Vincent. Bellovac. l. 7. vitt. PP. Ovid.

S. Antonin. p. 3. hist. tit. 24. c. 17.

Ioan. à Bosco in vita.

Petr. Dam. ep. ad Alex.

Enoch in vita.

Humidormientes infiniti fuerunt. Græci hunc dormiendi modum *Chameuniam* & χαμαικοιτίαν nominant. Origenem refert Eusebius numquam in plumis, numquam super lectum, sed humi dormivisse. Idem fecit apud Metaphrasten S. Martinianus, in eremo sua S. Hieronymus, S. Donatus, Orientius & plerique anachoretæ, cum Odone atque innumeris Monachis.

Epiphan De mensur & pond n. 21. & in Physiol. c. 22. Et in expositi fid. Trith. de script. l. 2. Euseb l. 6. hist. c. 2.

chis.

Digitized by Google

chis. S. Franciscus cùm humi plerumque jaceret, interdum tamen somnum capiebat sedens posito ad caput ligno, vel lapide. S. Carilephus ne substratorio careret, solum instravit cineribus: Salomon siccis frondibus, sed hunc cogites fuisse Regem Hungariæ. S. Theodulphus Eremita pro lecto & cervicali lapidem adhibebat. B. Iachelina denique nec cervical ullum admisit, dormiens humi æquato toto corpore, ut canes. Metaph. vita S. Mart. S. Hieron. ep. 22. Lib. 4. vitt. PP. Ovid. Vita S. Odon. Vita S. Francisci. Sur. c. 4. in vita.

Prisca sanctitas Josippe, delicatos lectos admodum fugit. Scandalizabatur frater quidam videns alterum dormire super budam de papyro & stratam pellem: sub capite verò habere modicum capitale de cartica. S. Dorotheus insuper graviter invehitur in delicatulos, qui cum cōtenti esse possint uno cervicali, stratum quærunt amplissimum, & cùm sufficiat culcitra una, tapetem laneum desiderant. Ad postremum Cassianus etiam Eremitas laxatæ disciplinæ reos censet, quòd in cellulis habuerint sagum sub obtentu humanitatis ad hospites. Certè Benedictini murmurare contra suum patrem non possunt: in lectum concessit eis mattam, sagum, lænam ac capitale. S. Bernardus saccum culcitram, cum coopertorio assignavit militibus templi. Liberalis fuit si cogitas hodie milites diaboli in tentorijs suis vix indormire per hiemem stramini. Bonfin. hist. Hung. Th. Cantipr. l. 2. pun. c. 53. Lib. 3. vitt. PP. Ovid. Pelag. l. 10. n. 76. S. Doroth. doctr. 3. Cassian. collat. 19. c. 6. S. Bened. reg. c. 55. Reg. Templar.

EPISTOLA CIX.

De Cellis Religiosorum.

SI, quæ tibi de communi Dormitorio nuper scripsi, accuratè perpendis, Josippe, intelliges Monasteria paulò aliter ædificata à nostris olim fuisse. Dormitoria hodie per cellulas, cameras, & cubicula distincta sunt, & unicuique suus tam interdiu, quàm noctu inest frater inquilinus. Ibi orat, laborat, ibi studet & quiescit. Olim in uno conclavi dormiebant pariter omnes, conclave inde dictum est *Dormitorium.* Hinc S. Benedictus: Adolescentiores fratres, ait, iuxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus, Regula item S. Posthumij: Cùm ad dormiendum secediti, interstitium cubitus habeatur unius, ne dum adinvicem proximant corpora, nutriantur libidinis incentiva. Eiusmodi Dormitoria adhuc in usu sunt apud quasdā Sanctimoniales: sed magis placet in separatis cellis dormire, quia & honestati & pietati congruentius est. Epist. 106. Reg. S. Bened. c. 22. Vita S. Posthumij c. 8.

 At-

Digitized by Google

Attamen sive intra, sive extra Dormitorium cellæ extructæ sint, illis certè Religiosi numquam caruerunt. A sæcularibus ad Monasteria transierunt. In mentem tibi veniant Tertulliani *cellæ promæ*, unde *cellaria*, horumque præpositi *Collarij*, seu *Cellerarij* nuncupantur. Antiquis sæculis *cellaria* vel *cellæ* dicebantur etiam *custodiæ pro captivis*. Vnde apud S. Cyprianum ait Lucianus Confessor: secundum præceptum Imperatoris fame & siti necati, & reclusi sumus in duabus cellis. Sic Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani IV. ait, Sergium trusum esse primò in monasterium divi Scauri, deinde in *cellarium* (nempe custodiam) *Lateranense*. Quod itaque hodie nobis sunt *lictores*, carcerumque custodes, priscis fuére *Cellarij*.

Ex epist. 100. Tertull. l. de resurr. c. 1.

S. Cyprian. ep. 22.

Anast. vita Steph. IV.

Præterea nominabantur *cellæ*, *casæ seu ædiculæ pauperum*. Quo modo idem Anastasius ait Paulum I. Pont. noctu cellas pauperum infirmorum, carceres & claustra visitasse. Servorum insuper angusta habitacula non aliter quàm cellæ nominabantur. Atque ab his ipsis pauperum, servorumque cellis sua conclavia denominarunt Religiosi, qui singulariter servi DEI, & pauperes Christi semper esse voluerunt; & idcirco omnem ornatum ac splendorem ab illis suis cellulis relegarunt, ut qui nec servis, nec pauperibus congrueret.

Idem vita Pauli I.

Lipsius in c. 8. l. de tranquil. animi Senec. Idem l. 1. Saturnal. c. 14.

Josippe, mores antiquorum tanta cupiditate ferebantur in humilia, quanta ambitione nunc quæ vilia sunt despiciuntur. Multi hodiè nauseant nomen cellæ, quia monasticum est, hinc non cellas, sed *cameras & cubicula* habent non in Dormitorijs, sed *Curritorijs*. Quasi verò non etiam Magnates huius sæculi cellas olim inhabitaverint. An non Seneca de cellis divitum laxioribus agit? Lege Meursium, & invenies cellam subinde sumi pro conclavi in ipsa Imperatoris aula. Quin Gellius cum Livio tradit Jovem ipsum suam cellam habuisse in Capitolio. Minus proinde est, si Episcopi sua hypocausta cellas appellarunt in Concilio Emeritensi, & Paulus IV. in homilia de cura pastorali omnes omnium sacerdotū ac presbyterorum habitatione.s Denique in epistolis S. Martini Papæ *cella Sacellarij* nihil aliud est, quàm locus, in quo Sacellarius habitat. Quapropter nomen cellæ non adeò contemnendum est; Et si displicent cellæ Monachorum à servis, saltem placeant cellæ desumptæ vel ab Episcopis, aut ab aulis Imperatorum, vel etiam ab ipso Jove. Quamvis etiam *camera* S. Augustino aliud nihil quàm *cella* sit.

Senec. sup. Meursius in Lexico. In Calepin. A.D. 666. can. 7.

Epist. 16. Martini.

S. Aug. serm. 51. divers. in fin.

Dele-

Digitized by Google

Delectabantur etiam eremitæ & inclusi cellæ vocabulo. Sic enim suas clusas casas ac turguriola vocitabant. In vitis PP. id passim reperies, maximè SS. Antonij & Hilarionis, ut de Gregorio Turon. taceam. Faciebant eas ex diversa materia. B. Liphardi cellula ex virgis erat: B. Aviti ex corticum fragmentis, S. Roberti Cisterciensis ex arborum ramis; B. Roberti Abbatis Casæ Dei ex ramis & frondibus; aliorum de materia alia. S. Martij inclusi tota saxea erat: in ea enim nihil non lapideum cernebatur. Mensa, scamna, lectica, lectusque ipse excisus lapis fuit. Si mirabilius aliquid audire desideras, Herodotus ait Atlantes in Africa suas cellas extruxisse de sale. Væ ipsis si pluebat.

Surius vita S Liphar. Lib. 4 vitt. PP. Ovid. Chrō. Cisterc. Surius tom. 3. Greg. Turon. vitt. PP. c. 8. Herod. lib. 4.

Nec solùm privata habitacula, verùm etiam publica Cellæ nominata sunt. Quot novi cœnobia, quæ gaudent hoc nomine! Nobile nostri Ordinis cœnobium in Tyroli prope Brixiam est, quod instinctu suo fundavit noster primus Præpositus B. Hartmannus tunc Brixinensis Episcopus. *Nova cella* dicitur. Eiusdem nominis alterum est prope Frisingam in Bavaria, & cella Dietrami in eadem provincia, sicut in Helvetia Abbatis cella, in Thuringia cella Paulinæ, & cella B. Elisabeth, cella Mysnensis, & S. Remigij. Et numquid his diebus tibi legi bullam Pauli V. de non transferendo diademate archiducali ab hoc loco? Tantum cœnobium haud aliter nominatur, quàm *cella B. MARIÆ.* Si cupis Originem nosse cur cœnobia *cellæ* dictæ sint, eam esse existimo. In concilio Aquisgran. dicitur, Abbates habere cellas possunt, ubi aut Monachi sint aut Canonici. Et Abbas videat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex. S. Bernardus quoque mentionem facit de cellis trium vel quattuor Monachorum. Hæ cellæ quid aliud erant, quàm parva Monasteria? Hinc tam in Agathensi quàm Epaunensi concilio dicitur: Cellas novas, aut congregatiunculas Monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui. Quod si eiusmodi congregatiunculæ seu Monasteriola multiplicatis fortè redditibus crescebant, ut fratrum numerus amplior ali posset, interdum amittebant nomen Cellæ, diciq; incipiebant Monasteria, sicut reperis in Salisburgensi metropoli Avv et Gars loca inferioris Bavariæ propter sui parvitatem olim nonnisi cellas Canonicorum Regularium fuisse, nunc autem esse dicique Monasteria, propter numerosiorē fraternitatem.

Monach. Ephersford. in Chron De Landgraf. Turing. hist. A. D. 331. & 1337. Robert. de exped in Syriam in præfat. A. D. 817. can. 44. S. Bern. epist. 253. A. D. 506. can. 48. & A. D. 717. c. 10. VVigul. Hund. tom. 2. metrop.

Verùm relictis his grandioribus cellis ad nostras usitatas revertamur in communi Dormitorio. Hæ olim non omnes semper sub eodem tecto erant. Ex Lauris id agnoscere potes. S. Ephraim idipsum insinuat dicens: Dum quis tardat hieme ad horam vespertinam in cella aliena, compulsus adire propriam, quanta putas anxietate corripietur propter tenebras & confusionem aëris? Hodie in omnibus penè religionibus cellulæ sub eodem tecto sunt, nec nisi unus in una, ex antiquissimo canone Turonensi, qui ait, *Nec liceat Monachis cellulas habere communes, ubi bini maneant.* Nam longo usu observatum est ad perfectionem religiosam non conferre cohabitationem plurium fratrum in eadem cella. Antiquitus id admittebatur. Unde Angelus ad Pachomium: In una domo & mansione diversas cellulas facito, in quarum unaquaque habitent fratres terni. Et Cassianus: Finita synaxi redibat quisque in suam cellulam, quam vel solus incolebat, vel cum socio, quem vel societas operationis, vel discipulatus, vel similitudo virtutum comparem fecerat. Et S. Ephraim quoque tradit nonnumquam binos eamdem cellam incoluisse, sicut & S. Bruno initio totidem in una posuit, sed, ut dixi, experimentis cognitum est, hanc conjunctionem bonis moribus obesse, sicut in melioribus fraternitatibus nefas sit his temporibus in alterius cellam vel ingredi, quod & reprobat S. Ephraim, nisi cogat necessitas ubi vult ut ingrediens prius ad fores pulset, ne qui intus est perturbetur. Cui addit congregatio Cassinensis, ut tamdiu ostium cellæ relinquatur apertum, quamdiu alienus in ea est, scilicet ad vitandas malas occasiones & suspiciones.

Vide ep. 17. S. Ephr. in Attende c. 6. fol. 318.

A. D. 567. t. 1. conc. Gall. cap. 15.

Pallad. c. 38.

Cassian. lib. 2. instit. cap. 12.

S. Ephr. de humil. acq. c. 2. & 6. Surius vitâ Brun. tom. 5. Vide ep. 105. S. Ephr. in Proverb. fol. 513. In cap. 22. reg. S. Bened.

Josippe dici vix potest, quantum suas cellulas nostri patres amaverint. Vix quidquam ita commendarunt. Bona cellæ, ait Thomas à Kempis, nequeunt sufficienter explicari, sicut nec detrimenta extravagantium. Qui cellam amat, & libenter in ea commoratur, à multis peccatis & tentationibus custoditur. Quanto studiosius inhabitatur, tanto plus placet & amatur. Quanto negligentius servatur, & rarius intratur, tanto magis horretur & fastiditur. Bene illi qui eam diligit & incolit; quia unctio spiritus eum docebit. Beatus cui inhabitare cellam donatum est. Væ illi, qui levi occasione eam deserit, & cui extra manere placet; quia citò seducetur & capietur & lædetur. Qui in cella residet, à multis periculis liber est.


Thom. à Kempis de discipl. claust. cap. 7.

Digitized by Google

est. Qui foris vagatur, innumeris periculis patet. Bonus cellita aut legit, aut orat, aut gemit, aut meditatur, aut scribit, aut corrigit libros, aut aliquid aliud boni operatur. Bonus cellita civis est cæli, amicus DEI, socius beatorum Angelorum, cognitor secretorum, inspector supernorum, victor tentationum, expulsor dæmonum, debellator vitiorum. Quidam sanctorum Patrum dixit: *Tu sede in cella tua, & fac quod potes sine perturbatione: Credo enim in DEO, quia quicumq; sedet in cella propter nomen eius, & custodit conscientiam suam, inveniatur in loco Antonij.* Alius cellam Monachi comparavit camino Babylonio, ubi tres pueri filium DEI invenerunt: Item columnæ nubis, ex qua DEUS locutus est Moysi. S. Ephraim deniq; singulariter beatum pronunciat cellæ sedulum insessorem. Pelag. l. 7. n. 35. Ibid. num. 38. S. Ephr. de beatit. & in paræn. 11.

Sed oportet ut ab initio sancti propositi eam assuefacias. Nam si in principio conversionis tuæ, ait Kempensis eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica, & gratissimum solatium. Exulent ab ea vana. Doctrina Syriæ Doctoris est: Ne inutiles exornaveris parietes ac muros: siquidem cellæ forma elegans, Monacho patientiam non præbet. Quæ ad necessitatem sunt quæramus: superflua & distractiones pariunt, & sunt perniciosa. Paulus Galata de Senioribus unus dixit: Si aliquas res voluerit Monachus in cella sua habere, præter eas, sine quibus non potest vivere, frequenter cogitur è cella egredi, & ita à dæmonibus prævaricatur ac decipitur. Thom. Kemp. l. 1. de imitat. Christi c. 20. Vide epist. 34. S. Ephr. in sent. & Proverb.

Ad extremum ut unus duas cellas habeat, malum de se non est. Et priscos unam habuisse pro spiritualibus, alteram pro corporalibus exercitijs in S. Ephraimo invenio. Eremitæ similiter interiorem habebant præter exteriorem, ut in illa cum DEO, in hac agerent cum hominibus. Denique sicut S. Antonius & Macarius subinde migraverunt de loco ad locum, sic & habuêre diversas cellas. Ubi finis noster solus DEUS est, media cur illicita sint? S.Ephr paræn. 28. Idem in vita Abraham. Vita S. Anton. Pallad. c. 21.



EPIST-

EPISTOLA CX.

De variis generibus Mortificationum.



DUra nos tempora apprehenderunt. Marte adverso ubique prævalente timore mortis deseruntur omnia. Quot homines tam regulares quàm sæculares extra patrias ædes ac sedes hinc inde vagantur. Si causam rogitas? *mortem timent ac tormenta.* Si denuò quæris, Cur mortem ita timeamus? respondet S. Chrysostomus: *Quia nimis molliter vivimus.* Et quod non falsus sit noster sermo, ait, montium vertices ascende, & contemplare ibi Monachos indutos saccis, constrictos vinculis, emaciatos jeiunijs, conclusos in tenebris, & disces, quod hi omnes mortis cupidi, mortem appellent requiem. Transi dehinc montes Antiochenos, & ad Gregorij Nazianz. eremum perge, videbisque Monachorum aliquos gaudere specubus, & cavernis, aspernari domos & hominum cœtus, colere sapientiam cælestem: aliquos item se sponte ad domandam carnem alligasse, & constrinxisse ferro: per dies viginti in tuguriolis impastos mansisse: aliquos præter DEI laudes nihil locutos, & unum toto anno constitisse in loco sacro expansis manibus sine ullo somno, quem ait à vicino corvo nutritum.

S. Chrysost. hom. 6 ad popul. Antioch.

S. Greg. carm. 47. ad Hellen.

Stare per integrum annum manibus extensis, & absque somno quantus labor, Josippe, & cruciatus est! an non præ illo morereris, aut quietem existimares mortem esse? Reperti sunt tamen, qui hoc juge standi tormentum sponte susceperunt, & fortissimè tolerarunt. Simeon ab hac militia stationaria *Stylites* dictus in diversis columnis ultra quinquaginta annos iugiter stetit, & integro anno uni solummodò pedi innixus. Hunc imitatus est Daniel, & alij duo cognomines apud Rosweydum. Adolius etiam in monte Oliveti ad mortem usque sub dio per æstatem atque hiemem immotus constitit. De alio prætereà canit S. Gregorius

Anton. discip. in vita. Vide Rosweyd in notis.

S. Greg. Naz. sup. Idem carm. 4.

Statque quaterdenis, velut arbor recta, diebus
Subvectum ad cœli culmina pectus habens.

Infra columnam Simeonis Archistylitæ monasterium erat. Ibi S. Stephanus junior columnam erexit, & in columna gurgustiolũ, in quo sedere vix poterat. Similem habes in Concilio Oecumenico

Metaphr. in vita Daniel. Stilit. & S. Stephan. Action. 9.

menico VIII. diciturque quadraginta iam annos in columna habitasse. De Paulo Eremita Baronius refert, quòd columnā in monte Latro ascenderit ad cælum penè pertinentem, ibique vitam egerit per annos admodum vigintiduos. Sed nolo esse prolixior de Stylitis in columnis, de quibus copiosè Raderus. Inventi sunt *Stilitæ terrestres* in terra stantes. Certè Moyses Æthiops sex annis pernox stetit, ut somnum vinceret: Triennio in sepulchro Sisinnius noctibus atque diebus, numquam sedens, acclinans, aut iacens, aut egrediens. Ioannes Ægyptius totidem annis stans non aliter dormivit, nisi corpore erecto. S. Theodorus Siceorum Abbas à galli cantu ad vesperam usque stare solebat in sua ferrea spelunca sub dio sine ullo motu atque inclinatione. S. Auxentius Abbas stationem suam supra petram habuit ex transverso montis, qui vocatur Oxea, distatque circiter decem millia à Chalcedone. Hic vermes, qui de pedum ulceribus decidebant colligens reponebat in sua loca, id quod utique didicerat à Stylita Simeone.

Baron. tom. 9.
Matthæus Rader. de Stylitis.
Pallad. c. 21.
Idem c. 71.
Georg. presb. in vita.
Cyrill. Monach. in vita

Noctes Monachorum statarias quis enumeret? Tam consuetæ ipsis erant, ut eas S. Gregorius Nazianz. inter exercitia communia recenseat. Quin etiam Iulianus apostata insanire eos dixit in stationibus integrarum noctium, immemor aut ignarus quod idem factum fuerit à suo Socrate causa exercendæ patientiæ, ut tradit Gellius. S. Elpidius omnes noctes stando & psallendo peragebat tanta constantia, ut nec à scorpione læsus se commoverit. S. Gorgonia non erecto, sed incurvato corpore usque in terram noctes transegit. Denique etiam Piamun sacra virgo per noctes in precibus stando permansit. Et licet pleraque sacra Monachorum exercitia per Orientem paulatim in Occidentem devenerint, standi tamen rigor sive in terra, sive in columnis pertinaciter hæsit in Oriente. Unicus sanctus Wlphus de se apud nos dicere potuit: Columnam statui, in qua uem grandi cruciatu sine ullo pedum stabam tegmine. Cùm hcimis tempus advenisset, ita frigore glaciali urebar, ut ungues pedum meorum vis frigoris sæpius excuteret, & in barba mea aqua gelu connexa candelarum more dependeret. Verùm etiā hic Stylita jussu Episcoporum à columna descendere, & cum fratribus habitare coactus fuit.

S. Greg. orat. 12.
Idem orat. 4.
A. Gell. l. 2. noct. c. 1.
Pallad. c. 70.
S Greg. sup. orat. 11.
Pallad. c. 37.
Greg. Turon. l. 8. hist. Franc c. 15.

S. Bavo se non stando, sed pedes cippo arctissimè includendo per quattuor menses cruciavit. Multi genuflexionibus

Surius in vita.
S. Greg. Naz. carm. 59

Digitized by Google

& carm. 4. assiduis usque ad vulnera genuum afflixerunt semetipsos.

Ferrea permulti gestantes vincla gemiscunt.

Metaph. in vita eius. Georg. Presbyt. sup. S. Ioannicius catena sex ulnarũ se vinciebat, & quem paulò ante nominavi Siceorum Archimandrita gestabat calceos & manicas ferreas, & loricam pro toga octodecim librarum, ut noveris etiam in castris Christi cataphractos militare. Erat sub hoc vexillo Romanus quoque apud Theodoretum, & S. Stephanus Auxentianus, quorum vestis tota ferrea erat. Wilhelmus Dux Aquitaniæ post conversionem suam loricam ferream ad carnem decem catenis constrinxit, quã cùm ei piratæ Saraceni vellent detrahere minimè potuerunt: quippe carni inhærebat. Lorica hæc tecta erat cilicio: caput verò opertum ferro galeato. Sic S. Stephanus institutor Ordinis Grandimont. incedebat armatus contra carnis insidias lorica ferrea, quousque toto corpore exiccato plenam de seipso victoriam retulit. S. Angelus præterea & Ioannes Carmelitæ supra nudam carnem ferebant camisiam ferream. Sed inter omnes hos maximè spectandus est S. Dominicus à lorica ferrea, quam tribus annorum lustris ad carnem portavit, *Loricatus* dictus. Superpondium erant quattuor ferrei circuli, quorum duobus corpus, duobus brachiorum armi cingebantur. Qui quia longâ consuetudine vilescebant, quattuor alios superaddidit, duos in coxis, totidẽ in cruribus. Loricam verò cum cilicijs post menses abluebat, ut posita rubigine uredinem in membra prohiberet: non enim nescire poterat rubiginantis ferri ærisque malignam edacitatem; quæ carnes solet exedere, quod sanè B. Zoërardo contigit, qui tamdiu ad nudum corpus catenam portavit æream, quoad carnibus putrefactis cute obduceretur. Latuisset hoc martyrium, nisi post mortem ad umbilicum apparuissent nodi ligantis metalli, quod dum è cadavere extrahitur, auditus est sonus elisarum costarum. S. Simeonis Stylitæ pes catena ferrea ligatus in tantum computruit, ut cimices inde excrescerent, qui si fortè delabebantur, reponebat in ulcera dicens: *Manducate quod vobis Dominus dedit.* Josephus quoque à Leonissa nostri temporis ornamentum loricam ferream ad usque femora portabat, lumbis præcinctis ferrea lamina, quam pòst mutavit in catenam, quæ cùm carnem exedisset, nova supercrescente contecta est. Quod malum cùm utique timeret Polychronius, pro ferro per noctem tanto trunco quercino humeros onerare solebat, quantum

Theod. in Philoth. c. 11. Surius vita S. Steph. Theobald. in vita 10. & 17.

Vitt. PP. Ovid. l. 3. vitâ.

Enoch. Patriarch. in vita.

Petr. Damian. in vita S. Domin.

Idem epist. ad Blancam.

Maurus Episc. in vita.

Anton. in eius vita.

Bover. in annal. A. D. 1612

Theodoret. sup. c. 24.

Digitized by Google

tum vix robustus utraque manu levare poterat, id quod etiam per diem factitabat, sed ea moderatione, ut supervenientibus hospitibus suam ligneam machinam illicò deponeret, atque absconderet.

At nondum integrum agmen cataphractorum Christi militum perspeximus. Græci Σιδηροφόρους appellant, quòd corpus ferri gestatione incredibilem in modum onerarint. Jacobum Maronis discipulum ferunt multa talenta ferri per corpus [Idem c. 21.] undique distributum tulisse. Acepsimas præ ferri pondere [c. 15.] adeo incurvus incessit, ut pastor per noctem eum videns lupum crederet, quare in eo iam erat, ut fundam in eum emitteret: at DEUS obstitit obrigescente manu pastoris. Marana & Cyra [c. 27.] Virgines per duos & quadraginta annos tantum ferri pondus circa collum, lumbos, manus ac pedes portaverunt, ut Cyra ad usque terram incurvata incesserit. Refert Theodoretus se [Idem in vita S. Marciani.] totam illam ferream molem vix de terra levare potuisse. Agapetus Monachus ferri libras quinquaginta tulit, Marcianus 80. Eusebius discipulus primò 120. deinde adjecit Agapeti 50. & Marciani 80. tulit unà 250. Ut mirum non sit, si Asterius Monachus [Idem in vita Iuliani.] itinere septem dierum portaverit duos medimnos, hoc est 14 modios caricarum.

Multi leviora sibi ferri imposuerunt onera, sed tamen onera. [Pallad. 64.] Quantum portaverit per annos 18 Philoromus ignoro; attamen hoc scio, eum per suam σιδηροφορίαν carnis impetus do- [Theodoret. c. 23. & 4.] muisse. Philoromi commilitones fuerunt Ioannes & Marosa. Theodosius Monachus collum, lumbos, & ambas manus fer- [c. 10.] ro cinxit. Eusebius Antiochenus Zonam ferream unam circa lumbos, & alteram circa collum habuit, [c. 4.] quas alio ferro sic conjunxit, ut collum cum capite ad terram perpetuò inclinare debuerit. [Greg. Turon. hist. Franc. l. 5. c. 6.] Hospitius inclusus, ferreis catenis, quas ad nudum corpus portabat, superinjecit cilicium, ne apparerent, quia no- [Ruffin. l. 1. vitt. PP. c. 9. & S. Epiphan. exposit. fid.] verat non omnibus patribus placuisse manifestam siderophoriam. Unde & S. Benedictus Marium inclusum noluit ligari catena ferrea, sed catena voluntatis & Christi. [S. Greg. l. 2. dial. c. 16.] Quidquid sit, etiam Senoch inclusus eiusmodi catenas ferreas ad pedes, ma- [S. Greg. Turon. vitt. PP.] nus, & collum habuit. P. Didacus de Valducia Capucinus [Bover. A. D. 1589.] ad corpus clam tulit ferreum cingulum aculeatum. Secutus [Idem A. D. 1604.] est eum F. Vincentius à Chio meâ memoriâ defunctus, qui ferreis laminis aculeis undique interstinctis, nudos lumbos con-

In vitt. PP O. vid. lib. 3. ſtringens carnis petulantiam expunxit. S. Aurea Abbatiſſa per ſeptennium in ſella ſedit clavis 150 acutis introrſum verſus ex omni parte armata.

Climac. grad. 2. Qui ferro carnem ſubiugare noluerunt, ſe ad alia genera mortificationis converterunt. Communia ac levia ſunt, ſed neceſſaria, quæ ſuccinctè commemorat Joan. Climacus. Anguſtam, inquit, tibi viam, ſed ad cælum ducentem, indicabit ventris afflictio, pernoctatio ſtabilis, aquæ menſura, panis inedia, ſalubre ac purgativum ignominiæ poculum, ſubſannationes, irriſiones, ludibria, abſciſſiones propriarum voluntatum, offenſionum tolerantia, contemptus noſtri ſine murmure toleratio, vim ſibi in contumelijs inferre, injurias fortiter pati, detrahentibus non indignari, contemnentibus non ſuccenſere, condemnantibus humilitatem exhibere.

Nucleus hic perfectionis eſt, & primò omnium maſticandus, cetera deinde ex regula diſcretionis adijcienda. De iejunijs, vigilijs, humicubationibus, cilicijs, & ſimilibus plura tibi in præcedentibus epiſtolis oſtendi. Sancti DEI fortiora aggreſſi ſunt. Greg. Turon. ſup. cap. 7. S. Lupicinus in ſua cellula grandem habebat lapidem, quem duo homines vix levaſſent. Hunc cervici impoſitum per totum diem pſalmos canendo portabat in ſua cella, quo fiebat, ut aſſidua depreſſione thoracis pulmones corrumperentur, ipſeque ſanguinem copioſè expueret. Noctu verò tamquam lapis non ſufficeret mortificationi, baculum quem manu geſtare ſolebat duabus deſuper ſudibus aculeatum mento ſupponebat, ne umquam ſomno corpuſculum recreare valeret. Et ne exiſtimes ipſum tam arduum exercitium abſque DEI nutu ſuſcepiſſe, multi de nocte ad eius cellam accedentes audiverunt concentum Angelorum. Bover. A. D. 1610. Quod ad ſomnum attinet, ut eum frangeret P. Marcellus Curenſis adhuc puer, minutos lapillos lecto inſperſit.

Osbernus monach. in vita. B. Elphegus ex Monacho Epiſcopus Wintonienſis in hiemali frigore & glacie, cum ſomnus noctu omnes detineret, ipſe clam nudis pedibus ſola tunica indutus de ſtrato ſurgere, foras ire, & uſque ad auroram orationibus vacare conſuevit. Petr. Damian epiſt. ad Alexandr. S. Rodulphus Monachus noctu quantumvis gravis bruma rigeret, Idem epiſt. ad Blanc. nudis pedibus ac cruribus uſquedum diluceſceret pſallebat. Hieron. Rubeus in vita. Dominicus Loricatus veſtes non ultra tibias demittebat, ut frigus nudatos pedes acrius adureret. Petrus Damiani contra æſtum

libidinis

libidinis noctibus è cubili ſurgens aquis ſe immerſit dum totus frigeſceret, atque inde egreſſus, non in lectum, ſed in preces ſe volvebat. S. Franciſcus ſæpe ſe nudum in altiſſimas demerſit nives, ut harum frigus ardorem carnis extingueret. Ita B. Joachimus Servita hieme in nivibus, æſtate ſe afflixit in ſpinis. Denique S. Bonifacius martyr & Ruſſorum Apoſtolus volutari in vepribus & urticis toties penè ſolebat, quoties earum denſitatem conſpexiſſet. In vita lib. 5. vitt. PP. Ovid. Michaël Servita in vita. Petr. Damian. in vita S. Romuald.

S. Arnulphus Monachus S. Medardi urbis Sueſſionenſis, ut riſum omnem, lætitiæq; mundanæ motus comprimeret, aſperrimo ſimul & nodoſo tribuli ramo corpus ſub veſte cinxit; nihilominus interim omnibus ſe hilarem & iucundum exhibebat. Extra cellam ſub dio foſſam habuit, in qua reſidens ſtillicidia à tecto Eccleſiæ ſuper caput & collum eius decidentia jugiter excepit: nec mutavit locum, etiamſi plueret aut ningeret. Eius unicum opus erat orare; plorare, pſallere & gemere. S. Pardulphus eremita corpus ſuum adeò ſævis punctionibus laceravit, ut ſanguis inde copiosè dimanaret; ad menſuram tamen Joannis Boni non pervenit. Hic namque ut faces libinis extingueret, accepit arundinem, atque in multas acutiſſimas partes diſcidit, quas ſub vngulis poſuit, elevanſq; manus ſuper lapidem tam fortiter impreſſit, ut uſque ad digitorum ſummitatem intrarent. Cruciatus hic virum ſanctum tanto dolore affecit, ut in terram corruens per integrum triduum ſemivivus iaceret. Placuiſſe autem DEO tam forte certamen ex eo liquet: nam apparens ei dixit: *Quia bene cæpiſti, bene perſeverabis; & quia viriliter contra tentationes dimicaſti, de cetero non tentaberis.* Quibus auditis integrè convaluit ac ſurrexit. S. Victorinus in ſpecu ſua religioſiſſimè vivens dæmonem in ſe concitavit. In ſpecie oberrantis puellæ ſub noctem ad eum venit rogans per omnia ſacra ut intromitteretur, ne fieret eſca ferarum. Ut hoc impetravit, ſenſim blandiri eremitæ cœpit, pediſque tactu ad libidinem commovit & lapſum. Quo facto dæmon cum riſu evanuit. Victorinus autem per triennium ſuas manus arbori parum patefactæ, atque iterum recluſæ inſigens pœnas de ſeipſo ſumpſit. Grata Numini pœna fuit; inde enim ad Epiſcopatum Amiternenſem, & tandem ad gloriam martyrij evectus eſt. Liziard. Epiſcop. Sueſſion. in vita. Bern. Epiſcop. Lodou. in vita. S. Antonin. p. 3. hiſt. tit. 24. cap. 13. Surius in vita. 5. Septembris.

Libidinis furor, Joſippe, omni genere mortificationis

comprimendus est, sicut & Gulæ illecebra libidinis mater. A-
Surius vita Sabæ. nimosè gastrimargiam aggressi sunt athletæ Christi. S. Sabas
adhuc iuvenis cùm in horto laborans suadente mala suggestione
pomum decerpsisset, ad se reversus, ut acriter semetipsum cor-
Greg. Turon. vitt. PP. c. 2. ripuit, pomum in terram proiecit, pedibusq; contrivit affir-
mans numquam se ullum pomum gustaturum. Portianus Ab-
bas ut sitim vexaret, salem in os inditum æstuante lingua masti-
Ioan. Novar. in chron. lib. 7. c. 11. & 12. cavit. Occurrit hîc Portuensis congregationis auctor Petrus
Ravennas Canonicus Reg. S. Augustini. Hic cum A. D. 1119.
quarto Cal. April. iam senex animam ageret, petijt sibi dari pi-
scem, qui Lampreda Italicè dicitur. Quam statim coctam mi-
nister patri obtulit, & ut sumeret hortatus est. Dominus au-
tem Jesus Christus veniens, ut animam servi sui in cælum as-
sumeret, etiam in extremis ad exemplum nostrum tentavit.
Nam dum piscis illi porrigitur ut comedat, illico campanula ad
portam monasterij crebris ictibus pulsatur. Quod audiens san-
ctus pater, Curre, ait ad ministrum, velociter, & vide quid sit.
Ille ad portam accurrens pauperem senem & infirmum pro fori-
bus reperit. Ad quem, Cur tam importunè, inquit, strepitas?
At ille: Pater miserere mei pauperis, & senis, & infirmi. Et mini-
ster, Patientiã habe, tibi eleemosyna panis & vini tribuetur. Pa-
nem & vinum, ait pauper, nolo; sed rogo ut detur mihi lam-
preda, alioquin moriar. Quod audiens minister stomachatus
ad Patrem redijt. Cui Pater: Quidnam hoc est fili, indica mi-
hi? At ille subridens, Comede, inquit, pater, postea edisse-
ram. Nequaquam, ait sanctus vir, sed magis negotium ex-
plica. Cui minister: Pauperem ad portam reperi senem &
infirmum, dicentem se nolle eleemosynam panis & vini, sed
lampredam. Quod audiens pater: Vide, inquit, fili, Domi-
nus Iesus est, qui me usque ad extremum vitæ probare vult.
Defer pauperi piscem. Cumque minister ivisset, ut daret, pau-
perem non invenit. Reversus autem ad patrem eumdem mi-
grasse reperit; nec dubium quin cum Christo, qui formam
pauperis acceperat, in cælum conscenderit. Res toti Congre-
gationi admirationem simul & gaudium peperit.

Omnia genera mortificationum referre prô quanti one-
ris foret! Evolve vitas Sanctorum, & stupenda occurrent.
Ioan à Bosco in vita. Quàm singulare est quod B. Robertus S. Cælestini discipulus fe-
cit. Arborem in cella defixit positis ex utraque parte chordu-
larum

larum nodis, qnibus brachia immitteret, ſic ibi pependit, ac ſi crucifixus eſſet cum ingenti dolore abſque pedum fulcimento. Hoc quotidie faciebat per decem Orationes Dominicas, quas adeò lentè recitabat, ut alius interea çentum dixiſſet. Solebat etiam fratris leproſi purgare ulcera, & ſorbere purulentam materiam, in quo tamen ſectatores habuit. S. Dorotheus narrat Evagrium Monachum â ſpiritu blaſphemiæ tentatum ad pellendam ſuggeſtionem 40. dies ſub dio pernoctaſſe, ſic ut ex carne eius vermes ebullirent ſicut ex cadavere beſtiæ, & præ labore pus evomeret. S. Orientius Eremita omni die in aqua frigida ſtans uſque ad umbilicum Davidis pſalterium abſolvebat. S. Edmundi cilicium erat rete cum craſſis nodis per totum corpus.

Doroth. doct. 1.

Lib. 4. vitt. PP. Ovid.

Surius in vita. c. 9. 16. Nov.

Noſtro ævo nulla mortificatio frequentior eſt ſui ipſius verberatione. *Diſciplinam facere* dicimus. Primum eius auctorem Dominicum Loricatum Baronius facit. De eo Petrus Damiani refert, vix ullum diem abijſſe, quin duo pſalteria modulando utraque manu ſcopis armata nudum corpus afflixerit. In Quadrageſima verò, vel cum pœnitentiam canonicam ſuſcipiebat, eamque centum annorum (quod crebrò factitabat) per dies ſingulos inter ſcoparum tunſiones ut minimum tria pſalteria perſolvebat. Immò ſæpenumero per diem naturalem novem pſalteria modulando percurrit, cùm interim penè aſſiduè ſcopis in ſemetipſum deſæviret, & quidem manu utraque, cùm alij dumtaxat unam adhiberent. Ante obitum ſcoparum, quaſi nimis mollium ſuo corpori, pertæſus, uſus eſt tam intra, quàm extra cœnobium ſcuticis corrigiarum, utpote inſtrumento aſperiori.

Baron. A. D. 1055. P. Damian. in vita.

Idem ep. ad Blanc.

Joſippe, ſi intelligis quomodo impleatur centum annorum pœnitentia, videbis hunc ſanctum diebus ac noctibus nihil propemodum aliud agere potuiſſe, quàm in ſemetipſum ſævire. Apud nos, inquit B. Petrus Damiani, cum tria ſcoparum millia unum pœnitentiæ annum regulariter expleant: decem autem pſalmorum modulatio mille ſcopas admittat, dum 150. pſalmis conſtare pſalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in unius pſalterij diſciplina rectè ſupputantibus invenitur. Porrò ſive quinque vicies, ſive viginti quinquies centum faciunt. Conſequitur igitur, ut qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat, centum annorum pœnitentiam

Damian. ſup. in vita.

tiam

tiam se peregisse confidat. Itaque si per mille scopas, intelliguntur mille scoparum ictus, & decem psalmi requirunt mille ictus, quilibet etiam brevissimus psalmus habebit ictus centum. Cùm autem sanctus Loricatus per unum diem sæpe tria psalteria inter flagella decantaverit, oportet eum à semetipso simul interim suscepisse ictuum quadraginta quinque millia. Vnde per unam hebdomadam facilè absolvit centum annorum pœnitentiam, quæ requirit ictuum trecenta millia, maximè si per diem naturalem subinde novem psalteria decantabat.

Hieronymus Rubeus in vita B. Petri Damiani docet pœnam centenariam exigere, ut eam suscipiens quotidie recitet per centum annos adiunctis verberibus centies psalmum *Miserere,* qui in psalterio quinquagesimus est. Hæc pœna injuncta fuit à Papa huic sancto Petro, quòd Cardinalatum abdicarit. Sed ecce mirabilem fervorem. Hanc totam pœnam absolvit vir sanctus unico anno. Horreo, cùm summam colligo: nam centum annos in unum redigere facit *Miserere* 3650000. si addas bissextiles, qui per centũ annos 25. sunt, & Miserere 2500. tota summa erit 3652500. Iam tu, per DEUM, cogita quot *Miserere* uni diei tribuenda sint, quot item ictus, si unus psalmus centum requirit ictus, ut paulò antè dixi.

Non hæc narro ut imiteris. Sancti homines Spiritu DEI afflati multa fecerunt, quæ mirari non imitari possumus. Vnus etiam altero valentioris naturæ est. Regina discretio, seniorumque consilium in corporalibus mortificationibus nos moderari debent. B. Ioannes Houthon Prior Carthusiæ Londoniensis in se admodum severus expletis vigilijs nocturnis, si sospes erat, ad lectum numquam redibat, sed super quoddam scamnum recumbebat pro culcitrali accipiens truncum, desuper posito parvo pulvinari: verùm alios non sinebat ita facere, nisi fortes essent in corpore, & religionis observantia exercitati. Talibus verò persuadebat corpora sua discretione castigare. Juvenes strictè prohibebat per duos aut tres annos post ingressum in Ordinem ita agere propter multa nocumenta, quæ inde acciderunt. Quamobrem multi quidem in sui verberatione imitati sunt B. Dominicum Loricatum; mitius tamen secum egerunt, quamvis nec his nos pares simus. B. Robertus discipulus S. Cælestini quotidie septies asperrimâ disciplinâ se dilaniabat. S. Christianus Eremita in hieme stabat in aqua gelida usque

Histor. martt. Angl. vita Houton.

Ioan. à Bosco sup. Vinc. Bellov. l. 19. cap. 11.

uſque ad collum immerſus; deinde ſe verberabat uſque dum virgæ diſrumperentur. Franciſcus de Paula omni noctе ſe verberabat. Idem fecit Joſephus à Leoniſſa ſed catena ferrea. F. Felix ejuſdem Ordinis ter in die, & quidem acerrimè. Et quid Religioſos tibi memoro? Inſtinctu S. Antonij de Padua flagellatio ſui etiam inter homines ſæculares adeò increbuit, ut palam etiam inter publicas proceſſiones additis pijs canticis exerceretur. Sed hæc pia res non longè poſt exitioſa eſſe cœpit, cùm multi per varias regiones viri feminæq; prodirent, qui dicebant ab omni crimine tamquam à baptiſmo ſanguinis expurgari eum, qui per menſem publicè ſe flagellaret. Hinc multa millia flagellatorum paſſim per Italiam, Galliam, Germaniam ac Bohemiam catervatim circuibant, qui ad umbilicum uſque denudati loris terga ſua conſcribant. In ſignum pœnitentiæ habitu nigro induti erant antè & retro ſigno crucis notato. Quam ſectam poſtea damnavit Clemens VI. Revixit his temporibus maximè per Quadrageſimam publica ſui verberatio, ſed nihil pravæ opinionis habet.

Surius tom. 11 vita. Bover. A. D. 1612. Idem. A. D. 1587. Surius t. 3. in vita. Siffrid Miſnens. presb. in chron. 1261 Abrah. Bzov. A. D. 1273. Tom. concil. A. D. 1342.

Multi non ſemetipſos, ſed ab alijs ſe cædi voluerunt. Vt S. Wilhelmus Monachus Caroli Magni tẽporibus. Qui centies in die, & toties per noctem coram altari genua flectebat, & ob memoriã paſſionis Chriſti flagellari ſe acerbiſſimè faciebat. Gononus de S. Cæleſtino refert, quod expleto vigiliarum officio non illis deſtinatis temporibus, aut ſecunda, quarta, vel ſexta ferijs quibus fratres ex Ordinis præſcripto diſciplinam faciunt, verùm quotidie ſolitus fuerit fratribus collum ferulis feriendum ſupponere. In cœnobio S. Guidonis omnes laneis poſitis, aſperrimis & cilicinis induti veſtibus, tres dies ac noctes continenter ſic veſtiti, calceis quoque abjectis, quotidie ſua ſponte acriter in domo capitulari virgis cædebantur. S. Rodulphus Monachus numquam Capitulo confeſſor intererat, in quo non acciperet diſciplinam, & tunc feſtinus exultabat, ſi non ab uno tantùm, ſed à duobus fratribus flagellari iuberetur. Sæpe pœnitentiam centum annorum ſuſcipiebat, quam per viginti dies alliſione ſcoparum, ceteriſque pœnitentiæ remedijs perſolvebat. In cellula armata ſcopis utraque manu totum pſalterium cum diſciplina recitare ſolebat. Credas planè Ioſippe, hos homines plures ſcopas attriviſſe in voluntariam ſui caſtigationem, quàm nos in purgationem totius monaſterij. Alioquin B. Catharina

Lib. 4 vit. PP. Ovid. Bened Gonon. c. 9. vit. Surius in vita tom. 2. P. Dam. epiſt. ad Alex. In vita S. Cathar.

Digitized by Google

tharina S. Brigittæ filia si carnis titillationem sentiebat, tamdiu flagellari voluit, donec pruritus subsideret. Optimum remedium, sed perrarum. Et quis scit, utrùm non S. Paulus suum carnis stimulum spontanea verberatione sui contuderit? Quid est enim ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου quàm lividum corpus efficio, quod proprium se flagellantium est? (1. Cor. 9.)

EPISTOLA CXI.

De Pœnitentiis regularibus.



Iratus es nuper, quod ad communem nostram mensam non admissus fueris. Causam sincerè, sed in aurem tibi dico. Fratres quidam ob præteritas culpas regularibus pœnitentijs castigati fuerunt, quo casu Refectorium clauditur extraneis. Nec mirum, si fortè punimur: in multis offendimus omnes. Immò in cœnobijs subinde etiam insontes corripiuntur ad probandam ipsorum patientiam & humilitatem. Solers animarum rector quærit omnem occasionem, quâ subditi proficiant.

Sed magna, Josippe, vigilantia requiritur in corripiente. Ad hoc munus S. Augustinus toto ore expalluit: non enim sufficienter intelligere sibi videbatur, quis esset vindicandi modus non solùm pro qualitate aut quantitate culparum, verùm etiam quid quisque posset sufferre, ne fortè plus obesset, quàm prodesset. (S. Aug. epist. 250.) Prudenter etiam monet S. Chrysostomus οὐ γὰρ ἁπλῶς πρὸς τὸ τῶν παραπτωμάτων μέτρον δεῖ καὶ τὴν ἐπιτιμίαν ἐπάγειν· ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων στοχάζεσθαι προαιρέσεως. non simpliciter commensurandam esse pænam delicto, sed etiam considerandam intentionem delinquentium. (S. Chrysost. l. 2. de sacerdot. c. 4.) Paucis: in imponendis pœnitentijs juxta S. Basilium observandus est modus, locus, tempus, ac persona. (S. Basil. reg. brev. 81. 82. 106.)

S. Paulæ discretionem valde commendat S. Hieronymus. (S. Hieron. ep. 27.) Si qua vel tardior, inquit, veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, varijs eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditijs, si patiens, correptione, illud Apostoli imitans: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis?* (1. Cor. 4.) Jurgantes inter se sermone lenissimo fœderabat: lascivientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat iejunijs, malens eis stomachum dolere, quàm

mentem.

Digitized by Google

mentem. Si vidisses aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem dicens, *Munditiam corporis atq; vestitus animæ esse immunditiam.* Quam linguosam, garrulam, ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle converti, inter ultimas, & extra conventum sororum ad fores triclinij orare faciebat, & separatim cibum capere: ut quam obiurgatio non correxerat, emendaret pudor.

In Concilio Aquisgran. pulchra forma præscribitur puniendi Canonicos Regulares. Siquis frater, inquit, in congregatione constitutus horas canonicas neglexerit, Ecclesiam pompaticè vel incompositè intraverit, opus Dei negligenter perfecerit, ad collationem (hoc est Capitulum culparum ex cap. 123.) venire distulerit, obedire neglexerit, in legendo, cantando, vel alijs Ecclesiasticis disciplinis iuxta vires studium non exhibuerit, ad Missã vitio suo tardè venerit, è claustris (seu locis clausuræ) sine licentia exierit, extrà sine voluntate Prælati diutius hæserit, in plateas ire, aut in bivijs residere tentaverit, in Dormitorio aliquid indecens aut inhonestum verbis aut actibus perpetraverit, extra Dormitorium sine causa dormierit, fratribus charitatis officio obedienter servire neglexerit, discordiam inter fratres seminaverit, huic institutioni contumax aut superbus, aut murmurans seu in aliquo contrarius extiterit, hic primò, secundò, tertiò, sæpius admoneatur: si monitionibus non cesserit, publicè objurgetur: si nec sic se emendaverit, pane & aqua sustentetur ad usque emendationem: si & sic contumax fuerit, separetur à mensa, & à societate fratrum in choro psallentium stans in loco separato. Inde adhuc contumax, verberetur. Si gravitas personæ verbera non admittat, publica obiurgatione & jeiuniorum assidua afflictatione & sequestrationis rubore usque ad satisfactionem corripiatur. Si adhuc incorrigibilis manserit, in carcerẽ trudatur intra claustra. Si adhuc incorrigibilis sit, pro eo cõmuniter oretur. Si nec hoc profecerit, ante Episcopum ducatur, ab eoque canonica auctoritate damnetur. Si verò quis in Canonicorum collegio culpam criminalem admiserit, huic nulla danda est dilatio, quin aut sponte pro crimine pœnitentiam gerat; aut, si id non fecerit, coram Episcopo deducatur, & ab eo publica mulctetur pœnitentia. Delinquentibus & excommunicatis fratribus nequaquam debent

A. D. 816. cap. 134.

Digitized by Google

bent ceteri fratres favere, aut eorum errata defendere, sed potius opem ferre, ut æqualitatis censura districtè corrigatur.

Josippe subtractio cibi & potus, verberatio & incarceratio semper inter graviores pœnas collocatæ sunt. Depositionem ab officijs, amissionemque vocis activæ & passivæ tanti non facit qui anhelat ad quietem, & intelligit pericula locorum superiorum. Subtractio victus etiam bruta affligit. Hinc Braccarense Concilium decernit, ut qui minus ad matutinum quàm duodecim psalmos dixerit, is jeiunet usque ad vesperam, panem cum aqua manducet, & non sit illi altera illa die refectio. Et qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet, & jeiunet omni die usque ad vesperam. Similis ferè abstinentia indicitur in Concilio Ravennate III. religiosis indecenter se in habitu & tonsura gerentibus aut Monasteria Monialium ingredientibus. In quarto jubentur clerici & religiosi non observantes honestatem in vita, habitu, ac tonsura tempore refectionis bis in pane & aqua collocari in terram. S. Augustinus jurantibus unam de statutis in potu adimebat portionem. S. Basilius gravius delinquentes à mensa & choro penitus relegabat. S. Benedictus hanc separationem *excommunicationem* appellat. De ea Canon Matisconensis loquitur, dum jubet Monachos aut Clericos diebus Dominicis laborantes, nec in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intentos sex mensibus à consortio fratrum suspendi. Gravior pœnitentia est separari seu excommunicari à mensa Dominica, quæ fertur in fures religiosos negantes à Concilio Aquisgran. donec cõfiteantur.

A. D. 563. can. 19.

A. D. 1314. Rubric. 3. A. D. 1317. rubr. 4.

Possid in vita cap. 25. S. Basil in cõstit. mon. & reg. fusior. 15. 51. S. Bened. reg. cap. 23. 24. 25. Conc. Matiscon. c. 1. A. D. 585. A. D. 817. c. 64

Sequitur verberatio, non facilè adhibenda nisi in culpis gravioribus, & mortalibus, nec immoderatè, maximè presbyteris, Abbatibus & Levitis, ut rectè decernit Concilium Braccarense III. *Non enim est dignum*, inquit, *ut passim unusquisq; Prælatus honorabilia membra sua prout voluerit & placuerit verberibus subijciat & dolori, ne dum incautè subdita percutit membra, ipse quoq; debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat.* In huius Canonis prævaricatores denique statuit exilium atque excommunicationem. In Concilio Aquisgran. singulariter ab Episcopis & Abbatibus statuitur, ne pro ulla culpa fratres nudi coram fratribus flagellentur.

A. D. 675. can. 6.

A. D. 817. c. 14.

Cæteroquin verberibus gravius delinquentes religiosos subijcere non est insolitum. Iam olim Nitriotæ delinquentes ad ter-

Pallad. de Nitriot.

Digitized by Google

ad tergum flagellabant: & S. Ephraim non uno in loco verberum, colaphorum atque alaparum meminit. S. Benedictus ait: Abbas honeſtiores atque intelligibiles animos prima vel ſecunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros corde ac ſuperbos vel inobedientes verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coërceat, ſciens ſcriptum, *ſtultus verbis non corrigitur.* Et iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis eum à morte.* Sic ipſe fratrem immaturè de choro egredientem verberando ſanavit. In ſecunda parte Regulæ S. Columbani penè nihil aliud eſt, quàm ut delinquentes fratres certum numerum percuſſionum accipiant. *Si dixerit ſuum proprium aliquid, ſex percuſſionibus; operis peculiaris præſumptio centum plagis emendetur &c.* Eodem modo S. Fulgentius inquietos aliquando verbis, aliquando verberibus coërcebat. Sic uno flagellato, quem culpa manifeſta flagellari coëgerat vitia cunctorum mordebat. S. Romualdus item ſuis pro meritis culpis verbera infligebat, id quod etiam decernitur tandem pro vagantibus Monachis Venetijs in Gallia, & in frequenter correptos Aquiſgrani.

S. Ephr. paræn. 38. & in Attende c. 1.
Reg. S. Bened. cap. 2.
Proverb. 18. & 31.
S. Greg. lib. 2 dial.
Reg. S. Columb. p. 2. c. 2. & ſeqq.
Vita S. Fulgẽt.
Damian. in vita eius.
A. D. 465. can. 6.
A. D. 817. cap. ult.

Nec Clerici ab hac vindicta exempti ſunt, Certe S. Ivo docet ſuis temporibus Canonicos Regulares exceptos fuiſſe verberibus. Et in Concilio Agathenſi ſancitur, ut Clerici ante omnia vitent ebrietatem tamquam omnium vitiorum fomitem & nutricem. Quem ebrium fuiſſe conſtiterit, triginta dies ſuſpendatur à Communione, aut corporali ſubdatur ſupplicio. Scilicet honeſtiore: nam fuſtuarium velle dare religioſo qualicumque prorſus indecens eſt, qua de cauſa meritò ſuccenſuit Ioanni Epiſcopo Conſtantinopolit. Gregorius Magnus, quod Monachum virgis cædendum fuſtigarit: ſicut & ipſi Deo diſplicuit, quòd S. Ioannes Eleemoſynarius Monachum ex ſola prava ſuſpicione flagellis acrius cæciderit.

Ivo epiſt. 29.
A. D. 506. can. 41.
Vita S. Greg. tom. 2. concil. p. 2.
Vita S. Ioan. Eleem.

Verùm ut ut grave ſupplicium ſit verberari, incarcerari durius eſt: nam carcer apud religioſos non obtinet locum cuſtodiæ, ſed tormenti; plerumque enim teter, diuturnus & gravis eſt modicæque ſuſtentationis, paritèque infamiam, unde nonniſi pro ſceleratiſsimis eſt. Factum aliquando ut duæ Moniales cœnobij S. Petri cum diacono ſacrilegè commiſcerentur, unde ablato velamine abjectæ ſunt. Sed quia hæc pœna magis licentiam peccandi feminis tribuit quàm correctionem, ſynodus Me-

A. D. 588. c. 6.

 tenſis

A. D. 1314. rubr. 11. tensis iussit eis velum restitui, & in cœnobium recipi; sic tamen ut incarcerarentur in parvo pane, & aqua brevi. In Moniales clau- A. D. 756. c. 6. suram egredientes Patres Ravennæ menstruam incarcerationem A. D. 581. can. 5. decreverunt. Rebelles monachæ jubentur à Parisiensi synodo compingi in pulsatorium. Concilium Matisconense in Clericos admodum rigidum est. Præcipit enim ut si deprehendantur in indecenti veste, vel armis, à seniore ita coërceantur, ut triginta dierum inclusione detenti, aqua tantùm & modico pane diebus singulis sustententur. Durum supplicium præsertim in carcere A. D. 1274. c. 2. & 12. squalido. Concilium Salisburgense furta religiosorum, & alia gravia & enormia crimina carcere censet castiganda. Qui incarceratum liberaverit, jubet excommunicari, eamdemq; pœnam subire, quod etiam apud Eremitas S. Augustini in more est. De- Constit. FF. Eremit. part. 6. c. 7. nique S. Berno Abbas si rebelles per jeiunia, verbera, & carceres satis compescere non potuit, compedes addidit. In dubio an In vita S. Odon. carcer delicto debeatur, includi per certum tempus cellæ suæ poterit qui deliquit.

Quod si curiositas te impellit nosse in specie, quæ pœna S. Basil. fin. reg. brev. Tõ. 2. fol. 731. cuivis culpæ debeatur, habes S. Basilium, Regulam Pachomij, Columbani, præcipuè verò constitutiones Eremitarum B. Augu- Constit. citt. c. 18. 19. 20. 21. stini. S. Gregorius Magnus quoque de cura pastorali admodum pulchrè docet, qua discretione quisque corripiendus sit. Hoc S. Greg part. 3. de cura pastor. apud omnes religiosos in usu est, ut delinquens semetipsum accuset, ac veniam petat: sin minus, maiori subiaceat emenda- Reg S. Bened. c. 46. tioni ait S. Benedictus. Concilium Aquisgran. dicit: In Re- A. D. 817. c. 13. & 41. fectorio strepitum excitans, aut aliud delinquens mox à Priore veniam petat. Et: Increpatus à Priore dicat primò *Mea culpa;* inde prostratus cum cappa causam rogatus, si habuerit, dicat si velit. Hæc prostratio apud veteres communissima erat sub Græ- S. Doroth. doctr. 14. co nomine βάλλειν μετάνοιαν, quod aliud non est, quàm *prosterni*, & Apud Rosweyd. fin. n. 60. *actum pœnitentiæ exercere.* Tu verò taces, ait S. Dorotheus, & prostratus in terram *veniam petis*, Græcè βάλλων μετάνοιαν. Monachi hoc opus esse docent sententiæ Patrum in Ægypto. Quidam frater rogabat senem dicens, Veni in cellam meam, si merear, ut lavem pedes tuos. Ille autem noluit. Iterum secundò & tertiò dixit illi, & non ivit. Novissimè abijt in cellam senis, & *mittens pœnitentiam* ante ipsum, rogavit eum ut veniret in cellam eius. Et surgens venit cum eo, & dixit ad senem: Quare toties antè rogatus non venisti? Respondit senex: Cum

verbis

Digitized by Google

verbis solùm diceres, non satisfecisti cordi meo: cum verò *monachile opus humilitatis* vidi in te, & ego tunc gaudens veni ad te.

De S. Anselmo Lucensi legitur, quòd ejusmodi venias de nocte; aut si privatim potuit, in die fecerit permultas. Sanctus Columbanus statuit, ut perdens aliquid tam in liquidis, quàm in aridis *longa venia* in Ecclesia, dum 12. Psalmos, aut duodecimam canunt fratres, prostratus nullum membrum movens pœniteat. Effundens aliquid super mensam, aut delabi sinens, *veniam in discubitu* petat, corporis nempe dejectione. Et quoniam diebus Dominicis ad preces non prosternimur, Aquisgrani mandatum est, ut is, qui noxæ culpa tenetur, die Dominico remissius habeat & *veniam non petat*. Ejusmodi veniam nisi quis apud S. Columbanum petijsset ab eo, cui contradixisset, puniebatur duobus diebus in uno paximacio. Apud nostros Mendicantes religiosos vix quidquam crebrius est, quàm eiusmodi *veniæ*.

Vita S. Anselm. S. Columb. 2. p. reg. c. 3.

Concil. Aquisgr. cit.

Reg. S. Columb. sup. c. 10.

Restat adhuc alia, sed levior veniæ petitio per verbum *Ignosce*, quo priscis Monachis nihil erat in ore frequentius, maximè in responsionibus. In omni responsione, ait S. Ephraim, hoc verbum *Ignosce* adhibeto. Et: In omni verbo quodcumque audierimus, potissimum verò à Præfecto in Domino, semper ei respondentes *Ignosce*: nam quemadmodum aqua extinguit ignem, ita pœnitentia pura restringit iram, & avertit furorem. S. Dorotheus ait: Auditis in nos quibuscumque verbis, humiliter dicamus, *Ignosce mihi frater*. Senex quidam dixit: Siquis dixerit *Ignosce mihi*, humilians se, comburit dæmones tentatores. Ad Abbatem Sisoëm venerunt aliquando fratres, ut audirent ab eo sermonem ædificationis: At ille nihil eis loquebatur aliud, quàm *Ignoscite, ignoscite mihi*. Qua doctrina ad humilitatem eis viam demonstrabat. Aulicismus hic religiosus apud illos adeò invaluit, ut etiam cum calicem bibituri acciperent, dicerent *Ignosce*. quod solus Abbas Theódorus cum suis amore silentij in mensa negligebat: accipiebant calices suos cum reverentia, & taciturnitate, sicut plerique hodie Religiosi. Sed *Ignosce mihi* Iosippe, si in pœnitentijs regularibus diutius cõtra stomachum tuum te detinui. Si displicet pœnitere, displiceat peccare.

S. Ephr. paræn. 5. & 15. Idem fol. 447. c. 6. & 31.


S. Doroth. doctr. 2. Pelag. l. 15. n. 78.

Idem cit. n. 46.

Idem n. 20.

✠


ANTI-



ANTIQVARII MONASTICI INFIRMARIUM.

EPISTOLA CXII.

De Valetudinario & Infirmis.



Mperfectum est cœnobium, cui non commune est Valetudinarium. Habeas conclaue pro voluntate; si deest altare, vel occasio audiendi Missam, Deus bone, quanto solatio in extremis carebis! Hilaris prospectus, aër salubris, & vicina occasio faciendi vel audiendi sacrum requiruntur omninò ad Infirmarium Religiosorum. Hoc commune sit omnibus. Fratribus infirmis sit cella super se deputata, ait S. Benedictus. Item Concilium Aquisgran. Quamvis canonicis proprias licitum sit habere mansiones; debet tamen à Prælato mansio infirmorum & senum intra claustra Canonicorum fieri, ut qui suam fortè non habent, ibi sustententur. In Græcia & Oriente hospitalia juxta monasteria erant, in quæ infirmi Monachi comportabantur, si proprium cœnobio Valetudinarium deerat. Hoc ex S. Basilio colligo, dum quærit, utrùm oporteat infirmum in fraternitate fratrem ad hospitalem domum abducere?

Reg. S. Ben. c. 36. A.D. 816. c. 142. S. Basil. reg. brev. 286.

Infirmis fratribus summa diligentia serviendum est. Hoc cum Pahomianis omnes boni Religiosi observant. *Infirmorum cura,* ait S. Benedictus, *ante omnia, & super omnia adhibenda est, ut sicut*

S. Hier. præfat in reg. S. Pachom. S. Bened. reg. cit.

ut ſicut reverà Chriſto, ita eis ſerviatur; quia ipſe dixit, Infirmus fui, & viſitaſtis me. Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Subjungit, ut pro iiſdem conſtituatur ſervitor timens Deum, & diligens ac ſollicitus. Quod etiam S. Auguſtinus imperat dicens, *Ægrotantium cura alicui debet injungi, ut ipſe de cellario petat, quod cuiq; opus eſſe perſpexerit,* quod faciendum etiam S. Baſilius ex actis probat apoſtolicis.

Matth. 25.
S. Aug. Reg.
S. Baſil. reg. fuſior. 19. & tom. 2. fol. 734.

Crede mihi Ioſippe, Infirmarij officium non eſt contemnendum, quoniam valde lucroſum eſt. Frater interrogavit ſenem dicens: Duo ſunt fratres, ex quibus unus quieſcit in cella ſua protrahens ieiunium ſex dierum, & multum ſibi laborem imponens: alter verò ægrotantibus deſervit. Cuius opus magis acceptum eſt Deo? Reſpondit ei ſenex: Si frater ille qui ſex dierum ieiunium levat, appendat ſe per nares, non poteſt eſſe æqualis illi, qui infirmantibus deſervit. Boverius memorat fratrem Paulum à Calavello laicum & ægrotantium miniſtrum aliquando in Eccleſia devotius orationibus inſtitiſſe. Factum eſt autem ut oranti Deipara Virgo appareret, & animum eius dulci colloquio reficeret: at dum in hoc eſt, inaudiijt clamorem ægrotantis. Quid faceret Paulus? Relinquere tantum cæli ſolatium videbatur durum; vocantem autem infirmum contra officium eſſe. Sed res non indigebat longa deliberatione; quia obedientia melior quàm victima. Abrupto igitur ſine mora colloquio à cæli Regina cucurrit ad infirmum. Expletis autem negotijs cùm reverteretur ad Eccleſiam, præſtolantem reperit, quam paulò ante reliquerat. A qua cùm veniam ſupplex abitus importuni rogaſſet, à magna matre audiijt: *Nihil ſollicitus ſis fili. Gratius mihi nihil umquam feciſti: nam & charitatis ſimul atq; obedientiæ opus præſtitiſti, quod noveris tam in filij mei, quàm meum honorem ſingulariter redundare.*

Pelag. l. 17. n. 18.
Zacch. Bover. in annal. A.D. 1583.

S. Dorotheus apud Abbatem Seridum Ioanni diſcipulo Barſanuphij per novennium infirmanti ſummâ patientiâ miniſtravit. Eulogius Alexandrinus quindecim omnino annis elephantiacum hominem moleſtiſsimum incredibili longanimitate ſupportavit, miniſtrans ei die ac nocte. Quanto putas merito? Ex ſimili intellige ſi dubitas. Ioannes minor Thebæus diſcipulus Abbatis Ammonis duodecim annis ſuo magiſtro infirmanti fecit obſequium. Quantumvis autem per omnia ſollicitus eſſet;

S. Doroth. doctr. 4.
Paſchas. vit. PP. c. 19.
Idem ibid. n. 2.

Digitized by Google

ab infirmo tamen numquam ullum blandum aut placitum sermonem excepit. Tandem cùm infirmus senex de hoc mundo transiturus esset, sedentibus alijs senibus apprehendit manus discipuli, ac tertiò dixit, *Salveris, salveris, salveris.* Simulque ipsum senibus tradidit dicens. *Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti serviens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia.*

Bover. A. D. 1584.

Non absq; magna laude Capucini priori sæculo in Gallia peste infectis incredibili pietate adstiterunt. Premebant evidenti cum periculo propriæ vitæ, purgabant,& alligabant ipsorũ vlcera, parabant edulia, sternebant lectos promtissimeq; præstabant eis, quæ vel audientibus incutere nauseam assolent. Nescio tamen utrùm in his omnibus ad mensurã illius fratris pervenerint, qui cũ seniori inserviret, contigit ut vlcus seni in corpore pronasceretur, ex quo multa sanies cum grandi fœtore profluebat. Dicebat autem cogitatio sua fratri illi: Discede hinc, quia non potes sustinere fœtorem putredinis istius. Quam cogitationem ut reprimeret,tulit vas, & lavit vlcus senis, recollegitq; aquam in vase, & quoties sitiebat ex ea bibebat.Cœpit autem iterum cogitatio sua sollicitare eum dicens: Si non vis fugere, saltem non bibas fœtorem hunc. Frater autem toleranter ferebat bibens lavaturam vulneris illius. Et cum ita ministraret seni,vidit Deus charitatem laboris illius, illamque vlceris lavaturam vertit in aquam mundissimam, & senem invisibili medicamento sanavit.

Pelag. sup. n. 25.

S Franciscum Xaverium, P. Dominicum Carmelitam, & B. Catharinam Senensem, purulentorum vlcerum exsuctores & curatores non est quod in medium feram: omnes novimus. Hoc solum Iosippe noveris, in ministerio ægrotorum non licere nobis esse delicatis. Non recurrit frater ille, quàm gravibus pœnis post hanc vitam subiectus fuerit, quòd nausearit infirmorum matulas & scaphia purgare? Ex eodem Ordine alter omnino damnatus est, quod ægrotantibus Superioribus diligentissimè, fratribus gregalibus negligentissimè inservierit; cum vi Regulæ cunctis debuisset æqualiter.

Bover. A. D. 1579.

Idem ibid.

Sed non est quod animum abijciant ægroti, etsi subinde negligentur. Deus eo casu curam ipsorum suscipit. Cum S. Stephanus Abbas Cistercienſium graviter aliquando ægrotaret, & frater, qui eius curam gerebat, cibum requisitum habere nequiret, divinitus ales advolans piscem ante pedes fratris deposuit,

Lib. 3. vitt. PP. Ovid.

cuius

Digitized by Google

cuius eſu vir ſanctus nonnihil recreatus fuit. Non ignotum tibi eſſe exiſtimo quod de Anachoreta narratur, qui cũ in infirmitate ſervitorem non haberet, Angelus à Deo ipſi miſſus eſt, qui tamdiu ægrotanti miniſtravit, quoad vicini intellecto eius morbo venirent, & in ſe ſe miniſterium ſuſciperent. Putas hoc non niſi ſemel contigiſſe? Sæpius (ait S. Iſaac) ſancti Angeli Monachis viſibiliter apparebant. Quid enim neceſſe eſt dicere de Anachoretis, qui deſertum inhabitabant, & fecerunt illud habitabile hoſpitium Angelorum, ad quos ſancti Angeli frequenter accedebant propter converſationis ſuæ ſuavitatem, & ut ſub unius Domini protectione ſtatuti invicem conveniebant ad tempus, quia omnibus diebus vitæ ſuæ vitam eremiticam amplexantes in montibus & ſpeluncis & cavernis terræ degebant propter dilectionem divinam. Vnde ſicut terrena dereliquerunt, cæleſtia dilexerunt, Angelorum imitatores facti ſunt, ita de jure Angeli ſuam eis voluntatem non abſconderunt; ſed ad tempus apparebant eis, qualiter oportebat eos converſari docentes: & aliquando quædam ambigua eis exponebant, & quandoque ſanctos per devia errantes dirigebant. Aliquando verò intentationes incidentes liberabant, & quandoque ſubita ruina lapidum & lapidum ictu ab inimico ſanctos manifeſtè impugnante eripiebant, & ſe illis viſibiliter oſtendebant, & ad ipſorum auxilium ſe dicebant transmiſſos, & confortationem & refrigerium, & audaciam eis faciebant, & quandoque per ipſos ſanitatem operabantur. Aliquando verò ipſos ſanctos curabant in paſsiones incidentes. Aliquando verò corpora eorum fame corruentia tactu manus aut herbis naturalibus confortabant, & fortitudinem apponebant, quandoque & tranſitus ſui modum exponebant. Vt quid ergo multa enarramus charitatem exprimendo, quam gratia noſtri, & curam quàm gratia iuſtorum ſancti Angeli geſſerint & gerunt? Nam ſicut maiores fratres minoribus, ſic provident ipſi ſuper nos.

Pelag. l. 7. n. 44.

S. Iſaac l. de contempt. mundi. t. 6. p. 2. Bibl. PP.

Quocirca ubi deficit apud infirmos auxilium humanum, ſuppetit divinum. Hoc ſincerè habe: Nulla mater ægrotantes liberos miſericordius, ac Deus ſuos athletas infirmantes reſpicit. Frater quidam apud Capucinos numquam ſolebat ſuos fratres malè valentes inviſere, cauſatus nunc alia negotia, nunc quod alij id abundè facerent. Ægrotavit tandem & ipſe. Sed ecce: quotquot eum viſitatum accedebant, ubi ad fores cellæ veniſſent, occulta vi repellebantur. Res relata ad P. Thomam Generalem

Bover. 1576.

eſt. Qui agnita fratris negligentia, divinaque vindicta mandavit, ut de cetero ægreſcentem nullus viſitaret, niſi obtenta à P. Guardiano licentia. Hoc modo & adiri æger potuit, & agnoſci, quantum Deo diſpliceat infirmantes relinquere, quos tanta cura vel per ſe ipſe, vel per ſuos Angelos amplectitur. Ergo curam maximam Superior habeat, ne à cellerarijs, aut ſervitoribus negligantur; quia ad ipſum reſpicit, quidquid à diſcipulis delinquitur, ait S. Benedictus.

S. Bened reg. ſup.

De ſanctorum patientia in infirmitatibus corporis alibi ſat multa dixi. Hoc unum addo. Alphonſus Lupus antecedentis ſæculi nominatiſsimus concionator aliquando graviſsimè laborabat. Inter alios autem veniebat ad eum frater, qui viſa eius ſumma dolorum infirmitate, miſericordia ſuper eum motus, hortatus eſt ipſum ut precibus à Deo flagitaret morbi levamen. Quo verbo Lupus haud ſecus, atque blaſphemo commotus, acerbiſsimè in fratrem invectus eſt. Dein oculis in cælum directis ad Deum clamans, *Auge Domine*, inquit, *auge dolorem, ſed & patientiam.*

Epiſt. 37. Bover. 1593.

Circa convaleſcentes S. Auguſtinus decernit, ut cum vires priſtinas recuperaverint, ad feliciorem conſuetudinem redeant, hoc eſt ad vitam, victumque communem. Non enim deſunt, qui attracti diæta gratioſiore diutius in valetudinario perſeverant. Quin factum eſt, teſte S. Bernardo, ut etiam valentes juvenes conventum deſeruerint, ut in domo ægrotorum frui poſſent cibis, qui nonniſi minus valentibus præbebantur. Hæc tam ſimulata infirmitas ad mortem eſt.

S. Aug. reg.

S. Bern. apol. ad VVilhel.

EPISTOLA CXIII.

An Medicinæ in uſu apud veteres Monachos fuerint.

S. Baſil. in reg. fuſior. ult.



Anctus Baſilius, Ioſippe virorum optime, in Regulis fuſioribus prolixè diſputat, an medicina ſit ad uſum pietatis. Eius breviter ſententia eſt, Religioſos poſſe pro valetudine recuperanda & medicis & medicinis uti; ſic tamen ut in his non præcipua ſpes ponatur, ſed in Deo ſolo. Cogitandum quoque eſſe non omnes morbos à vitiata natura, ſed interdum à ſolo Deo provenire, quo caſu, ſi id æger ſciret, remedium non aliunde quàm

Digitized by Google

de quàm à Deo postulandum. Alioquin ipse S. Basilius ad sui curam medicos adhibuit, sicut & S. Augustinus in ultima ægritudine, qui & præcepit eos in dubio esse consulendos. Et verò Magnus Basilius eo potissimum nomine medicos laudat, quòd suadeant temperantiam, graviterque in intemperantes decernit, præstare eos in infirmitate relinqui, quàm curari, si suspicio sit ipsos post curationem ad intemperantiam reversuros. Idem epist 8. Possid in vit. S. Aug. c. 31. S. Aug in reg. S. Basil. reg. brev. 140.

Nostris temporibus Capucini præ alijs penè Religiosis corporalia subsidia negligere videntur; nec tamen abijciunt medicinas. P. Iustinus à Nursia aliquando à pharmacopæo cum remedia quædam pro ægrotis accepisset, gratias in abitu egit. Pharmacopola indignans ad verbale hoc pretiũ, suas ait medicinas & merces vendi nummis, nummos proinde non verba daret. Nec mihi, respondit Nursinus, nec Ordini meo aurum aut argentum est, dedi quod habui. Si leve existimas, affer chartam & lancem, tantumque pecuniæ, quanti mercem tuam æstimas. Quibus omnibus exhibitis, pater chartæ inscripsit orationem, *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus &c.* eamque lanci imposuit, & ex adverso pharmacopæus suos nummos. Res mira: ut ostenderet Deus quanto apud se in pretio essent vota & gratiæ piorum, tantilla schedula omni auro & argento præponderavit. Bover. A. D. 1594.

Extat in bibliotheca Patrum nobilissimus tractatus à S. Diadocho scriptus. Disputatur in eo, num Monachi medicinas adhibere debeant, aut possint. Tandem in eam itur sententiam, Medicos in infirmitate vocare non esse illicitum, dummodò potius in Salvatore, quàm in ipsis fiducia collocetur. Hoc tamen se dicere, addit sanctus pater, ijs Christi athletis, qui se exercent in cœnobijs & urbibus: nam multos extitisse, qui ex inani gloria à medicinis abstinuerint. Anachoretas verò laudabiliter facere, si medicos non admittant, cùm ipsorum salus proximis non multum prosit, & illud periculum vanæ gloriæ absit: adsit autem multa seges meritorum ex virtute patientiæ. Tom. 4. S. Diadoch. c. 53.

Plurimi hinc processerunt, qui amore patiendi summas corporis molestias Spartano robore pertulerunt omni usu medicinæ rejecto. Non ad eremi deserta te nunc duco, ut numeres ægrotantes ac morientes solitarios, quibus nec in mentem venit corporale subsidium. Ad cœnobitas te voco, qui cum medicos habere potuissent, ijs carere maluerunt. Antonius

Digitized by Google

In vita S. Antonij cap. 6. Magnus etsi infirmo esset corpusculo: cuncta tamen unguenta fortiter reijciebat: dicebat enim, *Minimè posse utentium & præcipuè juuenum corpora roborari, si olei essent lenitate mollita: oportere verò asperos carnis labores imperari secundum Apostoli præceptum dicentis.* 2. Cor. 12. *Quando infirmor, tunc potens sum:* asserebatq; sensum animi sic posse reviviscere, si corporis fuisset impetus fatigatus. Vita S. Pach. cap. 52. Zacchæus S. Pachomij discipulus regio morbo correptus separatim in cella sedebat intorquens funiculos tanto labore, ut ei manus sæpenumerò exinde vulnerarentur, & sanguinis guttæ effluerent. In tanta igitur infirmitate positus non solum omnẽ curationem corporis respuit, verùm insuper omnibus synaxibus & collectis interfuit. Huius aliquando manus quidam frater inspiciens operis nimietate atque violentia fortiter sauciatas & respersas sanguine, dicit ei: Quid ita pater durissimo labore te discrucias, maximè tali infirmitate depressum? Scit Dominus quid pateris, & quia nemo tantis tribulationibus afflictus ullum valet opus attingere, præcipuè tu qui nulla necessitate adstringeris. Quid multa? persuasit tandem viro, ut manus penè computrescentes ex vulneribus modico oleo perungeret. Displicuit DEO consilium. Nam ex hoc S. Zacchæus tantos dolores in manibus expertus est, quantos aliàs numquam. Afflictum visitavit S. Pachomius, & intellecta cruciatus causa dixit: Putabas frater quòd oleum te posset curare? Quis enim te coëgit ita sedulò laborare, ut sub prætextu operis in hoc visibili oleo magis quàm in DEO spem tuam poneres? Aut numquid impossibile est DEO sanare te? Aut ignorat ægritudines singulorum, nostrisque commonitionibus indiget? vel despicit nos, qui est natura misericors? Sed utilitatem considerans animarum nostrarum sinit ad momentum nos pati tristitiam, ut tolerantiæ perpetua præmia largiatur. Super ipsum igitur omnem curam nostram sollicitudinemque jactemus: & quando voluerit, vel quomodo judicaverit, ipse terminum doloribus nostris benignus imponet. Qui respondens ait: Ignosce mihi venerabilis pater, & ora pro me Dominum, ut & hoc mihi delictum remittere pro sua pietate dignetur.

Vita S. Euphrax. Pachomianam sententiam hanc amplexatæ sunt sanctimoniales in phrontisterio S. Euphraxiæ, ubi infirmæ nullo adhibito temporali medicamento DEI solius se curæ commendabant: noverunt enim monasterium scholam esse patientiæ, nec

alijs se

Digitized by Google

alijs se natas quàm sibi. Quare perinde ipsis erat, qualitercumque à DEO exercerentur. Certè B. Euphraxia in pede semel graviter sauciata, non aliud emplastrum imposuit, quàm partem cilicij. Philosophicè S. Agatha: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui; sed habeo Dominum IESUM CHRISTUM, qui solo sermone restaurat universa.*

Balnearum usus unum de præcipuis corporis remedijs est. De hoc ita censet Clemens Alexandrinus: Cum balneæ quattuor ex causis adeantur: ut sordes abluamus; ut calefaciamus nos; ut aut sanitati studeamus, aut voluptati. Itaque voluptatis causa balneis uti omnino indecens; caloris verò supervacaneum est, cum calor possit aliunde haberi. Feminis tamen balneæ concedi possunt, cum propter mundiciem, tum propter sanitatem: viris autem non alia de causa quàm sanitatis. Adolescentibus denique etsi copia balnearum sit, concedendæ non sunt, cùm pro balneis uti debeant exercitatione & & recreatione corporis, quod & viris utile foret, si nempe pro balneis vel ambularent, vel pila luderent, vel ligna finderent, vel similia sudoris excitamenta exercerent, quamvis & alijs vel lectio pro exercitatione sit. S. Clem. l. 3. Pædag. cap. 9.

Audijt pœdagogi sui vocem prisca pietas. Unde Tertullianus: Ex ea die, qua baptizati sumus, inquit, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus, id quod etiam Montanistæ faciebant hæretici, quin & Ethnici, cùm iratum sibi Numen arbitrabantur. Cum aret annus & stupet cælum, inquit idem Africanus orator, ab Ethnicis abijciuntur balnea. Quippe actus pœnitentiæ est squalore obsitum & illotum esse. Vnde S. Pacianus suggillat Pœnitentes, quod contra institutum & promissionem delicatius vivant, balneis utantur, ac veste cultiore, ut mirum nequaquam sit, si Monachi, quorum vita verissima pœnitentia est, à balneis quondam tamquam à peste refugerint, nisi medici aliud suasissent. Tertull. de coron. milit. c. 3. Idem de jeiun. cap. 1. & 16. Pacian. paræn. ad Pœnit.

De S. Antonio certè B. Ephraim tradit, quòd corpus sordium causa numquam abluerit, nec pedes aliquando laverit, immò nec aqua unquam tinxerit, nisi cogente necessitate. S. Fulgentius quoq; ad balneas numquam accessisse dicitur. Et aureus Chrysostomus de seipso fatetur post exantlatos morbos se non lavacra aut balneum, sed gregem quæsivisse. Et quid in singulis moror? Credis utique S. Epiphanio: Hic S. Ephr. in Attende tibi cap. 10. Vita S. Fulgent. S. Chrysost. hom. 3. de Pœnit. S. Epiph. in exposit. fid.

dicit

S. Hieron. ep. ad Heliodor. Idem ep. 48. dicit plerosque Monachos olim abstinuisse balneis, & ex ore S. Hieronymi audivi scabram sine balneis cutim Eremitarum insigne esse. Et sanctimoniales Syriæ & Ægypti lavacrum numquam adijsse. Vita S. Euphrax. Si hoc & de Thebanis audire desideras: Sacræ puellæ cœnobij S. Euphaxiæ pedes numquam laverunt, balneas verò penitus irriserunt.

S. Hieron. l. 1. contr. Iovin. Et, obsecro, quàm infensè S. Hieronymus exagitat Iovinianum apostatam, tamquam destructorem vitæ asceticæ, quòd post sordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, subitò se ad candidam vestem, & nitidam cutem, ad mulsum & elaboratas carnes, ad jura Apicij & Paxami, ad balneas quoque ac fritillos & popinas formosus, crassus, S. Ephr. de vita spirit. n. 19 nitidus, dealbatus, genuinis Orci armis contulerit. Verissimè monet S. Ephraim: Balneis, inquit, ac potulentis, & carnium esu delectari caveto, ne in gravissima incidas pericula. Amen amen dico tibi, plurimos corrupit sui denudatio, cuius plerumque appendices sunt tactus & aspectus. Qui his delectatur insanus est. Majores nostri vix pedibus permiserunt ab- S. Athan. de Virg. lutionem, ne dum faciei, vel toti corpori. Benignus utcumque fuit S. Athanasius dum sacræ Virgini ait: *Ad balneas* S. Ephr. serm. ascet. de vita relig. fol. 552. *sine gravi necessitate, quamdiu sana es, non intrabis: numquam totum corpus, solam faciem lavabis aqua.* S. Ephraim nec hoc admittit: Dic mihi frater, inquit, cur aqua abluis faciem tuam? numquid ut proximo tuo magis placeas? nec dum ergo, ut videtur, respuisti passiones carnis tuæ, sed eis adhuc servis & delectaris. Quod si faciem tuam lavare desideras, lacrymis eam abluito, & suspirijs ac fletibus lavato, ut in conspectu Dei & Angelorum eius cum gloria & charitate resplendeat: nam facies, quæ abluitur lacrymis, immarcescibilem pulchritudinem acquiret. Sed fortasse dicturus es mihi: Pudet me turpem ac deformem faciem præferre. At ego dico tibi, quod sordes illæ vultus pedumque tuorum, si cor mundum & castum habueris, super claritatem solis coram Deo & Angelis eius re- Idem in vita S. Abraham. fulgebunt. Atque hæc causa erat, quod S. Abraham Monachus nec oleum, nec aquam ad lavandos pedes, aut faciem umquam usurpaverit: sciebat enim meliores esse sordes pedum Idem in Proverb. fol. 548. Idem de vita rel. fol. 543 in corde mundo propter virtutem, quàm puritatem prætexere, & corpus ablui affectu inordinato. Et: Frequentem pedum, facieique ablutionem significare nos adhuc servire nostris passionibus, ut ait S. Ephraim. Palla-

Digitized by Google

Palladius memorat ſe aliquando ab Ælia in Ægyptum navigaſſe cum Silvania virgine Ruffini expræfecti ſorore, & Jubino diacono. Factum autem ut à vehementiſſimo æſtu invaderentur, ſic ut Jubinus cùm Peluſium perveniſſent accepta pelui pedes & manus lavaret aqua frigidiſſima, & poſtquam laviſſet ſuper pelliculam humi ſtratam requieſceret. Id cum Silvania advertiſſet, molliciem eius increpavit dicens: Quî in animum inducis illam agens ætatem, vivente adhuc tuo ſanguine, uſque adeo tuam fovere carunculam non ſentiens damna, quæ ex ea oriuntur? Confide, confide, Ecce ago ætatis annum ſexageſimum præter extrema manuum mearum (& hoc propter Communionem) non pes meus aquam tetigit, non vultus, neque ullum ex membris meis, etiamſi me variæ invaſerint ægritudines: & cùm à medicis cogerer uti balneo, non induxi in animum carni reddere debitum, non in lecto quieſcens, non lectica uſquam geſtata ingrediens. Pallad.c. 141. & ſeq.

Pœnam Vitalinæ virginis quod feriâ ſextâ caput abluerit, non refrico: in epiſtola 60. eam tibi narravi. Cauſarunt hæc exempla, Patrumque ſententiæ, ut apud veteres Religioſos ſic exoſa eſſent balnea, ut inter tot illorum conclavia non inveniretur locus communis balneandi. Hinc illud ex Regula S. Auguſtini de externis balneis eſt: *Nec eant ad balneas, ſive quocumq; ire neceſſe fuerit, minus quàm duæ vel tres.* Cavebatur autē magnopere, ne in his cōmunibus balneis ſacrati homines, & Clerici atque Aſcetæ cum mulieribus pariter lavarentur. *Hæc enim*, ait Laodicenum concilium, *prima condemnatio apud Gentes eſt.* Idipſum & ſtatuitur in ſynodo œcumenica VI. Reg. S Aug. Can. 3. Can. 77.

Plus tibi dico: Lavacrum commune in cœnobio ædificaſſe Deo ſemel ſummè diſplicuit. In monaſterio S. Theodoſij in ſcopulo fratres non abſque magna difficultate aquam ex torrente haurire debebant. Quod videns Theodoſius multis precibus ac lacrymis fontem à Deo in ipſa rupe impetravit. Non longè poſt viſa aquarum commoditate fratres ad Abbatem acceſſerunt petentes in monaſterio ædificari ſibi lavacrum. Abbas audita petitione indignanter quidem eam tulit; ceſſit tamen fratrum voluntati. Mirum: nonniſi ſemel lavatum eſt, & fons à Deo nuper conceſſus exaruit. Indicta ſunt iejunia, preces, genuflexiones, ut aquæ gratia rediret, ſed in vanum. Integer annus in his conſumitur, donec tandem venerabilis Pa- Ioan. Moſch. in prato ſpir. c. 80.

Digitized by Google

ter lavacrum destruxit, quo facto reversæ sunt aquæ. Ita sanorum Religiosorum Deo non admodum placent balnea, à quibus propter continentiam abstinere virilis & maximè temperantis animi signum S. Diadochus esse iudicat.

S. Diadoch. c. 52.

De senibus & infirmis diversum judicium est. S. Benedictus ait: Balneorum usus infirmis quoties expedit, offeratur: sanis autem & juvenibus tardius concedatur. Et sanctus Augustinus: Lavacrum etiam corporis cùm infirmitatis necessitas cogit, nemini denegetur: fiat sine murmure de consilio medici, ita ut etiamsi nolit iubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute. S. Basilius quoque decernit extra corporis necessitatem Religiosum non debere esse sollicitum de cunctis corporis necessarijs. Et numquid existimas S. Gregorium Nazianz. usurum fuisse balneis ac thermis Xanxaridis, nisi gravissimis coactus fuisset infirmitatibus, in quibus se dicit exultare? Nec arbitror S. Ioannem Apostolum ingressurum fuisse bal eum, nisi corpus à senili frigore defendere debuisset: de ceteris enim Apostolis, qui ad tam exhaustam senectutem vix venerunt, non legitur, quod ad corporis sustentationē lavacris usi sint. Sanè B. Iacobus frater Domini nec oleum ad corporis unctionem, nec balneū adhibuit ullo umquā vitæ suæ tempore.

Reg. S. Ben. c. 36.
S. Aug. reg.
S. Basil. in constit fol 193 t 2.
S. Greg. epist. 69. 77. 166. 178.
Euseb. l. 4 hist. c. 14.
S Epiphan. hær. 30. n. 24.
Euseb l. 2. hist. c. 23.


Quoniam verò sexus femineus ad carnis mollitiem pronior est, non omnes sanctimoniales per Orbem secutæ sunt austeritatem Orientalium & Ægypti. Ab Occidentalibus S. Jvo plus non exigit, quàm ut habeant cutem balneis frequentius non accuratam. Afris etiam S. Augustinus in Regula scribit: Lavacrum corporis, ususque balnearum non sit assiduus; sed eo quo solet intervallo temporis tribuatur, hoc est semel in mense, nisi medicus aliud suadeat. Certè S. Cyprianus Africanas sacras virgines pridem carpsit de mollicie nimia in adeundis publicis balneis, id quod forsan fuisset tolorabile, nisi etiam inter viros lavissent, qua de causa B. Episcopus ait: Ecclesiam suas virgines plangere dum sic virginum flos extinguitur. Celebrentur, inquit, lavacra cum feminis, lavet sexus cum suo sexu si lavandum est.

S. Ivo ep. 10
S. Aug. epist. 109.
S. Cyprian. l de discip. & hab. Virg.

Olfactoriola, & balsamothecas in tota religiosa antiquitate non invenies. Censuram S. Athanasij timuerunt omnes, qua dicit adhuc conjunctos esse sæculo, & pseudoascetas, qui ijs gaudent. Josippe verus Dei servus, non mundi, sed Christi bonus esse odor studet in omni loco.

S. Athan. de Virg.
2. Cor. 2.

ANTI-



ANTIQVARII MONASTICI COEMETERIUM.

EPISTOLA CXVI.

De Diſpoſitione ad mortem.

PErluſtratis cœnobij locis interioribus, priuſquam clauſuram egrediamur, conſiſtamus paulisper in ambitu. Noſtrum hîc cœmeterium eſt, & longi ſomni Dormitorium. Alibi ſepeliuntur in crypta Eccleſiæ ſubterranea, quæ multis hinc inde cellulis diſtinguitur, quarum ſingulæ pro ſingulis cadaveribus ſunt, ut etſi neſcias quid in lingua Græca *Cœmeterium* ſit, ex ipſo aſpectu intelligas Latinè aliud non eſſe quàm *Dormitorium.*

Ad hunc ſomnum properamus omnes; ſed magis ego: quia graves & aſſidui morbi ac dolores, & membra cuncta magis magiſque deficientia manifeſtè ſignificant modicum iter mihi ſupereſſe. Sed *mori non timeo; quia bonum Dominum habemus.* Cum S. Gregorio conſolationem ex ipſis meis quotidianis miſerijs capio. Hinc namque ait, habemus indicium, quia derelicti non ſumus, qui aſſiduè flagellamur, teſte ſcriptura quæ dicit: *Quem diligit Deus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et quæſo te Joſippe, quis non libenter deponit onera naturæ? quid ni ergo & onera animæ? *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.*

S. Ambroſij vox.
S. Greg. l. 9. ep. 25.
Hebr. 12.
Sap. 9.

Et

Senec. de gladiat. Et reverà confunduntur amatores huius miserabilis vitæ à gladiatoribus, de quibus Seneca: Quis mediocris gladiator ingemuit? quis non modò stetit, verùm etiam turpiter decubuit? Quis cùm decubuisset ferrum recipere jussus, collum contraxit? Cleombrotus ethnicus in hac animi magnitudine

S. Aug. l. 1. Civit. c. 22. reperitur, ait S. Augustinus, quem ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputavit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorē. Quid si hic Philosophus legisset quæ de altera vita nobis Christianis revelata sunt? Quid si cognovisset qualicumque notitia illam Ierusalem cælestem, illa gaudia, illum perennis vitæ fontem, illas cælestes mansiones & incolas nostrum adventum cum desiderio præstolantes, illam felicem æternitatem, illum denique vultum Dei tam boni ac suavis? Procul

S. Ignatij vox. dubio exclamasset & ipse, *Quàm sordet terra, dum cælum aspicio!* Crede sincerissimè: nō imprudenter Scithioticus ille anachoreta

Ruffin. l. 2 vitt. PP. n. 159. in morte risit. Circumstabant eius lectulum de vicinia fratres, & componebant eum atque plangebant: ipse verò ut sensit ipsorum planctum, aperuit oculos & risit tribus vicibus. Cuius rei cùm causam rogatus esset, dixit se prima vice risisse, quòd mortem timerent; vice altera, quòd non essent parati; tertia, quòd ad requiem iret à laboribus. Poterat nempe cum S. Hi-

Vita S. Hilar. larione se consolari ac dicere: *Egredere quid times? egredere anima mea quid dubitas? Tot enim annis servisti Christo, & mortem times?*

In vita Barlaam c. 4. Quàm philosophicè Monachus ille tyranno respondit: Nos, inquit, qui iam pridem mundum, & ea quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamque & angustam viam Christi causa ingredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur: verùm futurarum dumtaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam & præstantiorem vitam transitus efficitur,

Ibid. c. 18. idcirco cupiditati potius nobis est, quàm terrori. In eundem modum S. Barlaam Josaphato responsum dedit. Quæsiverat sagax iuvenis, an mortem, quàm omnes subimus censeret esse verè mortem. Ad quod ille: Sine ulla, inquit, dubitatione de hoc ita censeo, quippe qui temporariam hanc mortem minimè pertimescam, immò nec omnino mortem eam appellem, siquidem me per divinorum præceptorum viam ingredientem

arru-

Digitized by Google

arripuerit: quin potius tranſitum à morte ad præſtantiorem & perfectiorem vitam, atque in Chriſto abſconditam. Cuius quidem conſequendæ cupiditate flagrantes optimi viri præſentem hanc vitam permoleſtè ferebant. Unde etiam Apoſtolus ait: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvitur, ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in cælis: nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes; ſi tamen veſtiti, & non nudi inveniamur. 2. Cor. 5.

Sed, inquis, hoc ipſum eſt, quòd me reddit ſollicitum ac timacem: vereor enim vt non ſatis veſtitus & ornatus à DEO inveniar. Joſippe, Tu inter primos non es, qui etſi bene vixerint, & gaudium in ſpe de ſalute in articulo mortis habuerint, nihilominus ſolliciti fuerunt de ſufficienti animæ ornatu, unde etiam in diſceſſu pœnituerunt. S. Auguſtinus quantopere cum S. Paulo cupijt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto! quantum anhelavit & aſpiravit ad patriam cæleſtem! & tamen inter familiaria colloquia ſuis conſueverat dicere, poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipſe fecit ultima ſua ægritudine: nam ſibi iuſſerat pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi de pœnitentia, ſcribi, ipſoſque quaterniones jacens in lecto contra parietem poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter atque ubertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, ante dies fermè decem, quàm exiret de corpore, à nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi ijs tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio. Et ita obſervatum ac factum eſt, & omni illo tempore orationi vacabat. Poſſid in vita c. 31.

Quis in extremis aptior erat regno cælorum Abbate Siſoë? de nominatiſſimis Anachoretis erat; per pœnitentiam tamen in ipſa die dormitionis ſuæ amplius perficere ſe ſatagebat. Sedebant circa ipſum fratres, quando facies eius reſplenduit ſicut ſol. Et cum veniret ad eum de cælo S. Antonius, chorus item Prophetarum & Apoſtolorum & ſanctorum Angelorum volentium ipſum accipere, ipſius autem facies magis magiſque reſplenderet, petivit ab Angelis ut dimitteretur pœnitere modicum. Dicentibus autem ſenioribus: Non indiges pœniten- Ioan Subdiac. l. 3. n. 6.

Digitized by Google

tia pater: Quibus respondit: *Verè nescio me ipsum vel initium pœnitentiæ arripuisse.* Quo dicto cum ipse Christus ad eum frequentasset, reddidit spiritum, & factus est sicut fulgur, & repletus est totus locus ille odore suavitatis.

Epist. 108. Surius in vita. tom. 1.

De S. Martino non ita pridem narravi tibi, quomodo in cinere & cilicio, oculis ac manibus in cælum semper intentus obierit. Eius exemplum strenuè imitatus est S. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus. Hic cum ageret ætatis annum quartum supra septuagesimum, & lethalibus urgeretur febribus, domestici eius tamquam exhausto seni & membris confecto lectum instruebant. Quod advertens beatus vir velut bile concitatus, *Quid,* inquit, *an mihi plumas paratis? An ignoratis quod qui mollibus vestiuntur in domibus regum sint? Dominus meus non in delicato lecto, sed in aspero ligno spiritum tradidit. Excidit vobis exemplum dictumq; S. Martini, Christianum non decere mori, nisi in cinere?* Itaque brachijs suffultum moribundum mattæ imponere debuerunt. Sicuti & S. Anselmus humi in cinere & cilicio mori voluit.

Sulpit. ep. 3. ad Bassul.

Surius vita S. Anselm. tõ. 2.

Caietanum Thianeum unum de primis Theatinis, virum magni exempli, memorant à medico ante mortem solicitè rogatum fuisse, ut sacco stramineo, cui incumbebat, pateretur tegmen aliquod vile superinijci, quo fatiscens corpus paulò lenius quiesceret. Quod audiens æger, velut stomachabundus ait: *Quid? stratum mollius? In cinere & cilicio, in cinere & cilicio & debeo, & volo mori.* Quod identidem repetens cum veniam erratorum à fratribus flagitasset, spiritum Deo tradidit.

Antõ. Carac. in vita.

O quàm amabilis ad mortem dispositio pœnitentia est! Non aurum sic ornat vivos, quàm ea moribundos. S. Hieronymus post vitam tot annis in laboribus durissimis exactam nec super psiathium suum, sed super cilicium humi stratum sponte mortuus est. Eodem modo P. Antonius Almeida de societate JESV cum sentiret mortem adesse, eam relicto lectulo humi expectavit & excepit. S. Antonius de Padua inter Psalmos pœnitentiales efflavit animam. S. Ambrosius ab undecima hora usque ad obitum suum expansis in crucem manibus jacuit. Interim labia in oratione movebantur, vox non exaudiebatur. Magdalena Ulloia pia inter Hispanos femina, cum in morte refectionem aliquam ex haustu frigidæ sensisset, semetipsam castigans Christum in cruce sic allocuta est: *O mi JESU, tu in extremis*

Marul. l. 5. c. 10.

Nicol. Trigãt. hist. Chin.

Surius in vita.

Paulin. vitâ.

Melchior. Trevin. in vita P. Balthas. Alvarez.

extremis non aqua, sed felle & aceto potatus es: Miserere ancillæ tuæ. Inter quæ verba expiravit. P. Petrus Canisius in ultima ægritudine numquam explicare voluit, quid singulariter ex edulijs saperet, cibis contentus ijs, qui communitati præbebantur. Ita religiosi maiores nostri in extremis cuncta respuebant, quæ solatium corpori possent adferre, intenti solùm ad opera pœnitentiæ. Matth Rader. in vita.

De S. Macrina Gregorius frater refert, in extrema ægritudine non requievisse super strato, aut lectulo, sed humi super asserem tectum cilicio seu sacco. Et quid exempla congero? Nomina si nosti sanctorum aliquem, qui post peccata sine pœnitudine hinc discessit. Monachij in Bavaria meo tempore matrona pia in extremis summis à DEO precibus flagitavit talem sibi dari de peccatis contritionem, qualem latro à Christi dextra in cruce habuit. Vota effectu non caruisse ex eo patuit, quod inter profundos gemitus & suspiria oculis ubertim flentibus in Christum crucifixum immobiliter fixis defecerit. S Greg. Nyssen. in vita. A. 1614. annuæ Coleg. Monach.

Confessionem sacramentalem peccatorum in periculo mortis etiam ignavi faciunt. Qui melius sapiunt, generalem instituunt. Ubi in mentem venit Monachus ille Cluniacensis ad quem in morte cùm introisset S. Hugo Abbas, ut solatij nonnihil deficienti impenderet, his ille verbis DEUM allocutus est: *Domine DEUS secretorum cognitor, te invoco, ut siquod in me peccatum latet, quod hactenus non incidit, id servo tuo digneris misericorditer in memoriam revocare, quò possim illud præsenti Abbati meo prius quam moriar confitendo detegere.* Vix verba compleverat, & vox de cælo ad eum: *Unum adhuc te latet.* Cuius notitiam cùm frater impensius postularet, impetravit. Quod ut confessus est, percepta absolutione migravit ad Dominum. P. Damian. l. 2. ep. 15.

Simile quid in annalibus Capucinorum legi de fratre Vitale laico, qui cùm omnium peccatorum generalem fecisset confessionem, dæmon ei in specie deformis anus apparuit gestans in brachio calathum plenum ficubus. Et: putasné, inquit, te nihil in confessione omisisse? Nihil puto respondit Vitalis. Falleris, ait satan; nostin' hunc calathum ficuum, quem aliquando de alterius horto rapuisti? hic etiamnum mihi ex integro manet. Rectè mones, ait Vitalis, quare rectà eo, & confiteor. Bover. 1583.

Clericus quidam, nomine Gabriel, in Provincia Lugdunensi negligentius inter suos vivens cum ad mortem venisset, Ibid 1586.

subitò

ſubitò exclamavit, *Confeſſio, fratres, confeſſio.* Accurrunt cum Præpoſito fratres, anxiumque ac nimis territum in lecti angulo deprehendunt. Confeſſus eſt ingenti cum pavore & lacrymis quidquid à puero commiſerat. Quo facto, rogatus ecquid ita clamaſſet? reſpondit: Se in altum montem perductum vidiſſe in eius deſcenſu ahena plura plena ignibus, horrendaſq; flammas eructantia; in quæ cum à dæmonibus ferreis uncis iamjam rapiendus eſſet, precibus S. Mariæ Magdalenæ evaſerit, quòd in eius profeſto ſolitus fuerit jeiunare. Ita Joſippe DEI miſericordia nos ad pœnitentiam trahit, ſi ad eam ire ſponte cunctamur.

EPISTOLA CXV.

De rebus bene morituris neceſſariis.



INter alia, Joſippe, neceſſaria morienti religioſo admodum eſt perceptio vivifici Sacramenti corporis & ſanguinis Domini. Memento S. Ambroſij, quem hoc ſacro viatico roboravit Honoratus Epiſcopus. Hic nempe eſt ille panis ſubcinericius, quo confortatus Propheta proſperè pervenit ad viſionem DEI in monte Horeb. S. Benedictus huius magni Sacramenti tantus obſervator extitit, ut noluerit id ad ſe deferri, quare in extrema infirmitate à diſcipulis in Eccleſiam deportari voluit, ubi perceptâ SS. Euchariſtiâ inter illorum manus expiravit. Scilicet indignum ſe ſanctus vir rebatur cum Centurione, ut Salvator in domum ſuam ingrederetur. Id quod forſan inſinuavit Robertus Nobilius Cardinalis, dum ter in morte clamavit, *Humilitas.* Siquidem haud ſcio, an umquam magis hæc exercenda ſit, quàm dum in noſtra infirmitate conſpicimus ad nos venire creatorem mundi, quo tempore plerumque nauſeam creamus hominibus. Unde idem Cardinalis quoad potuit, flexis in terram genibus Chriſti corpus accepit: accipiebat id autem in ultima ægritudine ſingulis ſeptimanis. S. Thomas Aquinas quantumcumque debilis erat; in terram tamen ſe proſternebat ad illationem tremendi huius Sacramenti. Matthæus Riccius Magnus Evangelij præco apud Chinenſes etiam cum vitæ periculo de lecto ſe proripuit, & poſitis ad terram genibus multo lacrymarum imbre venerabile Chriſti corpus accepit. Quàm voluiſſet hoc

Paulin. in vita S. Ambr.

3. Reg. 19.

In vita S. Bened. Surius.

Hiſt. ſociet. p. 2. 1559.

Surius, in vita

Nicol. Trigaut. hiſt. Chin.

ipſum

Digitized by Google

ipsum fecisse S. Carolus Borromæus, si vires sufficeissent. Movebat & urgebat beatissimus Antistes manus & pedes, ut de strato surgeret, & reverentiam exhiberet Angelorum Regi; sed conatus ob extremam invaletudinem erat invalidus. Guarinon. in eius vita.

Sumpto sacrosancto viatico athleta Christi ad supremam cum satana luctam inungendus est. Non contemnenda virtus latet in hoc sancto unctionis mysterio. Tollit ignorantias & occulta delicta nostra. Rupertus Cæsar cum accepto Dominico corpore tergiversaretur ad sacram unctionem, quasi certior inde sequeretur obitus, à sacerdotibus tandem persuasus eam admisit. Attentus erat ad omnia verba inungentis presbyteri, iisque probè intellectis ut finem habuêre ceremoniæ ad circumstantes dixit: *In veritate vobis dico, si virtutem huius sacramenti tam corporalem, quàm spiritalem, ut modò sum expertus, antè cognovissem, multò citius illud summa cum reverentia percepissem.* In vita S. Maurilij legitur Ameliam nobilem feminam per duodennem infirmitatem opes omnes in medicos nequidquam consumpsisse. In extremis ergo monita ut saluti animæ consuleret. Quare vocavit ad se Maurilium Episcopum petens inungi sacro oleo. Miror: ad unctionem cuiusque membri salus corporalis secuta est. Permagni fecerunt hoc Sacramentum excellentiores Christi servi, non facilè committentes ut id negligeretur. S. Malachias Episcopus ægrotantem feminam ad noctem uncturus exoratus à suis est, ut id in diem crastinum differret. Interim ægrota obijt; quæ res sanctum virum usqueadeo afflixit, ut ab oratione non prius surgeret, quàm defuncta à morte. Ioannes Dei vir cumprimis bonus ac misericors, fundator Ordinis fratrum de Misericordia, curam gerebat infirmorum in hospitali Granatensi. Decumbebat ibi pauper ad mortem, quem Ioannes monuit ut sacram admitteret inunctionem. Æger cum nondum eousque se venisse putaret, ut moriendum esset, cunctans absque sacro oleo defunctus est. Parantur exequiæ, & res iam in eo erat, ut funus efferretur, cùm ex improviso defunctus se de feretro erigit ingenti cum horrore præsentium. Et ad Ioannem conversus: Væ mihi inquit, miserabili, ô Magne pater pauperũ, quod neglexerim consilium tuum: nam ecce quod absque sacra unctione hinc recesserim, à Deo iusto rerum arbitro ad flammas purgatrices in annos 120. condẽnatus sum. Quibus dictis cum ploratu recubuit in feretrum, ac sepultus est.

Bzov. tom. 15 annal.

Apud Surium 13. Septemb.

S. Bern. in vita S. Malach.

In vita Ioan. Dei. c. 47.

Aqua benedicta contra hostes invisibiles morientibus multum quoque confert. Sæpe recordor fratris illius apud Petrum Cluniacensem, ad quem cùm innumera turba dæmonum irrueret, ut animam morientis infestarent, vocavit ministrum, & jussit, ut sumpta aqua lustrali alacriter eam infunderet in stygiam phalangem. Fecit frater ut jussus erat, & dum circumquaque per cubiculum aspergit, dæmones confertim ad januam se conferunt, quò dum minister aspergillum ex infirmi voluntate dirigit copiosa aspersione, tanta inter sese compressione verberones eruperunt, ac si dirissimis flagellis eijcerentur. S. Anno Episcopus cernens in extremis suis adstare satanam, aquam consecratam petijt, in quam cùm immersisset aspergillum, raptim in os cacodæmonis conjecit, qui & illicò disparuit. Valet hæc aqua etiam contra morbos. S. Maclovius dum folium hederæ ei immergit, & imponit morsui serpentino, venenum extrahit, ac morientem sanat puellam. S. Willibrordus præbuit eam bibendam contra pestem sanctimonialibus Treverensibus, qua infirmæ confestim sanatæ, sanæ præservatæ sunt. Idē eius aspergine purgavit ædes ab inquilino dæmone.

Petr. Ven. l. 1. mirac. c. 7.

In vita S. Annon. l. 3. cap. 10.

Surius 15. Novembr. in vita

Idem in vita S. willib.

Christi crucifixi imaginem morientes Sancti in amoribus præcipuè habuerunt. In eius amplexu S. Richardus Cicestrensis Episcopus feliciter obijt. Eius verba inter amplexus & oscula fuerunt: *Gratias tibi ago Domine IESV Christe pro omnibus beneficijs, quæ mihi præstitisti; pro pœnis & opprobrijs, quæ mea causa pertulisti. Tu nosti Domine, quod si tibi placeret, omnia opprobria & tormenta, ac ipsam deniq; mortem propter te paratus sim tolerare, & sicut tu nosti vera me dicere, ita quæso miserearis mei; quia tibi commendo animam meam.* S. Antoninus Florentiæ Præsul tanto mentis ardore in morte exosculatus est hanc sacram imaginem, ut circumstantes ad lacrymas commoverentur. S. Edmundus Cantuariensis post extremam unctionem, non sine lacrymis ac suspirijs ruit in amplexus Crucifixi: nec satiari poterat ex dulcedine osculorum, quæ identidem Christi vulneribus imprimebat. S. Franciscus Xaverius clarissimum Indorum jubar, ut advertit instare tempus resolutionis suæ, Christum crucifixum incessanter aspexit. Hæc una eius inter multiplices gemitus ac suspiria vox erat, *IESV Deus cordis mei, IESV Deus cordis mei.* Quæ verba tamdiu repetijt, donec vox deficeret.

Sur. 3. April. in vita.

Idem tom. 2. in vita.

Idem in Nov.

In vita l. 5. c. 11.

O mi

Digitized by Google

O mi Joſippe, quid audio? Cogor exclamare cum Ariſtippo, *Vtinam ſic ego, utinam ſic ego!* Ita reſpondit cùm interrogaretur, quomodo Socrates obijſſet. Henricus S. Dominici diſcipulus munitus in morte omnibus requiſitis Sacramentis, præſentem Chriſti imaginem tamquam alter Andreas ſic allocutus eſt: *Securus & gaudens venio ad te; ſic tamen ut & tu gaudens veluti diſcipulum me recipias.* Et cùm à fratribus rogaretur, Quid videret? Reſpondit *Dominum IESVM Chriſtum & eius Apoſtolos.* Rogatus iterum: An ſperaret in brevi ipſorum conſortium? *Omnino*, inquit: *quod & omnibus fiet, qui Patrum noſtrorum obſervabunt Regulam.* Poſt quæ verba Crucifixum aſpiciens ſubriſit, plauſumque præ gaudio manibus edidit. Non multò pòſt fratribus dixit: Ecce dæmones adſunt, ut labefactent fidem meam: aſt *ego credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*, queis dictis expiravit. Laert. de vitis philoſoph. Bzov. t. 17. annal.

Quàm pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus! S. Thereſa Carmelitarum diſcalceatorum Parens in obitu expreſſit perſonam S. Mariæ Magdalenæ: Sumpta enim imagine Crucifixi ad latus ſe applicuit, ſicque jacens obdormivit. Multi hiſtoriam Paſſionis Chriſt ſibi legi curarunt. F. Ximenius è Societate Iesu laicus in obitu patrem petijt, ut cùm extremum tempus adeſſe cerneret, legeret Paſſionem Chriſti. Paulò pòſt ſuprema lucta adfuit, & Ximenius, *Pater*, inquit, *tempus adeſt legendi.* Vix lectio cœpit, & ipſe expiravit. Idem ante Ximenium fecerat S. Clara, B. Iutta, Philippa Lotharingia cum alijs. S. Anno in obitu quattuor lectores habuit, duos à dextris, duos à ſiniſtris. Si parum pauſabant, retortis in eos oculis reſpexit. In eius vita. Trevin. in vita P. Balthas. Sur. vitâ S. Claræ. Bzov. t. 13. Vita Philippæ. Surius in vita.

Andronicus ſenior ex Imperatore Monachus, cùm noctu morte præventus non haberet à quo Chriſti Sacramenta perciperet, loco Dominici Corporis Dei parentis imaginem, quam ſemper in ſinu geſtabat, in eos immiſit, & obijt. Certè ſacræ imagines multis in morte profuerunt. Ad extremum præbetur agenti animam ardens cereus, ut accenſo lumine ſponſi expectetur adventus, ſicut ait ſanctus Hieronymus. Niceph Greg. l. 9. hiſt. S. Hieron. ep. ad Marcellam.



EPISTOLA CXVI.

De ultima Voluntate quorumdam Sanctorum.



On existimo, Josippe, nostris temporibus quemquam de Religiosis inveniri, qui adeò in morte desipiat, ut de rebus temporalibus testamentum condat. Quomodo enim testamentum, ubi non est *Meum* ac *Tuum?* Possidius de S. Augustino: *Testamentum*, inquit, *nullum fecit; quia unde faceret pauper Christi non habuit.* Idem de S. Anselmo Lucensi insigni Clericorum regularium reformatore legitur. Et huius status sumus omnes: nec de acu disponere quid ex privato possumus. Vnde & eos reprobo, qui ante mortem munuscula spiritalia suis fratribus in memoriam distribuunt. Nisi adsit licentia Superiorum, per hæc datur ansa diabolo defunctos accusandi.

In vita S.Augustin.

In vita eius.

Sunt tamen quæ sine nostro periculo & cum fructu relinquere posteris possumus, *Legata pia, & testamenta spiritalia.* quale est S. Theodori Studitæ. Cuius ad suos ultima verba fuerunt. Si diligitis me, filij mei, mandata mea servate, & pacem inter vos habete. Angelicum promissum vestrum incorruptum custodite. In cælis ambulantes, mundum odio habentes, ad mundi opera non convertamini. Solutis vinculis carnalium affectuum, ne in eosdem iterum impingatis, qui omnibus caducis huius vitæ illecebris renunciastis: à proposito vestri studio ne resiliatis risum dæmonibus præbentes. Ad cursum obedientiæ usque ad finem insistite, ut immarcescibilem justitiæ coronam reportetis: humilitatem sectantes, voluntatem propriam abnegantes, ad ea solùm vos conformantes, quæ à Præposito vestro fuerint approbata. Et si quidem hæc scitis, beati, si ad finem usque illa servabitis. Vos enim Martyrum chorus suscipiet, coronisque in regno cælorum redimiti sempiternis bonis fruemini.

Baron. A. D. 826 & in præfat. ad S Doroth. t 4. Bibl. PP.

In vita S.Bern.

Quid melius suis relinquere Theodorus potuisset? Sanctus Bernardus septingentes sub se in Clarevallensi cœnobio fratres habebat. Testamentum quod ipsis reliquit his tribus constabat: *Semper studui magis alterius, quàm meis sensibus parere. Etiam læsus non petij aut exegi vindictam. Scandalum nulli præbui.* S. Joannis Gualberti voluntas ultima fuit, ut

Regu-

Regulam ſeriò obſervarent: charitatemque invicem haberent, ornamentum Religioſorum. S. Dominicus ſuis hæc legavit: Fratres & filij mei poſt obitum meum hæc relinquo vobis: *Charitas mutua ſit inter vos, humilitatem ſectemini: & ſtudete voluntariæ paupertati.* Poſt quæ rogatus, ubi vellet ſepeliri? *Sub pedibus*, inquit, *fratrum.* Bernardi à Quintavalle extrema mandata erant: *Fratres mei chariſſimi, hoc rogo vos & obteſtor, ut hæc hora, in qua me nunc videtis, & in quam etiam vos venturi eſtis, numquam de memoria veſtra excidat. Hoc quidem in me nunc ſentio, quòd nolim mille mundos accipere pro eo, quòd Domino DEO ſervivi.* S. Ioannes Eleemoſynarius in obitu ſuo teſtamenti loco Deo conſignavit ſuam animam. Ultimũ decretum Roberti Bellarmini Cardinalis fuit: Ne cadaver eius aperiretur, & ut noctu ſine ulla funebri pompa efferretur, exequiæ denique omiſſis ſolemnibus ceremonijs celebrarentur. Idipſum ante Bellarminum non ſemel ſuis mandavit Laurentius Juſtinianus.

Surius in vita. Apud Surium. In Chron FF. Minor. Sophron. in vita. Andr. Eudom. Ioan de morte Bellarm. Surius in vita.

Sed in hac demiſſione nemo anteceſſit S. Ephraimum. Ad cujus obitum cùm præter innumeros Monachos tota civitas confluxiſſet, aperuit vir Dei os ſuum: &, *En morior*, inquit. *Teſtamentum relinquo vobis veræ doctrinæ Chriſtianæ, quæ mihi per gratiam Dei data eſt.* Quibus dictis incepit lugere, mœrere, ac pavere propter imminens judicium Dei tam miſerabiliter, ut ſi cui ignota fuiſſet eius ſanctitas, pro ipſo trepidaſſet. *Adhortor vos*, ait, *fratres mei, ut poſt obitum meũ memores ſitis mei in orationibus veſtris. E lectulo hoc non ſurgam amplius; pro memoria tamen mei relinquam vobis illibatum ſpeculum, in quod diligenter oculos conjcite. In tota vita mea nemini umquam maledixi: cum nullo fideli ullo tempore contendi: contra adverſarios fidei alacriter ſteti, eoſq; à domo patrisfamilias tamquã canes inceſſanter abegi. Si DEUM Patrem majorem Filio exiſtimavi, non veniat ſuper me eius benigna miſeratio. Si Spiritum ſanctum non æqualem Patri & Filio credidi, à conſpectu ſuo projciat me in tenebras exteriores: ſi loquor hæc ex mentis ſimulatione, pars mea ſit ignis inferni. Si dico hæc ad complacentiam alicuius, DEUS in extremo judicio non mei miſereatur.*

Vita S. Ephræm.

Vivit DEUS: marſupium Ephraim numquam habuit, non baculum, non peram, non aurum aut argentum, aut aliquam aliam poſſeſſionem. Nihilominus rogo, ut oretis pro me; quia

in vanitate & iniquitatibus vitam meam consumpsi. Adjuro vos, ô viri sancti, & incolæ civitatis huius, ne sinatis me in domo DEI poni, aut sub altari: siquis autem fallacibus ratiunculis deceptus sub altari me collocare præsumpserit, supernum ac cæleste altare is numquam videat. Gloria & splendor indigno nil conferunt. Et cur me honorare velletis & ornare, cùm ipse vitam meam virtutibus non ornaverim? Unde nec alio in loco sancto corpus meum sepeliri volo. Vestimenta mea pro Reliquijs nullo modo servate, ne DEVS me puniat. Inter Sanctos me neutiquam numerate; quia peccator sum, & abjectior omnibus hominibus. Nemo vestrum corpus meum ad ostentationem solemniori pompa circumferat, sed humeris neglectim sublatum curriculò ad sepulturam efferte, & infodite tamquam immunditiem. Nemo præconijs me celebret: vehementer enim mihi timeo, & tamquã mutus coram DEO sto. Ingens horror vos invaderet, si peccata mea audiretis: si fœtorem meorum operum percipere possetis, tanta nausea vos invaderet, ut illicò hinc fugeretis, & insepultum me relinqueretis.

Qui splendida me veste tumulaverit, conijciatur in tenebras exteriores: si quis myrrha me condierit, eius pars sit ardens fornax, & ignis gehennæ. In tunica & palliolo sepelite me: vermis enim & peccator sum indignus omni honore. Nemo beatum me prædicet, novit Dominus opera mea. Sine aromatibus tumulate me. Quid prosunt stulto deliciæ, honor abominabili? Pulvis & pus terræ sum, quid mihi cum thure? Orate pro me, & sepelite me in communi cœmeterio, ubi compuncti corde quiescunt, ut aliquando cum ijs resuscitante DEO resurgam. In exitu meo nemo mihi accendat cereum, ne æterno igne comburatur. Adjuro autem vos, ut sumptus quos ad funus meum præparastis, distribuatis pauperibus. Quæ cùm non sine horrore dixisset, vir illustris, qui inter alios adstabat, à dæmone correptus in terram corruit, jussusque ab Ephraimo surgere, & mali causam indicare, dixit: Se habere pretiosum indumentum, quo nihilominus eum induere voluerit neglecta adjuratione; sic tamen, ut tantum velit dare pauperibus, quanti aliàs constitisset. Quo audito beatus sanavit obsessum cacodæmone expulso.

Post hæc iussit accedere discipulos, quos ex ordine propheticis verbis tamquam alter Israël benedixit. *Quamvis*, inquit, *non sim sicut Nôe vos tamen benedicti eritis.* Damnavit deinde

deinde hæreses cum auctoribus suis nominatim, & dixit, Ideo se spem habere in Deum, quod ipsum tota vita sua numquam maledixerit; nec sermo stultus de labijs suis processerit. Inter quæ illustrissima femina ad pedes ipsius procubuit cum lacrymis dicens: Se parasse pro ipso exiguum loculum, quem vir Dei velit admittere. Annuit beatus petitioni; sic tamen ut illa promitteret, se de cetero numquam à servis in sella gestatoria portatum iri. Quod cum sanctè polliceretur, cum tota posteritate à sancto viro benedicta est.

His omnibus ita gestis, humiliter misericordiam Dei imploravit. Dehinc conversus ad fratres ait: *Accedite modò, & componite me; quia valde defecit spiritus meus. Cum psalmis & orationibus deducite me: sacrificium offerte pro me; id enim defunctis prodest. Ubi trigesimus dies transivit, memoriam mei habetote.* Quibus dictis expiravit, & ut voluit tumulatus est.

Quis Regum, Josippe, nobilius testamentum condidit. Si vis; ex asse heres eius esse poteris. In Antiquario meo adhuc unum superest, quod celare te non queo. Et quod mirari meritò possumus, Monachi est Androgini, nempe Theodoræ, quæ mentita sexum Theodorum se appellans, virorum cœnobium ingressa, & Religionem professa est. Post aliquot annos passa calumniam est, quod puellam in itinere compresisset: cuius rei innocentiam cum facillimè demonstrare posset, humiliter tacere maluit. Ejecta proin cum infante de cœnobio est, ubi tanta tulit, ut fratres visâ eius patientiâ, reditum ei ab Abbate impetraverint. Pro admisso (ut putabatur) flagitio quidquid onerosum erat impositum ei est: sed tanta sufferentia tulit omnia, ac si nemo umquam gravius ipsa deliquisset. Ut ad extrema venit, accito putatitio filio hoc ei testamentum reliquit. Surius in vita, 11. Sept
Tempus, inquit, *fili resolutionis meæ instat & brevi hinc migrabo. Commendo te DEO patri orphanorum, & Abbati huius monasterij. Noli mœrere, eos fratres habebis, qui fraterno te affectu prosequentur. Quid aliud petis? nobilitatem? hanc si ex vero metiris, facilè consequeris. Honores minimè curabis; quia non beant. Hoc noveris, quod divinam adipiscantur beatitudinem, qui contemptum, contumelias, ac falsas accusationes æquanimiter ferunt. Si te delectat honor, eum prius impende alijs. Somnum fac oderis: asperitatem vitæ amplectere: vestium mollitiem cave:*

consue-

Digitized by Google

consuetas preces non neglige: in statis horis, nempe matutina, tertiâ, sextâ, nonâ, ac vespertina sis sedulus: aliena non appete: fratres accusare nec in mentem veniat; interrogatus demissis in terram oculis responde: alterius casum non ride. Sis tristis, ut consolationem merearis. Cum intelliges aliquos non ex virtute vivere, pro eis orare non cessa: ægros invisere non gravare. Et ut cuncta paucis absolvam, declina à malo, cole virtutes. Ora diligenter ne incidas in tentationem: si incidisti, resiste viriliter, & clama instanter ad Dominum ne vincaris. Si sic vitam institueris fili, DEUS tecum erit, feretque opem, ac dexteram suam in conflictu tibi porriget. Hæc ut dixit, collegit pedes suos super cilicium, & obdormivit. In defuncti corporis ablutione magnitudo calumniæ, patientiæ, & sanctitatis apparuit. Laudent Græci suam Aretam Philosophi Aristippi filiam, Philosophiæque per annos 35. magistram, dicantque in eam Socratis animam commigrasse: ego Theodoræ nostræ Philosophiam tantò eminentiorem iudico, quantò altior Spiritus sanctus, quàm Socrates est, qui suâ sapientiâ divinâ Theodoræ mentẽ illustravit.

Ant. Guevar. l. 2. c. 33. in horol. princ.

EPISTOLA CXVII.

De pio quorumdam Obitu.

Bover. in annal. Capucin. 1595.



IOsippe non credis, quantum me delectet factum P. Nicolai Auriloti Capucini. Hic ut advertit instare mortem, misit ad superiorem petens licentiam moriendi. Hoc nempe est obedientem esse usque ad mortem, ac naturæ debitum vertere in meritum. Idem fecit ex eodem Ordine P. Claudius Andegavensis A.D. 1620. Robertus Bellarminus ornamentum Ecclesiæ nostris temporibus, cùm in extremis à Gregorio XV. summo Pontificè inviseretur, summissè ab eo petijt, ut sua sanctitas facultatem sibi concederet, tamquam invalido & inutili amplius Ecclesiæ ministro, proficiscendi ad Christum in patriam. Hæc sunt stratagemata sanctorum, quibus lucra obtinuerunt meritorum.

Idem. Andr. Eud. in vita Bellarm. obijt 1621.

Et quantum est in morte quærere obedientiam? reperti sunt, qui etiam post obitum præstiterunt obsequium. Unus illorum erat B. Stephanus institutor Ordinis Grandimont. Hic cum ab obitu infinitis clareret miraculis, P. Prior sibi timuit, ne confluxus hominum quietem turbaret monasterij. Accessit ergo

Vinc. Bellov. specul. hist. l. 25. c. 50.

Digitized by Google

ſit ergo ad ſepulchrum, & ad defunctum converſus, *Serve Dei,* inquit, *tu oſtendiſti nobis viam paupertatis, & toto conamine docuiſti nos incedere per eam: nunc vero de arcta via ad latam & ſpacioſam tuis nos vis miraculis revocare: & qui prædicaſti ſolitudinem, foros & nundinas vis congregare. Non curioſitate ducimur, ut miracula videre velimus, ſanctitati tuæ ſatis credimus. Cave igitur ne de cetero miracula facias, quæ tuam extollant ſanctitatem, & noſtram deſtruant humilitatem.* Mirum: ab eo tempore nec unum ibi miraculum contigit, niſi quod Abbas defunctus viventi Priori paruit, quod omni miraculo maius eſt.

Antiquiſſima conſuetudo eſt, qua defuncti veſtiuntur. Etiam hîc ſancti quæſiverunt occaſionem augendi merita. Wilhelmus Epiſcopus Bituricenſis paulò ante obitum de veſtiario ſuo depromi iuſſit veſtes Epiſcopales, ex quibus elegit viliſſimas; quibus indutus mandavit ſe in cilicio ſuo humi poni, ubi & mortuus eſt. B. Gertrudis in morte præcepit ſororibus, utneq; de lana, neq; de lino veſtiretur. Sudario vix triobolari caput volebat involvi: corpus autem cilicio, ſuiſq; centunculis, quibus in vita ſolebat indui. Dicebat enim: *Superfluitatem nec vivis, nec defunctis prodeſſe.* Et certè iam noſti factum Pachomij, quo defuncti fratris veſtes ſplendidiores iuſſit à cadavere tolli & exui. S. Chryſoſtomus in vitæ exitu candida veſtiméta quæſivit, exutuſque prioribus ea ipſemet induit omnibus uſque ad calceamenta mutatis: reliqua præſentibus ipſe diſtribuit, ſumptiſq; cæleſtibus Sacramentis coram adſtantibus extremam orationem fudit dicens more ſuo, *Gloria ſit DEO omnium cauſa;* conſignanſque ſe in fine orationis, extendit ſpecioſos illos pedes (qui cucurrerunt ad ſalutem eorum, qui elegêre pœnitentiam) adiectus eſt ad patres ſuos excuſſo pulvere mortalis vitæ, atque migravit ad Chriſtum.

Surius in Ian. vita.

Bzov t. 14. & Surius tom. 2. Mart.

Vita Pachom.

Baron. tom. 5. annal. A. D. 407.

Multi ſæcularem vitam traducentes in morte veſtiri volunt habitu Religioſo. Numquid haud ita pridem ſecundo Danubio Viennam vehi vidiſti Mariam defunctam Imperatricem? Veſtita erat habitu Capucinorum. Subriſerunt aliqui, quod facilè ſit hoc modo etiam ad arctiſſimum ſtatum ac habitum tranſire. Ego autẽ redargui ipſos hac hiſtoria. Cum Marius à Foroſarzinio Capucinorũ octavus miniſter generalis in Picenis acceſſiſſet aliquando ad nobilem quemdam virum, ut ei quid ſolatij ſpiritalis impenderet in articulo mortis, in quo tunc erat,

A. D. 1646.

Bover in vita Marij. 1581.

Digitized by Google

coniunx morientis ab eo petijt, ut defuncto marito conferret habitum suæ Religionis: cognitam enim habebat sui viri vitam non sat laudabiliter actam, quocirca omnia media quæsivit, ut animæ prodesset. Non poterat Marius piæ matronæ desiderio deesse. Defuncto itaque habitũ sui Ordinis tribuit. Eadem nocte Capucinis vigilias ad funus agentibus duo grandes intrant molossi, simulque vox in aëre sonat: *Quid moras nectitis? nostra huius anima est: immo & corpus: diripite.* Cui altera vox: *Non possumus: Francisci nos habitus impedit.* Quod audiens Marius: *Cum*, inquit, *anima damnata sit, quid cadaveri cum sancto habitu?* Vix eum abstraxerant, & cadaver fœdum in modum à molossis discerptum, & gravi post se fœtore relicto, abreptum est.

Curandum in morte, ut anima potius veste nuptiali charitatis divinæ induatur; maiorem enim hæc defunctis corporibus gratiam præstat, quàm habitus quamvis Religiosus. Cur putas sanctorũ innumera corpora incorrupta post obitum mansisse? Balsamo charitatis inuncta per animam erant. S. Paulus eremita post obitum permansit genibus complicatis, erecta cervice, extensisq; in altum manibus, præbens speciem adhuc viventis atque orantis. In monte Amano prope Antiochiam repertus est in spelunca Anachoreta genibus flexis, manibusque in cælum porrectis cuius crines capitis ad pavimentum usq; extendebantur. Quem cum alter putaret vivere, prostratus ante illum ait: *Ora pro me pater.* Ipso verò nihil respondente, surgens propius illum accessit, ut salutaret eum & amplexaretur: sed tenens eum invenit mortuum. Quòd cum vicino seni annunciasset, intellexit iam à quindecim annis vita functum esse: & tamen cadaver in situ & vigore viventis perstabat. S. Franciscus Xaverius nec in calce computruit, ita charitas eum confirmarat. Ego pro mea parte instrumenta meorum scelerum post mortẽ libenter concedo diripienda vermibus, molossis ac belluis, & quidquid vim habet consumendi, rogans insuper DEUM ut eis nec in vita parcat. Exclamo proinde cum Pio V. *Auge Domine dolores, sed auge & patientiam,* ut tandem vel salvetur anima.

S. Hieron. in vita.

In Limon. Moschi. c. 89.

In eius vita.

Ioan. Anton. Gabu. & Cicarella in vita Pij.

Sanctissimi quique non sine ingenti pavore hinc discesserunt; non quidem mortis horrore, sed timore judicij divini.

Non timeo mortem, timeo quæ fata sequuntur.

Pelag. l. 3. n. 1.

Ait ille. S. Ammonis sententia est: Monachus debet sibi semper

Digitized by Google

per suspectus esse, & animam obiurgare dicendo: *Væ mihi quomodo habeo adstare ante tribunal Christi? & quomodo habeo ei actuum meorum rationem reddere?* Quis sanctior Arsenio? & tamen in morte cœpit flere. Fletus causam rogatus à fratribus, respondit: *In veritate timeo, & iste timor qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus.* Theodorus studita confessionis gloria illustris, ut voluntatem ultimam fratribus exposuit, *de cetero* inquit, *fratres valete: iter enim ingredior, unde reditus non patet, quod omnes ab ævo ingressi sunt, quod & vos postmodum hac vita peracta ingressuri estis. Ignoro autem fratres mei, quò pergam, & quale judicium me maneat, aut quisnam me locus excipiet: opus enim bonum in conspectu DEI nullum egi, nec unum quidem: at contrà reus sum omnis peccati.* S. Agatho inter nominatissimos patres non postremus moriturus interrogatus à fratribus est num timeret? Quibus respondit, hactenus elaborasse se pro viribus, ut divina mandata observaret; cum tamen homo sit, ignorare se an grata fuerint opera sua, cum aliter judicet DEUS, aliter homo. Tres integros dies in morte iacuit oculis quidem apertis, sed immotis. Fratres autem tangentes eũ dixerunt: *Vbi nunc es Abba?* At ille dixit: *In conspectu judicij Dei sto.* Ruffin. l. 2. vitt. PP. n. 163 Baron. A. D. 826. S. Doroth. doctr. 2. & 5.

Væ nobis Iosippe, qui consumpsimus dies nostros in peccatis & iniquitatibus! Si tantæ columnæ contremuerunt ex consideratione judicij divini, quid fiet nobis? *Heu heu frater*, dixit P. Constantinus à Salvatore post mortẽ vni de Capucinis, *quàm districta Dei judicia sunt, atq; ab hominum sensu & sententia remota! quæ enim viventibus plerumq; virtutes censentur, ab infallibili DEO inter vitia numerantur.* Ad Iosephum de Leonissa intravit aliquando defunctus frater. Quo viso Iosephus ait: *Nonne tu nuper mortuus es? Quid exigis? aut quis tuarum rerum status?* Cui ille magno suspirio: *O Joseph*, inquit, *si quàm severa omnium quæ fiunt, à Deo in morte, ratio exigatur tibi perspectũ foret.* Iterũq; altius, & ex imo suspirans: *O Joseph, Joseph*, inquit, *si quàm difficilis ad salutem sit aditus plane intelligeres.* Nec plura adjecit, sed imperfecto sermone in auras abijt, vel forsan ad ignem purgativũ. Bover. A. D. 1586. Idem 1612.

Hæc legimus; vix tamen credimus. P. Dionysius à S. Ioanne ab obitu apparuit P. Clementi Apricinensi, à quo rogatus, Vtrùm DEI judicia usqueadeo formidabilia sint ac rigida, sicut dicitur? Cui ille: *Ne dubites*, inquit, *nihil rigidius excogitari potest.* Et ut in rem præsentem te ducam, narrat Boverius. Idem 1608. Idem 1581.

us. Saone, inquit, in Liguria A. D. 1581. F. Bernardus Genuensis conflictabatur in agone cum satana. Objiciebat hic ei violatam paupertatem, quod plus lini cerati de nocte consumpsisset, quàm necessitas exegisset. Interim præsentes fratres pro ipsius salutè recitabant letanias: ipse verò ad singulas sanctorum invocationes nil aliud respondit, quàm, *Tam modicum, tam modicum, tam modicum?* idque cum ingenti stupore mentis. Mirantibus fratribus, &, cum ad sese redijsset, quærentibus, Quid his verbis voluerit? Ad judicium, inquit, stabam, in quo dæmon accusator, postquam ex omnibus lini frustulis, quæ absque necessitate combusseram, ingens volumen cõposuisset, illud mihi gravissimè obiecit, & tamquam reum læsæ paupertatis coarguit. Non poteram satis mirari tam levia examinari tam severè, inde erupi in verba, dixique *Tam modicum, tam modicum, tam modicum.*

Idem 1588. In morte P. Aurelij Mediolanensis adfuerunt 12000. dæmonum, qui cùm in ipso nihil accusatione dignum reperirent, tandem objecerunt ei violatam paupertatem, quòd fornacem curaverit instrui ex laminis seu patinis fictilibus, cùm sufficisset crudum lutum. Alius ex eodem Ordine Capucino-
Idem 1590. rum in morte cœpit horrendum exclamare. Accurrit Guardianus, & quid hic sibi clamor velit interrogat? Respondit frater: *Satan adest, & indicit mihi damnationem, eò quòd scopas, quibus mundabam Ecclesiam, in ignoto loco reposuerim, hinc me pro-*
Idem 1603. *prietarium appellans.* Jussus autem aperire locum quievit. Quidam senex frater ejusdem instituti cùm post nocturnam synaxim in hieme descenderet in coquinam, ut sese calefaceret, offendit ibi duos velut culinaria mancipia, qui prunas vivas ferreis rastris dispergentes parabant locum tertio, qui fratrem veru infixum humeris inferebat in craticula super prunas torrendum. Horruit senex, & abituriens detentus ab uno est, atque interrogatus, num fratrem agnosceret? Non, inquit senex. Præfectus, ait ille, culinæ erat, ac ligna non observata lege paupertatis nimis profusè comburebat. Qua de causa tamdiu ex divino judicio ustulandus hoc loco est, donec novissimum quadrantem exolverit.

Pelag. l. 3. n. 26. Non sunt nugæ, Josippe, quòd Abbas ille post mortem ad vitam reversus respondit interrogantibus, quid in altera vita comperijsset, Audivi vocem lugubrem sine cessatione dicen-

tem,

Digitized by Google

tem, *Væ mihi, væ mihi.* Si justus vix salvabitur, ego & mei similes ubi parebimus? S. Gertrudis aliquando Christum rogavit, ut vellet supplere omnes negligentias, quas in Religione commiserat. Quam ille suscipiens Deo Patri suo præsentavit in tunica Religionis: tunica autem hæc videbatur ex tot partibus distinctim composita, quot annos vixerat in Religione; ita quod inferior pars tunicæ reputabatur pro primo anno, secunda pro secundo, & sic deinceps usque ad annum in quo tunc erat. Videbaturque tunica illa ita expansa & extensa, quod nullius omnino plicæ umbra quidquam in ea contegere poterat; sed in quolibet anno distinctim apparebant annotati omnes dies & horæ, & insuper singulæ cogitationes, verba & opera tam bona, quàm mala, quæ in illo anno peregerat de die in diem, de hora in horam, de cogitatione in cogitationem, de verbo ad verbum, de opere ad opus; & quid singulis factis & verbis suis intenderat, utrùm scilicet DEI laudem, & animæ suæ profectum, aut humanum favorem, vel alicuius damnum: quid etiam in quolibet commodo vel abstinentia, vel quocumque opere ex pura obedientia, quidve ex propria deliberatione perfecerat. Ubi autem in aliquo opere sibi blandita fuerat, quasi ex obedientia illud fecisset, quod magis ex propria deliberatione sibi à Magistratu obtinuerat permitti, aut per aliquam callidam occasionem extorserat sibi mandari; talia nimirum opera obedientiæ apparebant in illa tunica velut quædam gemmulæ luto fragili infixæ, quæ nutantes & quasi casuræ vix poterant hærere. Atque hæc est illa tunica S. Gertrudis, quam Christus purgavit, ut splenderet sicut lamina aurea splendidissima. Sed cùm retorqueo oculos ad me, & meos annos Religionis, DEUS bone, qualem tunicam in me conspicio! Cogitationes, verba & opera, dies, horæ ac momenta fœtent, sordent, horrent etiam mihi nunc per velum carnis meæ: & quomodo sordebunt atque horrebunt, quando velo ablato, ea anima videbit in se? Timeo Magnum Basilium non frustra dixisse: *Inter Monachos paucos salvari.*

Bredenbach. collat. sacr. l. 8. c. 26.

Et verò sententiæ huius oculatum testem profero P. Pacificum Fanestrem ex Ordine Capucinorum. Hic referente Boverio, positus aliquando in extasi, vidit non solùm hominum sæcularium, verùm etiam Religiosorum animas velut pluviæ guttas ad Orcum descendere. Si his amariora cupis, Animæ sæcu-

S. Basil. de abdicat. rer. fol. 145.

Bover. 1566.

Ruffin. sup. 205.

sæcularium ab Abbate Silvano visæ sunt salvari, Religiosorum damnari. Cùm enim fortè sederet in spelæo suo, factus in extasi pendebat in faciem suam. Et post aliquot horas surgens plangebat vehementer. Adstans autem discipulus eius dixit ei: Quid habes Pater? At ille tacens plangebat: Cùm autem compelleret eum discipulus, ut diceret ei quid plangeret, dixit ei: *Ego ad judicium raptus fui, fili, & vidi multos de habitu nostro monachili euntes ad supplicium, & multos laicorum euntes in regnum Dei.* Et hæc dicens senex lugebat graviter. O Joseph, Joseph si hoc factum est Silvani temporibus, quibus status monasticus florebat sicut palma, quid erit quando status hic Angelicus arescet sicut virgultum.

Capucinus ille non sine socijs est, qui A. D. 1612. quo habitum sanctum ego accepi, ille deposuit. Vt in vita nomen sibi conciliaret inter suos, maximè superiores, multā probitatem simulavit. Vacabat quoque nocturnis precibus, sic ut ad Matutinum etiam lassus à via surgeret, cùm esset ipsi licentia dormiendi. Quibus de causis non semel ad officia ac dignitates pervenit, ad quæ intus unicè aspirabat. At quid tam occultum, quod non suo tempore revelatur? Contigit, ut in valetudine sat acri corriperetur: monitu proinde suorum, quasi sacra confessione mentem expiaturus, patrem sibi præ alijs familiarem accersivit. Quo præsente, & expectante æger ad eum dixit: *Cùm de salute mea sit actum, nolo confiteri: obsecro te tamen, ut fratribus interrogantibus dicas me esse confessum.* Cui Pater: *Quid ita? an times mihi aperire conscientiam?* Et ægrotus: *Quid opus est confiteri, cùm actum sit de salute animæ meæ?* Ad quod Pater multis eum hortari, ut spem in DEUM poneret clementem, benignum & misericordem: fontem gratiæ fluere omni viventi, & alia plura. Sed æger ad omnia surdus & induratus, *Frustra est*, ait, *Iusto DEI judicio condemnatus sum.* Etenim tot jam annis internis deditus vitijs inanem gessi speciem probitatis; nec umquam verè confessus sum. Hinc iram DEI in me concitavi, sic ut nec possim confiteri; nec si confiterer, acceptum DEO esset. Simulque linguam morsu in frusta dissecuit, horrendumque clamavit: *O lingua maledicta, cui semper grave erat aperire mea crimina!* Iustam proinde nunc DEI vindictam experire discecta in partes. Quibus dictis, frustula linguæ cum sanguine expuit, atque inter absonos clamores animam ejecit. Sed

Bover. 1612.

Digitized by Google

Sed video me à tramite aberraſſe, dum ſcripturus de morte juſtorum ad injuſtorum deflexi at præſtat etiam horum noſſe: multi enim magis ducuntur timore, quàm amore.

EPISTOLA CXVIII.

De iis, quæ poſt obitum ſunt exhibenda defunctis.

DEfunctorum olim corpora communiter ſolebant lavari, ut docet nos Ephaim in elegantiſſimo ſermone, quem habuit in ſanctorum omnium Monachorum feſto, quod feſtum utinam in noſtro quoque Orbe celebraretur, aut ſaltem tranſiret in Sanctos cujuſque Ordinis particularis. Per ablutionem cadaverum detecta ſancta fraus eſt illarum feminarum, quæ negantes ſexum inter Monachos ſanctiſſimè vitam tranſegerunt, qualis fuit Theodora, Marina, Pelagia, Euphroſyna cum alijs. Apud Chriſtianos hodie hæc ablutio plerumque expiravit, credo ut ſtuderetur pudicitiæ: horrent enim pudici in vita, ut poſt vitam nudentur, quod etiam de unctione cadaverum cenſeo, quæ Sanctis adhibebatur quondam, ut in teſtamento ſancti Ephraimi, in vita S. Pelagiæ, ac tandem de Chriſto legis in Evangelio. Veſtiri ſe tamen omnes cupiunt, aut ſaltem obvolvi linteo. Multi priuſqnam moriantur ſeipſos veſtiunt, ne mortui inhoneſtè denudentur. S. Hieronymus arguit ſplendorem veſtium in defunctis: & meo judicio prudenter, niſi Sanctis adhibeatur, ſicut S. Macrina ſplendidè veſtita fuit, ſanctuſque Marinus Martyr ab Aſterio Romano ſenatore.

Ioan. Diacon vita S. Pelag. Ioan. 16. Metaphr. 15. Nov de S. Abibo mart. S. Hier. vita S. Pauli c. 14. S. Greg Nyſſen. de S. Macrin. Euſeb. l. 7. hiſt. c. 17.

Poſtquam cadavera vel lota, vel uncta & veſtita, vel obvoluta ſunt, efferuntur ac tumulantur Chriſtiano more. S. Arſenius interrogatus à diſcipulis, *Quomodo velit ſepeliri?* reſpondit: *Numquid neſcitis funem in pedibus meis mittere, & ita me ad mortem trahere?* S. Antonij de hac re poſtrema voluntas erat. Siqua mei vobis cura, inquit, ſiqua patris memoria eſt, ſi mihi vicarium repræſtatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore ſervetur, ne vituperati, ut noſtis, à me ritus etiam circa me ſerventur obſequia. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpuſculum, & illud quoque ſenis veſtri cuſtodite mandatum, ut nemo præter veſtram dilectionem locum tumuli mei noverit.

Ruffin l. 2 vitt. PP. n. 163

In vita c. 58.

S. Epha-

Digitized by Google

S. Ephraim etsi se humillimè & negligentissimè offerri mandaverit; voluit tamen adhiberi Psalmos. Antiquissima hæc in Ecclesia consuetudo est. De virginibus Tabennensibus Palladius ait: Si virgo obierit, reliquæ virgines cùm eam ad sepulturam concinnaverint, efferunt, & eam ponunt ad ripam fluvij. Traijcientes autem fratres cum psalmis & ramis olivæ, & psalmodia, eam transmittunt, & in suis monumentis sepeliunt. Abbas Zosimas ad reliquias B. Mariæ Ægyptiacæ lacrymans aliquamdiu, & psalmos dicens tempori & rei congruentes, fecit sepulturæ orationem. Psalmis addebantur hymni: causam S. Chrysostomus exponit. Quid etiam hymni? inquit. Nonne ut Deum glorificemus, eique gratias agamus, quod iam coronavit discedentem, quod à laboribus liberavit, quod à timore liberatum apud se habet? Nonne propter hoc hymni? nonne propter hoc psalmodia? Omnia illa gaudentium sunt. Ita sancta Pelagia cum cereis, lampadibus & hymnis in sepulchrum illata est. In Concilio Toletano III. præcipitur, ut tantummodò Religiosorum corpora cum psalmis & psallentium vocibus ad sepulturam deferantur. Nonnumquam funus haud rectà, sed hinc inde cum pompa per plateas ad tumuli locum ferebatur, qui honor fiebat Sanctis, sicut & orationes funebres. S. Macrinæ reliquias tulerunt S. Gegorius Nyssenus & Araxius Episcopi cum duobus præcipuis è Clero.

Sup. ep. 116. Pallad. c. 39. Sophron. in vita Mariæ Ægypt. S. Chrysost. hom. 4. in ep. ad Hebr. Ioan. Diacon. sup. A. D. 589. can. 22. Greg. Nyssen. sup.

Sepulchris subinde inscribuntur Epitaphia. Hadrianus VI. hoc sibi fecit. *Hic situs est Hadrianus VI. qui nihil sibi in vita duxit infelicius, quàm quod imperaret.* Quod si Antistites considerarent, ad resignationem neutiquam essent compellendi; sponte onus deponerent. Anno salutis 1565. inventum est in sepulchro B. Menendi canonici regularis & Prioris S. Salvatoris de Ribas hoc Epitaphium. *Hic jacet D. Menendus huius monasterij Prior, qui numquam dum vixit pedem movit nisi ad obsequium DEI.* Posses dubitare de rei veritate, nisi post quadringentos annos à morte ipsius tumulus apertus fuisset, & visum, toto corpore in cineres resoluto solos adhuc pedes & crura mansisse incorrupta & carne quasi animata; quin & in calceos ac caligas gratia hæc manavit. Ante annum cùm pestis apud nos immaniter sæviret, & nemo sibi vel horam vitæ polliceri posset, ego periculo expositus (nam parochus eram) hoc mihi epitaphium composui.

Onuphr. Panvin. de Hadr. VI. Gabr. Pennot. l. 2. hist. tripart. c. 61. n. 3. A. D. 1645. & 1646.

Nebri-

Nebridius jacet hîc
Ante, in, & poſt partum
Peccator:
Ante, in, & poſt vitam
Pudor:
Ante, in, & poſt mortem
Nihil.

Et reverà optabam eſſe ſexcenteſimus: durante enim lue tumulaveram 599. in tantillo territorio: nec id primum merueram ſtipendium in hac periculoſa militia, ſed aliàs quoque in eam eram allectus. Verùm ad rem. A.D. 1628.

Curato funere, defuncto iuſta perſolvenda ſunt. B. Arſenius ſuis in fine mandavit: *Nemo ſuper me faciat charitatem niſi in ſola oblatione.* Idem flagitavit S. Monica. Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque, nihil vos eius cura conturbet, tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis. S. Ephraim rejecta omni funebri gloria petijt tamen pro ſe fieri oblationem in altari. Qua re quid aliud ſignificavit; quàm verum eſſe quod S. Macarius in ſuis Homilijs ſcribit, Neque ſe, neque ullum alium in hac vita eſſe ex toto perfectum, immunemque à peccato? Si ad impaſſibilitatem & impeccantiam dum vivimus pervenire poſſemus quàm optabile foret; ſed hunc Stoicum errorem refutant SS. PP. Paſſiones omnes vincere, ait S. Chryſoſtomus, unum ex impoſſibilibus eſt. Et S. Auguſtinus, non eſſe huius vitæ, docet, apathiam ſeu inſenſibilitatem. Poteſt quidem contingere, ait S. Macarius, & ſæpe contingit, ut in quibuſdam fratribus tantam deprehenderimus lætitiam, & gratiam, dum faſſi ſunt ſe per quinque aut ſex annos nulla carnis titillatione fuiſſe motos, adeoque carnis concupiſcentiam in ſe exaruiſſe. At ubi ſe putarunt in ſumma tranquillitate poſitos, repentè ſtimuli adeò ſævi prodierunt, ut præ ardore carnis obſtupefacti quærerent unde potuerint in tantam infirmitatem relabi. Nemo ergo dicat, Liber ſum à peccatis, hoc eſt à paſſionibus in peccatum inducentibus. Deus ſolus impaſſibilis eſt, & hi qui dicunt ſe peccatis carere & paſſionibus ijs plerumque referti ſunt, ut præ multitudine ſua peccata non ſentiant. Itaque

Ruffin. ſup. S. Aug. l. 9. Conf. c. 11. Sup. ep. 116 S. Macar. hom. 8. Clem. Alex. l. 4. Strom. fol. 476. S. Greg. Thaumat. paneg in Orig. Euſeb. l. 4. de monſtr. c. 19. & l. 5. c. 17. S. Chryſoſt. l. 6. Sacerd. c. 9. S. Aug. l. 14. Civit. c. 9. S. Macar. hom. 17. Idem hom. 16.

Digitized by Google

quia passionibus obnoxij sumus, nec scimus utrùm non subinde ijs in aliquo consenserimus, oblatione sacra post mortem indigemus, ut alia prætermittam.

Borer. 1602. Frater quidam de Capucinis supra modum pius A. D. 1602. defunctus est, pro quo cùm Concionator loci, cujus longo tempore socius fuit, nullum sacrum legeret, credens tam sanctam animam rectà migrasse ad cælum, ei post octiduum frater apparuit dicens, *O Theologe, Theologe!* & addito nomine, *Cur,* inquit, *non studes charitati?* Concionator territus hac voce quæsivit quis esset? Et anima: Vocem tui socij non agnoscis? Credebam, ait pater, te rectà via ivisse in cælum, & adhuc in purgatorio es? Et vox: Alia, inquit, sunt hominum, alia sunt judicia Dei. Longè hæc illis iustiora sunt ac subtiliora, ut quæ summo rigore etiam levissima judicant. Et ut noveris, *Tu es qui me hactenus in pœnis tenuisti. Nunc in salvo essem, si pro me sacrificasses.*

Idem. Anno Domini 1599. cùm Herbæ fratres Capucini de nocte Matutinum recitarent, auditus est in Ecclesia magnus eiulatus, quasi languentis hominis. Facta adjuratione cùm sacerdos nomen quæreret, causamque fletûs, respondit anima: Quid exposcis nomen quod exprimere non queo? De purgatorio sum; gravissimè crucior. *Missas peto, Missas peto, Missas peto.* Pro qua cum insequenti die Missæ legerentur, nocte altera voces angelicæ sunt exauditæ, inter quas anima ter dixit: *Fratres gratias habeo; in cælum, eo.*

Idem 1608. Apud eumdem auctorem, qui hoc scribit, alia quædam anima triginta Missas petijt, quibus intra triduum lectis salutem consecuta est: neque enim semper una Missa extinguit flammas alterius vitæ. Hinc introductum est antiquitus ut sæpius pro uno defuncto fieret oblatio. Palladius ait Chronium Monachum venisse in monasterium, cùm pro defuncto Eulogio celebraretur dies quadragesimus, pro paupere, quem aluit, tertius. S. Ambrosius ait, alios observare tertium & trigesimum depositionis diem, alios septimum & quadragesimum. De suo fratre Satyro ait: Die septimo ad sepulchrum redimus. S. Isidorus Pelusiota: Quacumque diei hora, inquit, quisquam moritur, altero post die tertianum ipsius diem agimus. Trigesimum sibi celebrari S. Ephraim voluit. Anniversarium pro solis Abbatibus præscribit Concilium Aquisgran. quod etiam nos pro

[Margin notes: Pallad. c. 26. — S. Ambr. orat Funebr. Theodosij. — Idem orat. fun. 2. Satyri. — Isid. Pelus. l. 1. ep. 114. — Sup. ep. 116. — A. D. 817. c. 73.]


Digitized by Google

pro defunctis Præpoſitis obſervamus, donec ſucceſſor vivit. Alioquin Abbates olim etiam dum vivebant celebrabant ſuum anniverſarium, ſed conſecutæ dignitatis, ſicut Epiſcopi ſuæ ordinationis: at hoc fiebat non in comeſſationibus & ebrietatibus, ſed in orationibus & eleemoſynis, ut exemplum habemus in S. Auguſtino, qui in anniverſario ordinationis ſuæ pauperes cibavit pane frumenti, divites in Eccleſia pane doctrinæ cæleſtis.

In vit. S. Euphroſ. 1. vitt. PP.
S. Aug. ſerm. 32. Verb. Dñ. & hom. 24. & 25.




Digitized by Google



ANTIQVARII MONASTICI HEGUMENARCHIUM.

EPISTOLA CXIX.

De Officio Prælati.



ADest hora silentij, tempusque studijs debitum; ne nostris collocutionibus quietem fratrum turbemus, Josippe, exeundum de clausura est. Bibliothecam quidem ostendere volebam; sed maiori cum fructu libri audiuntur, quàm aspiciuntur. Ergo divertimus ad *Hegumenarchium,* habitationem scilicet Prælatj seu Abbatis, quem Græci posteriores communissimè vocant *Hegumenum*, arbitror ex Michæa Propheta apud S. Matthæum dicentem de Christo: *Ex te enim exiet dux* (Græcè Hegumenus est) *qui regat populum meum Israël.* Rectores ergo & duces monasteriorum *Hegumeni* dicuntur, sicut & ipsorum dignitas *Hegumenεία*, ut in octava synodo generali reperies.

Ita loquitur Anastas. in Hadriano I.

Mich. 5. Matth. 2.

Alioquin ab antiquissimo usu Præfecti Monachorum *Abbates* appellantur. De Tabennesiotis refert S. Hieronymus quòd amplissima cœnobia habuerint ex 30. vel 40. domibus cõstantia, in quarum unaquaque fratres erant 40. plus minus sub Præposito cuiusvis domus. Tres autem aut quattuor domus efficiebant tribum: toti autem monasterio, cunctisque tribubus & Præpositis præerat *Abbas.* Simili penè modo numerosiores

Can. 4. S. Hier. præfat. reg. ad Pachom.

ſiores congregationes ſuas S. Benedictus juſſit in *decanias* dividi ſub regimine univerſali Abbatis, quod nomen ait eſſe deſumptum ex epiſtola S. Pauli ad Rom. 8. *In quo clamamus Abba, Pater*, & ſignificare Chriſtum, cuius perſonam Abbas gerit. *Abbas*, inquit, *quia vires Chriſti agere creditur, Domnus & Abbas vocetur*, hoc eſt *Pater*. Quæris enim, ait S. Auguſt. *quid ſit Abba?* Reſpondetur tibi *Pater:* nam Abba nomen Hebraicum eſt, Latineque dicitur Pater ex S. Hieronymo, qui etiam memorat quomodo ſuo tempore cœnobitæ diſtributi fuerint per decurias & centurias, & qualiter novem fratribus decimus, decemque talibus Præpoſitis centeſimus, & omnibus omnino præfuerit *Pater*, ſeu Abbas, tamquam ſummum caput & Præfectus. Quod iiſdem ferè verbis S. Auguſtinus tradit de moribus Eccleſiæ Catholicæ. Atque hinc etiam Monialium Præfectæ Abbatiſſæ vel Matres nuncupantur in hodiernum uſque diem.

S. Bened. reg. c. 21. Idem c. 2. Idem c. 63. S. Aug. ſerm. 13. verb. Apoſt. c. 14. S. Hieron. ſup Idem c. 22. c. 31. In epp. S. Greg.

Non ignoro tamen Abbatis & Patris nomen ſubinde collatum eſſe Religioſis ſubditis propter reverentiam vel ætatis, vel dignitatis, vel ſanctitatis. Id paſſim occurrit in S. Ephraimo & Palladio. In epiſtola Conſtatini Pogonati ad Donum Papam petit Imperator, ut ex ſingulis monaſterijs Byzantinis Romæ mittantur ad concilium quattuor Abbates, nempe Monachi ætate, gravitate, ſanctitateque conſpicui. Sic ubi dicit Hadrianus Pont. ad Taraſium, Petrum Monachum & presbyterum atque Abbatem, Græcus interpres habet, Πέτρον τὸν ἀββᾶν πρεσβύτερον, καὶ ἡγούμενον. Denique in Limonario Theodorus Æliota incluſus nominatur Abbas. Nomen Patris hodieque datur à ſæcularibus omnibus penè Religioſis ſacerdotibus, ut antiqua omittam. Hoc miror, quomdo Pontius Cluniacenſium Abbas ad tantam inſolentiam aſcenderit, ut in publico concilio Romano ſe *Abbatem Abbatum* inauditâ nomenclaturâ appellaverit. Id quod meritò Ioannes Caietanus ex Monacho Caſſinenſi Papæ Cancellarius graviter accipiens Pontium interrogavit, Cluniacenſes à Caſſinenſibus, an hi ab illis Regulam acceperint? Ad quod cùm Pontius reſpondiſſet, omnes regulam accepiſſe à Caſſinenſibus, intulit is: Ergo meritò Caſſinenſi tribuendum, ut *Abbas Abbatum* nominaretur.

S. Ephr de cōpunct. & de humil. acquir. c 71. & ſerm. aſcet. Pallad. prol. & de Nathanacle. In concil. Oecum. VI. In concil Oecum. VII. act. 2. In prat. ſpirit. A. D. 1116.

Ponti, Abbatem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis, quaſi unus ex ipſis. Si tam periculoſum eſt Abbatem eſſe,

quanto in periculosiori loco erit Abbas Abbatum? Si nescis quantæ difficultatis sit Abbatis munus rectè obire, lege Regulam tuam, lege Magnum Gregorium, lege & cognominem Theologum. Non caret periculo regimen animarum: nec sine causa dixit S. Bernardus: *Rara avis, bonus utilisq; pastor.* Non omnes Gualberti sunt, qui quod alios docent, ipsi primi perfectè faciunt. Franciscum de Paula pauci imitantur; hic enim fratribus suis comedentibus ministravit, Ecclesiam proprijs manibus verrit, altaria mundavit, & vestimenta etiam novitiorum lavit. Quot S. Leonardum imitentur ignoro, qui habitu & meritis cunctis se viliorem exhibuit. Si mores nostros, & statuta Patrum confero, non leviter à Prælaturis abhorreo. In primo concilio Ravennate dirissimè flagellatur luxus Prælatorum in convivijs; mandatur proin ut pro eo pauperes alant, & quidem quotidie, sicut postea determinatum est. In synodo Parisiensi graviter objurgantur Abbates, quòd non cum suis Monachis, sed cum laicis & familiaribus conviventur, quod quàm abhorreat à disciplina antiqua, maximè S. Augustini; & quomodo ex hoc murmura & alia mala nascantur diligenter exponitur. In generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Superioribus sub pœna suspensionis præcipitur, ne usque ad medietatem noctis intenti comessationibus aut interdiu collocutionibus cum laicis chorum aut matutinum negligant. Aquisgrani mandatur Abbatibus, ne Monachos suos in veste, cibo, & potu excedant: item ne villas suis Monachis committant, aut ad easdem crebrius eant. Si ierint (addit Concilium Oecumenicum VII.) ut feminæ interim extra conspectũ illorum existant, & in loco separato donec abierint. Canes tam ad venandum, quàm ad jocandum, ut ait Leo IV. quoties ipsis prohibiti sunt? Concilium Matisconense nec custodiæ causa eos ipsis admittit. *Custodienda est habitatio Monachorum,* inquit, *hymnis, non latratibus: operibus bonis, non morsibus venenosis.* Et quis enumeret omnes leges, quæ pastoribus animarum à scriptura divina, Patribus & Concilijs posita sunt? Omnium harum exigetur ratio in judicio Dei.

Reg. S. Ben. c. 2. S. Greg. l. 9. ep 8. & part. 2. de cur. past. S. Greg. Naz. orat. 1. S. Bern. ep. 248. Surius in vit. Gualb. Bern. epist. Lodov. in vita. In vita. A. D. 1286. rubr. 2. Conc. Raven. II. rubr. 30. A. D. 1311. A. D. 817. c. 21. A. D. 1215. c. 17. A. D. 817. c. 25. & 26. Can. 18. Baron. A. D. 855. n. 33. Concil. Tolet. 17. VVorm. c. 17. Suession. Later. A. D. 1215. & 1179. Matiscon. II. can. 13.

Non possum silentio præterire, quod successori mandavit S. Theodorus Studitarum Abbas, invictissimus Christi Athleta, magnus confessor ac defensor sacrarum imaginum, columna Ecclesiæ, Regum terror, sol Orientis. Non erogabis, inquit,

Baron. A. D. 826.

inquit, in tuos olim ſecundum carnem aut propinquos, aut amicos, aut ſodales ex proprijs monaſterij rebus quidquam, nec vivens, nec poſt mortem eleemoſinæ, vel hereditatis nomine: neque enim ex ſæculo es, ut conſortium habeas cum ſæcularibus. Non ſtatues tibi diverſorium, in quo ſint etiam mulieres, ſed apud religioſos viros potius diverſare, & tranſitoria viæ ſubſidia capere ſtudebis. Non habebis in cella tua diſcipulum adoleſcentem, quo afficiare, ſed miniſteria tua obeant diverſi fratres, & minimè ſuſpecti. Non uteris veſtimento elaborato & pretioſo, præterquam ſacerdotali; ſed humilibus patrum exemplo indueris & calceaberis. Non eris delicatus ac lautus, neq; in privato ſumptu, neque in hoſpitum receptione tamquam ea cura diſtraharis: Hoc enim proprium vitæ voluptariæ eſt.

Dic obſecro Joſippe, utrùm leges duodecim tabularum his meliores eſſe potuerint? Sed opus Catone eſſet, ut etiam in opere eſſent. Hadrianus IV. tanta conſcientia & religione tractavit bona Eccleſiaſtica, ut in propinquos nec obolum ex ijs erogaret: matrem egentem ſuſtentandam reliquit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ. Prælatis nec omnia licent, nec expediunt. Eorum prima lex eſt, regere ſemetipſos; hanc qui non obſervat, reus eſt omnium. *O quàm præſumptuoſa temeritas!* exclamat Nicolaus Papa. *Ille præponitur ovili divino, qui neſcit adhuc dominari ſpiritui ſuo.* Quàm bene S. Chryſoſtomus: ὁ γὰρ ἑαυτοῦ μὴ δυνηθεὶς ἄρχειν, πῶς ἂν ἑτέρους δυνηθείη κατευθύνειν τοῖς νόμοις; Qui ſemetipſum regere nequit, quomodo reget alios? cum non ſemel contingat, ut etiam optimi religioſi ad aliorum regimen ſint ineptiſſimi. Multos novi, ait idem aureus orator, qui omni ſe tempore incluſerunt, jeiunijſque conſumpſerunt, probabiles coram DEO inventi, quouſque ſolis eſſe licuit, ſuaque curare qui etiam non exiguam partem ſingulis diebus ſuo philoſophico profectui adiecerunt. Hi poſtquam in publicum progreſſi multorum inſcitias emendare debuerunt, vel in principio impares inventi ſunt; vel demum abiecta ſua priori auſteritate, ſibi ipſis maxima damna; alijs verò omnino nihil boni cõtulerũt.

Idem A. D. 1159. n. 23.

Epiſt. 2. ad Mich. Imperat.

S. Chryſoſt. comparat. Regis & Monach.

Idem lib. 3. de ſacerdot. c. 15.

Si in Prælaturis pij deficiunt, quid fiet impijs & imperfectis? Et tamen teſte S. Gregorio, *culmen Prælationis plerumq; accipiunt, qui in charitate Dei & proximi perfecti non ſunt.* Ita DEUS ſolet ſubinde temporali hac felicitate vel remunerari talibus ſua bona facta, vel caſtigare ſubditorum peccata. Cum

S. Greg. l. 4. c. 5. in 1. Reg. 10.

videris

S. Anast. Sinait. in Psal. 6 v. 16.

videris, ait S. Anastasius Sinaita indignum aliquem & sceleratum Regem, aut Principem, aut Magistratum aut Episcopum, ne mireris, neque DEI accuses providentiam: sed disce, & crede, quod propter nostras iniquitates tradimur eiusmodi tyrannis, & ne sic quidem à malis abstinemus.

Fuit quædã civitas in Thebaide iniqua, & quæ multa faciebat scelerata, & execranda; in qua vir quidam perditissimus in populo per falsam quamdam compunctionem repentè tonsus fuit, & monasticum induit habitum; minimè tamen cessavit à sceleratis actionibus. Accidit ergo ut decederet Episcopus civitatis. Cuidam autem viro apparuit Angelus dicens: Vade & fac, ut civitas Episcopum eligat plebeium, illum qui illic habitat. Abiens ergo fecit, quod iussus fuerat. Ille autem ex infimo vulgo electus cœpit apud se elatus esse, sibiqùe valde placere. Accedens autem Angelus Domini dicit ei: *Cur superbis & magnificè tibi places ô infelix? Reverà non tamquam dignus sacerdotio factus es Episcopus: sed quia hæc civitas tali digna erat Episcopo.*

Idem cit.

Nemo sibi placeat de sua dignitate: quia scire non possumus, quo DEI judicio ad eam pervenerimus. Quando Phocas tyrannus factus fuit Imperator, & per Bosonem lictorem cœpit facere sanguinis effusiones, quidam Monachus in civitate Constantinopolit. vir sanctus, & qui ad DEUM habebat magnam fiduciam, cum DEO disceptabat dicens in simplicitate: *Domine, cur eum fecisti Imperatorem?* Quod cum permultis diebus dixisset, vox ad eum venit à DEO dicens: *Quoniam non inveni peiorem.*

A. D. 1623.

Judica nunc, an malè inter summa beneficia collocem, quòd Prælaturas effugere potuerim? Sæpe recordor fratris mei Alypij, qui, cùm aliquando periculum hoc evasissem, familiariter mihi dixit: In hoc à DEO me singulariter amatum esse. Ita est. Periclitatur Prælatus aliorum exemplis: periclitatur varijs occasionibus: periclitatur fragilitate naturæ, sed maximum periculum imminet ex reddenda ratione tam pro sua, quàm subditorum animabus. Et utinam non singuli asses ad tribunal summi Judicis examinarentur, an è re cœnobij fuerint expensi. Supra modum terret me exemplum Joannis Præpositi monasterij S. Gregorij ad Clivum Scauri, qui cùm nec vitam, nec officium sat bene gereret, deditus luxui, libidini, &

Ioan. Diac. l. 4. vit. S. Greg. c. 86.

proprie-

proprietati, Magnus Gregorius Monacho cuidam de nocte apparuit dicens: Surge & dic Præpoſito, ut pœnitentiam agens peculium ſuum, quod congregare non puduit, pro peccato conſcientiæ ſuæ diſpergat, quia die tertia funditus extinguetur è vita. Quod Præpoſitus vehementer, ut audivit, expavit: & quia mandato Gregorij incredulus eſſe non poterat, pœnitentiam cœpit, cunctaque ſua ſanus diſtribuens tanto febris ardore correptus eſt, ut à diluculo diei tertij uſque ad horam tertiam ingenti fragore præ incendio linguam ab ore proijciens ultimum flatum protraheret. Quem presbyteri tam duriter laborare videntes deputatis illic Monachis, qui cum pſalmodijs eius exitum commendarent, ipſi pro eo ſtuduêre omnipotenti Deo ſolemnes hoſtias immolare. Sed Monachi pſalmodiam deſerentes, non timuerunt inter ſe morienti fratri detrahere. Interim presbyteri à Miſſarum ſolemnijs redeunt, utque vident ægrotantem paulò melius habere, eum de nomine inclamant. Mox ille oculos ſubridendo concutiens: Parcat, inquit, mihi Dominus fratres, quare me ſolicitare voluiſtis, qui ab ipſo huius diei principio uſque nunc coram Chriſto præſentibus multis millibus Angelorum cum diabolo ad judicium ſteti, & adjuvantibus me SS. Andrea & Gregorio cunctis eius objectionibus bene reſpondi. Sciatis autem quia monaſterij ſextarium, modium, libram, conſuetudinem eleemoſynarum, & luminum, omnemque menſuram curioſiſſimè Chriſto quærenti uſque ad ſcabellum pedum eius portavi. Sed de una objectione, fateor, convictus erubui, de qua me nimium, ſicut vidiſtis, laborando vexavi, & me adhuc liberare non potui. Et converſus ad Monachos, qui ſibi interim detraxerant: Omnia, inquit, in quibus mihi detraxiſtis, audivi, quamquam reſpondere nequiverim, & impedimentum mihi non modicum generaſtis; quia tam à vobis, quàm à diabolo ſub uno tempore accuſatus, neſciebam cui calumniæ primitus reſponderem. Sed ſiquando quemlibet migrantem videritis, compatimini ſorti communi, & nolite de eo judicare, qui ad tam diſtricti Judicis cum criminatore ſuo judicium vadit.

Cùm autem omnes ſcire vellent, quid eſſet iſtud, in quo convictus fuiſſet: Non audeo, inquit, dicere; quia quando vos me clamaſtis, & à S. Gregorio redire juſſus ſum, ut vobis etiam de menſuris, & conſuetudinibus monaſterij ponerem

rationem, diabolus conquestus est, putans quod me pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset. Quapropter B. Gregorium vadem dedi, ne commotam calumniam cuiquam revelarem. cùm autem nihilominus fratres instarent, ille dimissis omnibus, solum illum Monachum retinuit, qui mortem ipsi denunciarat. Quia cùm & ipse rogaret, æger vehementer ingemuit, & converso ad parietem capite clamabat dicens: *O Andreas, ô Andreas, hoc anno pereas, qui me pravo consilio ad periculum compulisti!* Quibus verbis delictum suum indicavit.

Nam eodem tempore Andreas fundi Barbiliani conductor in lectulum decidit, in quo cùm multo tempore gravissimis excruciatus doloribus mori tamen non posset, sagax uxor advertit, latere in viro crimen quod cum Præposito commisisset, & fortè necdum confessione expiasset: monuit ergo eum, ut palam Monachis id denunciaret. Qui cùm vocati adessent, eis confessus est, se cum eodem Præposito quasdam monasterij chartulas rapuisse, ac receptis pretijs extraneis tradidisse, quod verum fuisse eventus rei evidenter ostendit: is verò inter verba suæ confessionis expiravit. Præpositus autem ut ea, quæ dixi, contra Andream exclamavit, fratres iterum præcepit ingredi, quibus orantibus totus cœpit tremere, pallescere, sursum desideranter aspicere, cùm subitò spiritus adventare conspiciens, revolutis terribiliter oculis, Monachis innuit, & abscessit, eosque tanto terrore perculsos dimisit, ut multis noctibus ibi jacere timuerint.

Quàm dura igitur conditio Prælatorum est, in quorum morte ad guttam & semunciam cuncta trutinantur. Evasisset tamen Præpositus hic, ni sacrilega bonorum monasterij alienatio accessisset, qua in re Deus nimis rigidus est. Meo tempore quidam Abbas in summo damnationis fuit periculo, quod solummodò inconsulta fraternitate quædam alienarit, qua intentione ignoro. Prætextus, qui subinde nobis præ se ferunt speciem boni, à Deo secus judicantur. Leonis IV. Papæ temporibus fames in Vrbe grassabatur. Erat autem in Monasterio S. Andreæ à S. Gregorio ea laudabilis consuetudo, ut quotidie duodecim pauperes pascerentur, dato cuique post mensam denario: in Quadragesima verò semel in anno alebantur quadraginta. Præerat tunc Anastasius vir castitate conspicuus, & sui cœnobij cautissimus exequutor. Qui cùm timeret, ne fratri-

Idem Ioan. Diac. sup. Baron. 855. n. 44

bus

bus alimenta deeſſent, illis quadraginta refectionem ſubduxit. Quod impunè ſe feciſſe perpendens, etiam duodecim pauperũm denarios intercepit. Diſplicuit res Deo, Magnoque Gregorio fundatori eleemoſynæ, quapropter eâdem Quadrageſima eidem Monacho, cui ſuprà de Præpoſito diximus, in ſomnis apparuit dicens: Vade & dic Oeconomo: Quia adminuit coſuetudinem, quam ego conſtitui, Dominus quoque eius dies diminuit. Quod Oeconomus ut audivit, primò quidem contremuit; poſteà verò tantò minus credidit, quantò longius vitam ſuam cognoſcebat extendi. Et ecce ſub ipſis Albis paſchalibus cum fratribus veſpertinis aſſiſtens officijs ardere parietem vidit, quem fratribus extinguere imperavit. Quibus hunc vinolentum credentibus, ipſe tandem ferulam, quam tenebat proijciens, manuſque per parietem circumducens, conabatur foris flammas extinguere, quas conſtabat intima eius depaſcere. Deinde tandem ad hoſpitium rediens, tanto febris ardore ſuccenſus eſt, ut pervenire ad diem ſeptimum nullatenus potuiſſet.

Hîc utique tibi in memoriam venit Anaſtaſius Imperator, qui quia imperium impiè adminiſtrabat, in ſomnio vidit terribilem virum librum in manu geſtantem ac dicentem: *Ecce ob perverſitatem fidei tuæ annos quattuordecim vitæ tuæ deleo.* Putas hoc ſoli Auguſto contigiſſe? Nequaquam. Etiam Prælatis Eccleſiæ accidit. Tempore Reginari (alij Regimarum aut Reimarum nominant) Epiſcopi Paſſavienſis, qui tertius poſt S. Altmannum illam rexit Eccleſiam, vigor monaſteriorum ab Altmanno introductus elanguit. Apparuit autem cuidam religioſo fratri venerabilis Epiſcopus comminans brevi in Reginaldo vindicandam hanc deteſtabilem mutationem. Videbatur illi fratri quaſi Romæ eſſet in concilio, & B. Altmannum eximio cultu cum pluribus Epiſcopis infulatum illic aſſidere. Qui conſurgens, ſtanſque in medio à Domino Papa petit advocatum cauſæ ſuæ. Quo accepto querelam deponit de Reginaro Epiſcopo, aſſerens eum Patavienſem Epiſcopatum in cœnobijs ac parochijs optimè diſpoſitum inveniſſe, eius verò negligentiâ cunctam penè Religionem in eo deperijſſe. Stabat autem Reginarus retrò à longè perterritus. Quærit Apoſtolicus ſuper hac re ab Epiſcopis ſententiam: nec aliam quàm damnationis accepit ab omnibus. Eodem anno Reginarus in infirmitatem

Zonar. lib. 3. annal in Anaſtas.


Anonym. vita S. Altman. apud Gretſer. Hund. Metrop. de Epiſc. Patav.

Digitized by Google

cecidit, de qua non amplius surrexit. Annales Patavienses eum obijsse dicunt A. D. 1140. Hundius in Metropoli A. D. 1141. decimoseptimo anno Episcopatus sui. Et sub hoc Episcopo nostrum cœnobium cœpit esse Regulare, quod sub Episcopo Udalrico medio inter Altmannum & Reginaldum A. D. 1114. extructum sæcularibus presbyteris concessum est. Quos ut vidit S. Leopoldus fundator negligentiâ Episcopi tepidiores, Zelo spiritus sancti succensus ejecit. Verùm ad propositum.

Baron. A. D. 605. Anastasij Imperatoris fulmine percussus etiam Sabianus est, nondum anno Pontificatus exacto. M. Gregorius eum obtruncavit, quòd cum eius successor esset, ipsius sanctis vestigijs non institerit homo sordidus, parcus, & immisericors. Nec mirum tibi videatur si DEUS animadvertat in malos Prælatos, Bover. 1554. quorum cooperatores etiam ijsdem pœnis subijcit. Cum Franciscus Astensis Capucinorum secundus Generalis aliquando Puteolos proficisceretur, ex quodam religiosorum Ordine spectabilem equitatum inobviam habuit. Qui cum ei nullum salutationis officium exhiberet, rogavit Franciscus Conversum qui pedester equitatum sequebatur, & olim ipsi notus erat, qui essent illi equites, & quo irent? Respondit Conversus: Omnes isti, quos vidisti, vita functi sunt, & Ordinis sui nuper Superiores: nunc autem justo Dei judicio damnati tendunt in infernum, me sequente vestigia ipsorum. Ad quod Franciscus: Superior tamen non fuisti: quid tibi cum damnatis? Non fui, ait frater: verumtamen ut ipsorum mihi gratiam reconciliarem, veritus haud fui regulas & observantias monasticas in ipsorum gratiam violare. Ita non immeritò ad æternos ignes eos comitor. Inter quæ verba cum toto equitatu videri desijt.

Prælatis Josippe non imprudenter B. Basilius præscribit, ut fratrem & prudentia maturum & ætate sibi *Monitorem*, constituant. Quod quia negligitur, multa committuntur omittenda, & omittuntur committenda. Solum velle sapere pessimum, solum vivere optimum est. S. Basil. in reg. fusior. 27.




EPIST-

Digitized by Google

EPISTOLA CXX.

Modi acquirendi Prælaturas.



Xistimo, Iosippe, religiosum, qui pericula loci superioris perspecta habet, dignitates potius fugiturum quàm desideraturum, ut plurimi sanctorum fecerunt, qui sciverunt servum Dei apud cœlites tanto altius æstimari, quanto magis cupit humilia. *Cupis magnus esse,* inquit S. Ephraim, *sis omnium novissimus.* Acquiesce modò de loco infimo, ait S. Basilius, ut ibi accipias primum. Si cuncti mandare, & imperare voluerimus, quis subditus erit, aut obediet, clamat idem Syrorum Archimandrita? Si cuncti honorari, quis honorem alteri exhibebit? Vir sapiens præesse, non subesse detrectat: scit enim scriptum esse: *Quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.* Et adstipulatur Magnus Basilius dicens: Honores nullo modo quærere debet asceta: non enim hîc præmium laboris est. In ambitiosos graviter decernit concilium Nicænum, eijciendos scilicet è congregationibus, qui in electionibus deprehenduntur veneno ambitionis infecti. Quippe *diabolicum est* consilium Monacho, dicente S. Ephraim, *altiorem appetere gradum.* Et juxta Cæsareensem Archiepiscopum: Gradum Cleri aut Præposituræ quærere, pestis est diabolica, & labes φιλαρχίας, animæq; morbus nocentissimus, & excidium bonorum. Et addit, ambitiosos esse invidos, contentiosos, criminatores, impudentes, adulatores, veteratores, nequiter humiles, hypocritas, gloriosos, ac perturbatores.

S.Ephr.in Proverb. fol.520.
S.Basil. in cōstit.mon.c.24.
S.Ephr. f.512.
Marc. 10.
S.Basil. sup.
Nicæn. can. 15
S. Ephr. fol. 527.
S.Basil. c.9.

Et tamen quanta subinde ambitione anhelatur ad honores: dummodò parceretur sumptibus, ne & Simoniaci simul & ambitiosi essemus. A. D. 1075. cum mortuus esset Wideradus Abbas Fuldensis, & ad eligendum successorem Rex (Henricus III.) cum principibus assedisset, grandis erat inter Abbates & Monachos, qui ex diversis locis frequentes confluxerant, concertatio: tamquam solemniter indicto agone singuli pro virili portione currentes, alius aureos montes, alius ingentia beneficia ex agro Fuldensi, alius solito impensiora servitia promittebant, nec prorsus in promittendo modum, aut modestiam ullam servabant. Et ô mores, ô tempora, ô abominationem desolationis stantem in loco, ubi non debet, & Mammonam nostris temporibus

Lambert. Schaffnabt A.D.1075.

poribus publicè sedentem in templo Dei, & extollentem se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur! Abbates & monachi ita ambitionis spiritu præcipites rapiebantur, ut eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani, non habitus arctioris propositi, non ipsum denique deterreret recens exemplum Babenbergensis Episcopi, quem pridie viderant non aliam ob caussam & Episcopatu privatum, & communione, quàm quòd ad sacrum ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset.

Sed vide obsecro, quomodo Deus ambitiosos irriserit, simulque ostenderit, non esse currentis, non volentis, sed vocantis Dei etiam per abjecta instrumenta. Nam impudentiam Abbatum Rex (quantumvis cetera impius) vehementissimè, ut dignum erat, detestatus, cum hinc inde importunè obtundentium precibus urgeretur, repentè divino, ut creditur, spiritu actus, Monachum quemdam Herueldensem Ruzelinum nomine, qui pro causa monasterij jussu Abbatis sui ad curtem venerat, in medium evocat, & nihil minus suspicanti, etiam inopinatæ rei miraculo penè exanimi, baculum pastoralem offerens, ut in electionem ejus consentiant, obnixè efflagitat. Ita cunctis qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus, Abbatiam suscipere jubetur. Et cum diu nunc imperitiam suam, nunc malam valetudinem, nunc Abbatis sui absentiam causatus restitisset, vix tandem aliquando præsentium Episcoporum obtestatione adjuratus suscipere consensit.

Erant ea tempora valde tristia & periculosa. Dignitates Ecclesiasticæ gemebant sub laicorum manibus, emebantur Simoniacorum sumptibus. A. D. 1088. ait Paulus Langius, Fridericus Abbas Gositzensis fit Episcopus Citzæ, quem cum Henricus III. utpote cleri suffragio electum, rejecisset, Archiabbatiæ Herveldensi præposuit. Illo quippe tempore sub regia dignitate libertas Ecclesiæ periclitabatur: Episcopos & Abbates non virtutum merita, sed commendabat pecunia. Cui erat minor numerus, ad regimen animarum erat minus idoneus.

In chron. Citizensi.

A. D. 1122.

Hæc mala ab Henrico IV. utcumque sublata sunt, quando investituris & electionibus renuntiavit. Gliscunt tamen adhuc sub cineribus, sub specioso titulo bonorum temporalium. Quot opus distinctiunculis est, ut summorum Pontt. censuræ excludantur? Deinde ut Abbas aut Præpositus etiam sincerissima fide electus perveniat ad confirmationem & benedictionem,

Gregor. VII. A.D. 1077. Victor. III. A.D. 1087. Paschal. A.D. 1100. & 1101. Alexand. III. A.D. 1169.

Deus

Digitized by Google

Deus bone, quot millia subinde expendenda sunt? Sed quid ad hæc noster Basilius? In electionibus, inquit, & præficiendis Ecclesiæ hominibus, si vel quid in gratiam hominum, vel flexus precibus, vel fractus metu aliquando determinavi, dispensator non sim, sed caupo, si Dei donum ad humanam quorumcumq; gratiam permutavi. S. Basi. ep.323

Audite dispensatores ministeriorum Dei: Si respectus humanus, preces & gratia cauponem efficiunt, quid faciet acceptum aurum? Dolore cordis repletus sum, ait idem Ecclesiæ magister, quod audiverim meos Subepiscopos post ordinationem pecunias accipere. Concilium Romanum III. imperat, ut nullus Archiepiscopus, aut Primas in consecratione Abbatum vel Episcoporum exigat, aut accipiat cappas, tapetia, bacinos, & manutegia. Et huic canoni in Concilio Pictaviensi adjungitur excommunicatio. In Londoniensi I. pro manutegijs, id est, chirothecis, scribitur, manutergia. In concilio Lateran. sub Alexandro III. arguuntur Episcopi quod ab Abbatibus pretium exigant, eò quòd in sedem introducantur, ac denique sub Innocentio III. reijcitur Episcoporum taxa, quam exigebant in benedictionibus Abbatum, simulq; præcipitur, *Ne quid omnino detur*. Tantorum conciliorum decreta quid est, quod non ubiq; ad vivum observantur? Idem ep.76. A.D. 1099. A.D. 1109. A.D. 1125. A.D. 1179. c.7. A.D. 1215. c.63.

Aliqui non per apertam, sed occultam & palliatam Simoniam ad Prælaturas tendunt, dum ea solùm intentione habitum Religionis accipiunt, ut honores acquirant: contra quos ait geminum concilium Romanum: Nullus habitum Monachi suscipiat, spem aut promissionem habens, ut Abbas fiat. Perspicit enim Deus cogitationem Monachi Sacerdotium, aut Prælaturam appetentis, ait S. Ephraim. Concilium Tolet. XVIII. duriori sententia ejusmodi ambitiosos ferit. Siquis Clericus, inquit, ut Abbatiam acquirat Monachus fit; Monachus quidem maneat: honorem autem non acquirat. Si id præsumpserit excommunicetur. A.D. 1059. & 1063. S. Ephr. sup. fol. 511. A.D. 1056.

Modus optimus acquirendi Prælaturas est per canonicam electionem, sive hæc fiat per scrutinium, sive per compromissum, sive per afflatum Spiritus sancti, quo legimus electum ad Apostolatum Barnabam & Saulum, & apud S. Gregor. Turon. Rusticum presbyterum Arvernensem. Nam mortuo Venerando Episcopo cum schisma esset in populo, alijs hunc, alijs illum eligen- Conc. Lateran. A.D. 1215. c.24. Act. 13. Greg. Turon. l.2. hist. Fran. c.13.

eligentibus, virgo sacra audacter ad Episcopos accessit dicens: Nullum illorum à Deo præordinatum esse. Inter quæ verba dum conspicit intrare Rusticum, *Ecce*, inquit, *hunc elegit Deus.* Et ab omnibus susceptus est.

Can. 73. Vt Prælatus sibi, dum est in vivis, successorem eligat, in Concilio Nicæno vetatur, nisi manifesta cernatur utilitas, designatique sanctitas, quo casu electus nullam potestatem regiminis habet, dum eligens superstes est, quemadmodum in synodo Cabilonensi deciditur, ad vitandas confusiones, quæ facilè nascerentur duobus simul imperantibus. Similiter unus & idem Abbas non facilè pluribus cœnobijs præficiendus est ex Concilio Agathensi, Epaunensi, Toletano XVIII. Pictaviensi, Lateranensi sub Innoc. III. Admittitur tamen dispensatio præsertim in casu necessitatis & utilitatis, sicut novimus ex Concilio Bellovac. Hilduinum S. Dionysij in Gallia plures Abbatias habuisse, & S. Gothardum præfuisse simul Hersveldensi, Garensi, & Cremensi Monasterijs. Et Hartmannum ex Admontensi Priore rexisse uno tempore quattuor nobilissimas Abbatias, Gottwicensem in Austria, Campidonensem in Algoia, S. Vdalrici Augustæ in Suevia, & S. Lamberti in Carinthia. Et nonne videmus ante oculos, quomodo Magnatum filij plures sub se habeant Abbatias? quidquid statuat Tridentinum de beneficiorum pluralitate. Hoc tamen firmius servatur, ut una Abbatissa non præsit simul pluribus Virginum collegijs.

A.D. 650. t. 1. Concc. Gall.

Agath. c. 57. Epau. c. 9. Tol. c. 10. Later. c. 13.

A D 845.

Siffrid. chron. A.D. 1002. Vita S. Altman. apud Gretser.


Trid. sess. 24. reform. c. 17. Et sess. 25. c. 7. reform.

S. Gregorius Magnus frequenter decernit, ut electio sit penes conventum. Et licet Episcopi in quibusdam casibus jus habeant devolutum, nihilominus unum de gremio assumere debent, si haberi possit. Si suos consanguineos promoveant, irritum est ex concilio Tolet. X. sicut & electiones factæ per sæculares, ex Lateranensi generali sub Innoc. III. Si nosse cupis requisitas conditiones personæ eligendæ lege, regulam S. Benedicti. Meo judicio ad dignitates aptissimus est, qui cum ab omnibus censeatur idoneus, à semetipso tamen omnium ineptissimus æstimatur.

Concil. Paris. c. 6. A D. 756. S. Gregor. l. 2. ep. 23. l. 4. ep. 41. l. 6. ep. 12. l. 7. ep. 18.

A.D. 656. c. 3. Et 16. q. 7. c. congregatio. cap. 25.

Reg. S. Bened. c. 64.



EPIS-

EPISTOLA CXXI.

De Pontificalibus Prælatorum.



Itram, baculum paſtoralem, anulum, chirothecas ac ſandalia inter Pontificalia numeramus, idcirco Ioſippe, quia ea Pontifices in Eccleſia geſtare ſolent inter Miſſarum ſolemnia, celebres veſperas aut Proceſsiones. Mitræ & baculi antiquiſsimus uſus eſt. De S Ioanne certè Apoſtolo Euſebius cum S. Hieronymo tradit, quod mitram portaverit. Sanctumque Iacobum fratrem Domini laminam ſeu bracteam auream in capite geſtaſſe S. Epiphanius ex Clemente Alexandrino tradit & Euſebio, quod etiam confirmat B. Hieronymus. Hæc mitra nunc cydaris, nunc tiara, nunc corona nominatur, & in uſu erat apud ſacerdotes tam Gentium, quàm Hebræorum. A noſtris Pontificibus aſſumpta eſt in ſignum unitæ regiæ poteſtatis cum ſacerdotali: nam Chriſtus Rex & Sacerdos inſtituit in Eccleſia regale ſacerdotium. Ejuſmodi coronam ſacerdotalem bellico furore interceptam Maſcizel Africæ tyrannus Theodoſio ſuo victori reſtituit. Scribitque Ennodius mitram S. Ambroſij gemmis ornatam fuiſſe. Denique S. Gregorius Nazianz. ſuæ quoque mitræ meminit in Apologia.

Euſeb. lib. 5. hiſt. c. 23. S. Hieron. de ſcript. Eccl. in Polycrate. S. Ephr. hæreſ. 29 & 78. S. Hieron. in Iacobo. Exod. 28. 29. 39. Levit. 8. Baron. A. D. 34. 1. Petr. 2. Ammian. l. 29. Ennod. epigram. de S. Ambroſio. S. Greg Naz. apol. 3.

Baculum ſuum B. Petrus Romæ S. Martiali tradidit, cum eum in Gallias ad prædicandum Evangelium amandaret, quem cum aliquando defuncto admoveret, ad vitam confeſtim redijt. Aſſervatur Burdigalæ ad S. Severinum. Cum Traſamundus Wandalorum in Africa Rex Catholicos Epiſcopos relegaret in Sardiniam, tulerunt hi ſecum corpus, mitram, & baculum S. Auguſtini. Significat autem baculus regimen & adminiſtrationem, quo titulo ab antiquis temporibus etiam Abbates ſolebant portare baculum aut virgam, ut de ſuis Tabenneſiotis aſſerit Oreſieſis.

Spondan. A. D. 74. Idem A. D. 504. Georg. Pachym. l. 11. de baculo argent. Oreſ. tract. ſpirit.

Atque hæc eſt illa virga, quàm S. Euphraſia comminatur energumenæ dicens: Vivit Dominus Deus, ſi te poſuero in terram, tollo virgam Dominæ Abbatiſſæ, & ſic te flagellabo, ut numquam præſumas hoc agere. Hac S. Benedictus percuſsit fratrem è choro ante tempus exeuntem, de qua in vita S. Felicis eremitæ legimus: Apparuit vir quidam monachico adopertus indumen-

Vita S Euphr. c. 27. S. Greg. dial. 2. c. 4. Lib. 3 vitt. PP. Ovid.

to, more Abbatum recurvum à capite de manu gerens baculum. Is S. Benedictus fuit, ut in consequentibus habetur. S. Romualdus hanc virgam in conspectu Othonis Imperatoris & Archiepiscopi Ravennatis projecit, & Monasterium Classense dimisit. Ioannes Diaconus ferulam appellat, ut nuper dixi Epist. 119. de Abbate Anastasio. Abbatum igitur baculus pastoralis ex antiquitate procedit, nec exigit gradum presbyterij; quamvis existimem illorum virgas non de auro fuisse vel argento, sed de ligno. Vnde de S. Roberto Cistercienſium auctore legimus, quod sanctæ paupertatis tantus amator fuerit, ut propter eam reluceret, quidquid in monasterio erat: nam ornamenta Ecclesiæ non erant serica. Excepto calice ob reverentiam Sacramenti, qui poterat esse de argento vel auro, candelabra erant ferrea, incensoria ærea, cruces ligneæ; sed & baculus pastoralis, qui adhuc apud Cistercium servatur, erat ligneus. Hoc tempore omnia nitent auro vel argento, nec virgarum apud Abbates usus est, nisi in Ecclesia, in qua ratio habetur sacræ Majestatis.

P. Damian in vita.

Chron. Cisterc. de S. Roberto.

Chirothecæ & anuli utrùm in antiquo more fuerint, ambigo. Certè S. Augustinus anulo in manu numquam usus est, ut ejus fatetur discipulus. Signatorium tamen habuit, qui exprimebat faciem hominis attendentis ad latus, ut ipse scribit. Virgines sacræ tamquã Sponsæ Christi anulum portare poterant, quem accipiebant in desponsatione seu consecratione sua ab Episcopis, ut habes in vita S. Genouefæ. De S. Macrina tradit frater eius S. Gregorius: Monile ejus, inquit, erat ferrea crux, & de eadem materia anulus ad pectus ex collo dependens, in quo erat inclusa particula S. Crucis. Vbi refrigescente charitate vanitas increvit, moniales plures cœperunt portare anulos, quod tandem prohiberi debuit à concilio Oxoniensi, quo dicitur: Sola monialis consecrata deferat anulum, & uno solo sit contenta. Eadam vanitas cum etiam clericos afflaret, sublata est in concilio Lateran. sub Innocent. III. ubi nonnisi Episcopis usus anulorum conceditur.

Possid. vita S. Aug. c. 24. S. Aug. ep. 217

S. Greg. Nyssen. de S. Macrin.

A.D. 1222.

Cap. 16.

Sandalia Petrum Apostolum tulisse alibi ostendi. Sed nihil ibi de gemmis, margaritis, auro vel argento, colorúmve varietate, aut pretiosa materia. Vbi Majestas Ecclesiæ crescere cœpit, etiam sandalia splendorem acceperunt: nec mirum: non enim minor debetur respectus & honor rebus divinis, quàm Principum aulis. Quanta ambitio calceorum apud Græcos erat! Ex

Epist. 52.

ijs

ijs cujuſque ſtatus ac dignitas agnoſcebatur. Imperator ferebat coccineos ſeu purpureos, ut non ſemel teſtatur Zonaras. De Alexio Comnemo Nicephorus Choniates ait: Datiſq; purpureis calceis Ioannem filium imperio deſtinavit, & Imperatorem appellandum curavit. Protoveſtiarius habebat calceos virides. Socer Imperatoris Sebaſtocrator apud Michaëlem Auguſtum illuſtre diſcrimen in calceis cæruleis aureis aquilis intertextis ferebat. Ioanni ſuo nepoti conceſsit Imperator Michaël tamquam Panyperſebaſto calceos, veſtes, & equi ornamenta coloris lutei, quibus ipſum inter imperatoriam nobilitatem maximè illuſtrem reddidit. Congruebat autem color calceorum cum colore veſtium, ſicut hodieq; color paramentorum cum ſandalijs in Eccleſia.

Zonar. lib. 3. annal. Chon. l. 1. annal. Idem l. 3. de Alexio. Angelo. Niceph. Greg. l. 4. de Michaël. Palæol. Idem l. 7. hiſt. Rom.

Atque hæc Pontificalia Epiſcopi in ſacris portant de jure, Prælati minores ex privilegio, niſi quod de baculo Abbatum dixi. Nullus Abbas, inquit Concilium Pictavienſe ex decreto Papæ, chirothecis utatur, & ſandalijs, & anulo, niſi quibus fuerit per privilegium à Romana Eccleſia conceſſum. Et Salisburgenſe: Ne Abbates Pontificalibus utantur, & ſacras veſtes &c. benedicant, niſi prius privilegia ſua Epiſcopis oſtenderint; idemq; obſervent Canonici Regulares. His conforme eſt quod ſub Innocent. III. Laterani decernitur. Abſque ſpeciali licentia nullus Abbas cauſas matrimonij tractet, pœnitentias injungat, indulgentias concedat, &c. Item in Concilio Viennenſi in Auſtria: Prohibemus etiam Abbatibus, ne calices, vel patenas, ſeu ſacras veſtes benedicere, vel conſecrare, aut alia Epiſcopalia officia exercere præſumant, niſi ſuper hoc à ſede apoſtolica privilegium habuerint ſpeciale; & quidem authenticum, quod lucem non abhorreat.

A. D. 1109. A. D. 1274. c. 5. 6. Can. 60. A. D. 1267.

Ioſippe S. Bernardus Abbatum Pontificalia amariſsimo reſpexit oculo. Apertè, inquit, quidam horum indicant quid cogitent, dum multo labore ac pretio apoſtolicis acceptis privilegijs per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontificalia, utentes & ipſi more Pontificum mitra, anulo, atque ſandalijs. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſsio. Si miniſterium; ſolis liquet congruere Pontificibus. Profectò eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt. Quid ſi & nomen eis conferre privilegiorum poſſet auctoritas, quanto putas auro redimerent ut appellarentur Pontifices? Quò iſta ô Monachi? *Labor & latebra,*

S. Bern ep. 41.

bra, & voluntaria paupertas, hac sunt Monachorum insignia & Pontificalia.

Hoc nonnulli considerantes ab infulis valde abhorruerunt. S. Petrus Abbas Cavensis ex Monacho Cluniacensi cum A. D. 1091. in concilio Beneventano more suo nudo capite coram Vrbano II. sederet, misit ei Papa infulam Pontificalem, quam utiq; vir Dei, & pro summi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officiosissimè salutavit; & tamen ejusdem sacerdotalis mitræ usum etiam rogante Papa contempsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisi ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi Ecclesiæ honores non metuunt usurpare. De S. Bernardo Theobaldus Episcopus narrat, quod eum non plus delectarit baculus & anulus, quàm rastrum & sarculus. S. Gregorius VII. ex Monacho Papa dignissimus quàm humiliter suum diadema portavit? ut mirum non sit, si Deus per id miracula dignatus est operari, rarissimo exemplo. In fine vitæ id S. Anselmo Lucensi legavit. Et quid mirum, si homines humilibus operibus consecrati ornamenta contemnunt exteriora? Fecerunt id & mulieres & pagani. Nosti quomodo suum diadema S. Esther appellet. Georgius Pachymerius refert Michaëlem Palæologum Imperatorem Nogæ fortissimo Turcarum militi, & idcirco sibi formidando, varia de auro, gemmis, alijsq; rebus pretiosissimis ornamenta misisse. Quæ cum Nogas esset intuitus, contemptim quæsivit, Vtrùm ea calamitates, morbos, mortémve valerent depellere? Scilicet homo de Scythis oriundus, non inscitè significare voluit melius esse caput & membra sanitate & integritate sua, quàm auro, gemmisq; ornata.

Baron. A.D. 1091. Surius VII. April. in vita.

In vita S. VVilhelmi c. 2.

In vita S. Anselmi Gretserus.

Esther c. 14.

Pachim. lib. 5. hist.

Pontifices Maximi in concedendis Pontificalibus subinde non illiberales fuere. Vratislaus ex Duce primus Bohemorum Rex Henrici III. Imperatoris gratia, extruxit in arce Pragensi cœnobium Canonicorum Regularium, in cujus fundatione suis humeris duodecim cophinos lapidum mercenarij more gestasse fertur. In hoc collegio dum res divina peragitur non Præpositus tantum, sed Decanus, & Sacerdos, & Diaconus cum Subdiacono Episcopalibus indumentis utuntur. Aliquid hujusmodi apud nos est, dum in vesperis solemnioribus Sacerdoti adstamus bini vel quaterni in baculis inauratis. Verùm hoc quod sequitur rarius, quod eidem Vratislao cum adhuc dux esset, Alexander

Paul. Lang. in chron. 1086.

Papa

Digitized by Google

Papa conceſſit uſum mitræ laicis inconceſſum, niſi dicas diverſam à Pontificum mitra fuiſſe. Nam lego de mitris caudatis clericis prohibitis, quaſi non caudatæ ſint licitæ. Sanè Græcorum etiam calyptræ diverſitatem habuerunt. Andronicus enim ſenior Muzaloni viro in aula præcipuæ auctoritatis hunc ſingularem honorem tribuit, ut calyptram in capite panno, purpura & auro intertexto circumdatam geſtaret, quatenus ſurſum vergit, & ad pyramidem ſuperficiei funditur: in hoc uno ab Imperatorum liberis differentem, quod non etiam inferiorem & cavam ſuperficiem habebat circulis auratis variatam, ſed prorſus lævem. Et præter has duas ſine dubio calyptra Imperatoris ſuum ſingularem ſplendorem & formam habuit, ſicut ſcimus mitram Papæ diverſitatem exhibere ab infulis Epiſcoporum. Sed quidquid de hoc ſit, me mitræ non delectant, niſi ſtent in verticibus Gregorianis, aut ſubſtent judicio S. Bernardi.

Greg. VII. epiſt. 38. Spondan. A. D. 1068. In concil. Friſing. A. D. 1440. Niceph. Greg. l. 6. annal.

Vide l. 9. in fin.

EPISTOLA CXXII.

In quanto ſemper honore Abbates & Monachi in Eccleſia fuerint.



NOmen *Papa*, Joſippe, quod ſummo Pontifici hodie ſingulare eſt, olim non ſolùm Epiſcopis, verùm etiam Archimandritis dabatur. In concilio Conſtantinop. ſub S. Flaviano vocatur Abrahamius presbyter & Archimandrita *Papa*. Et action. 7. *Papas Eutyches*, is nempe qui tunc inter Abbates nominatiſſimus turbas ciebat. Quantæ tunc auctoritatis opinaris Abbates fuiſſe, qui titulis cum ſummis Eccleſiæ Prælatis certabant? In Eccleſiaſticis comitijs poſt Epiſcopos primi tam loco quàm ſubſcriptionibus erant, ſic ut etiam Archipresbyteris & clero, immò & viris illuſtribus ex aulis Regum præponerentur, quod clarum tibi eſſe poterit ex concilio Toletano VIII. ac XII. Et quid de particularibus ſynodis dicam? Maiora horum vide. Mortuo Henrico VI. Imper. Principes Germaniæ ſciſſi ſunt inter ſeſe, & alia pars elegit Othonem IV. Henrici filium, alia Philippum Sueciæ ducem. Stabant utrinque Duces ac Principes Romani Imperij, quin & à Philippi partibus Rex Bohemiæ. Aderant electioni & Abbates. Sed vide mi Joſippe: in ſuffragijs ferendis tam Regi quàm Ducibus præibant Abbates obſcuriorum etiam mo-

Action. 5.

A. D. 653. 681.

Vide Binium in Concilijs. A. D. 993.

Digitized by Google

am monasteriorum. In quanta gloria ab ipso Pont. Rom. & Cardinalibus publicè in concilio habitus est Oderisius Abbas Cassinensis. Videbant Episcopi hoc & irascebantur, fremebant dentibus & tabescebant. *Nihil,* inquiebant, *superest aliud, quàm ut sublatis virgis & anulis serviamus Monachis.*

Idem. A. D. 1122.

Gregorius VII. cui paucos Romana sedes pares habuit, etsi Cardinales & Episcopos non præterierit; nullam tamen illustriorem legationem instituit, quin adhiberet Abbates. Sic Hugoni Cluniacensi commisit negotia Galliæ; Bernardo Massiliensi Hispaniæ & Germaniæ, Tertzoni Britanniæ, Desiderio Cassinensi Italiæ. Regna & imperia sub tutela Abbatum se esse gaudebant. Huic sancto Pontifici familiarissimus ad Abbates titulus erat, *Vestra Sanctitas, vestra Fraternitas.* Innocentius III. concilium generale celebraturus, quàm sollicitè ex Orbe universo Abbates convocavit, tantum non hoc ipso significans, sine præsentia Abbatum in Ecclesia vix quidquam magnificè geri posse. Hinc non semel factum, ut dignitas Episcopalis ad monasteria transferretur. Lege Marianam & invenies Saracenis Hispanias occupantibus Pampilonenses sedem Episcopalem in monasterium Leirense situm in montibus Pyrenæis tamquam in tutissimum locum transtulisse. Mansit inde electio Episcopi penes Monachos usque ad A. D. 1032. quo per concilium sedes pristino loco restituta est.

Ex epistolis Greg. VII.

A. D. 1215.

Binius A D. 1032.

A. D. 1062. celebratur concilium Arragonense quo decernitur, ut deinceps Episcopi Arragonij acciperentur ex monasterio S. Joannis, quod paulò antè Rex Sancius à fundamento erexerat. Et numquid non longo tempore Abbas Augiensis in Germania omnem potestatem Episcopalem in suam insulam exercuit? Taceo potentiam Cassinensium in vicinos Episcopatus. Monasterium S. Dinoysij in Gallia in concilio Clypiacensi ab omni dominatione tam Ecclesiastica, quàm politica exemptum est, cuius Abbas tantæ potentiæ est, ut absente Rege regnum totum administret dignitate proregia. Tot regni Pares & proceres etiam de regio sanguine tenentur subesse Monacho; & celeberrima Europæ civitas Lutetia jura debet petere ab exiguo oppidulo duobus distante milliaribus. Sed hæc gloria Galliæ est, quòd statum religiosum omni ævo coluerit.

Conc. Placen. A. D. 1095.

A. D. 658. t. 1. Conc Gall. Otho Frising. l. 1. hist. c. 55.

Philip. Comin. l. 1. hist.

Clodoveus Rex Francorum Alaricum invasurus toti præcepit exercitui, ne in patria Gothorum quisquam tangat vel virginem,

A. D. 507. tomi Conce.

Digitized by Google

ginem, vel viduam DEO conſecratam, vel quidquam de bonis ipſarum, ſicut & aliorum Eccleſiaſticorum. Pium affectum DEUS remuneravit, & Alarico occiſo luculenta victoria penes Clodoveum fuit. Carolus Magnus omnia negotia Imperij commiſit Abbatibus. Si dubitas: te Hadriani Papæ docebunt epiſtolæ. Ludovicus pius Caroli F. quàm ſollicitus fuit ut ſtatus religioſus per totum Imperium reformaretur, ac bonis legibus viveret? Ipſius iuſſu Monachi & Canonici ad priſtinum inſtitutum redierunt. Carolus eius filius, quem Calvum nominant, edicto cavit, ne quis religioſum expilaret. Cuius frater monaſticen ita ſuſpexit, ut tandem depoſita imperiali corona in Monachum attonderi voluerit in cœnobio Prumienſi, pluris æſtimans geſtare in vertice coronã pauperis Monachi, quàm Romani Imperij. Non hîc produco plures qui relictis gubernaculis provinciarum, regnorũ atq; Imperiorum vitam monaſticã ſunt amplexi, eligentes potius ab Angelis in tugurijs monachicis coli, quàm ab hominibus inter Reges ac Principes in aulis adorari.

Conc. Aquiſgran. A. D. 816. & 817.

A.D. 856 Carol. ep. ad Epiſcopos.

A. D. 855. Octavius Strada.

De Conſtantino Magno refert Euſebius, quòd Monachorum, virginumque ſacrarum, ſingularis amator extiterit, adeò ut non modò ſe, ſuos, atque Imperium per litteras S. Antonio commendaverit, verùm etiam palam in concilio Nicæno proteſtatus fuerit, ſi forſan videret unum de ſtatu monachico peccantem, ſua ſe ipſum chlamyde obtecturum. Chorum Deo ſacrarum virginum tantum non adorabat, credens earum mentibus ineſſe eum, cui ſe conſecrarant. Et cùm apud Romanos lex eſſet, ut qui liberis carerent, hæreditates non adirent, eam ſuſtulit, ut quæ præjudicaret ſtatui religioſo utriuſque ſexus propter votum caſtitatis. Denique cùm percepiſſet homines religioſos premi victus inopia, dedit litteras ad omnes urbium Præfectos mandans ſacris Viduis, Virginibus, Monachis præberi certam omnibus annis frumenti quantitatem, & quidem non exiguam, ut quam potius ſua metiebatur magnificentia quàm neceſſitate. Liberalitatem hanc cùm poſtmodum Julianus apoſtata ſuſtuliſſet, ſucceſſor eius Jovianus reſtituit.

Euſeb in vita Conſtantin. l. 4. c. 28. Vita S. Anton. c. 50.

Euſeb. cit. c. 26.

Sozom. l. 1. hiſt. c. 9.

S. Athan. in apol. & Theodoret. lib. 1. hiſt. c. 11.

Verùm ad Occidentem revertor: quia ſupervacuum eſſe judico pluribus aperire, quanta in exiſtimatione Monachi apud Orthodoxos Imperatores Orientis extiterint. Henricus III. quo nemo ſacra minus coluit, aut curavit, cùm monaſterium Malmendrenſe Colonienſi Archiepiſcopo præter fas donaſſet,

Lambertus Schaffnab. A. D. 1071.

à Mona-

à Monachorum in Stabulaus, ad quos locus jure pertinebat, auctoritate ita subactus est, ut donationem nolens volens revocaret. Qua in re mihi occurrit factum Othonis I. contra quem, cùm ejus frater Henricus exercitum educeret, & plurimi ab Othonis castris timore dilaberentur, Comes quidam prædives, quem magna militum sequebatur multitudo, cogitavit apud se in hoc articulo necessitatis facilè se quidvis posse ab Othone impetrare, timente ne si petita negaret, & ipse abscederet. Petijt ergo per nuncios Abbatissam Laurethemensem prædijs ditissimam, quo militibus stipendia dissolveret. Otho his auditis se Comiti coràm responsurum dixit. Advenienti ergo, & idipsum inpræsentiarum flagitanti, Rex coram omnibus respondit; Obediendum Deo magis esse quàm hominibus, ut qui jubeat sancta non dare canibus, quod planè futurum esset, si monasteriorum prædia, quæ à pijs Deo sint tradita, tulero, & sæculo militantibus dedero, quocirca hoc tibi dictum fixumque esto, te tam injusta petentem nihil penitus accepturum. Quod si tibi cordi est cum ceteris transfugere, id tantò melius facies, quantò citius. Erubuit Comes, delictique veniam provolutus ad genua petijt. Rex autem quia rebus sacris tantum honorem habuit, à Deo vicissim honoratus victoriam ab hoste retulit.

Luitprand. Ticin. l. 4 hist. c. 7. A. D. 937.

Quid ad hoc Josippe? Hic Comes nondum petijt sacra vasa, nondum integras dioeceses. Quàm optanda esset anima Othonis in successore, ut etiam succederent victoriæ? Sed premo calamum: aulas Imperatorum inspicio, ubi quondam nihil tanta frequentia & auctoritate, quàm Abbates & Episcopi fuêre, sic ut Paschalis II. coactus fuerit arguere Henricum III. quod contra statuta Ecclesiæ Episcopi & Abbates in ejus regno adeò curis sæcularibus occupentur, ut comitatum assiduè frequentare, & militiam exercere teneantur. Nam hoc profectò repugnat statui monastico, unde in Concilio Chalcedonensi statutum fuit, ut Monachi in proposito manerent, nec ad militiam (palatinam) aut mundanam dignitatem eveherentur, quem Canonem Zaccharias Papa etiam Pipino Francorum Regi per Epistolam significavit.

Paschal. epist. 11.

Can. 7.

Zacch. ep. 7. n. 9.

Ante mille annos celebratum est Concilium Aurelianense I. in quo statutum est, ne Abbates, Clerici, aut alij in Religionis professione viventes sine discussione aut commendatione Episco-

A. D. 507. can. 9.

Digitized by Google

Epiſcoporum ad Dominos, hoc eſt ad regiam aut comitatum irent, Cabilone hoc ipſum decretum eſt adjecta etiam in refractarios excommunicatione. [A.D. 650. can. 15.] Si licentiam habeant, jubet concilium Meldenſe ut eant canonicè & religiosè, non in miſſaticis veredariorum more. [A. D. 845. c. 57. Et Conc. Pariſienſ. A. D. 829.] Breviter: tametſi non ſolùm Abbates ſubinde indigerent ope principum, & hi viciſſim illorum, Patribus tamen numquam placuit ut Religioſi verſarentur in palatijs. Sapienter Choniates ait, Canones non admittere, ut idem & Deo ſacra faciat, & ſimul civilibus rebus ſe implicet, [Niceph. Chō. l. 2.] cùm hæc diſtent, nec ullo modo conjungi poſſint, ſicut ſervire Deo ac Mammonæ. *Exeat aula, qui cupit eſſe pius*: Valde enim perfectum oportet eſſe, ait S. Ephraim, qui picem hanc poteſt tractare, & non inquinatur. [S. Ephr. in vita S. Iulian. fol. 762.] Donatiſtarum vox fuit: *Quid Chriſtianis cum Regibus?* aut quid Epiſcopis cum palatio? [Optat. Milevit. l. 1.] Quid ſi & Religioſos ibi vidiſſent, & quidem in gynecæo?

Sacri Canones tam ægrè permittunt Monachis recurſum ad aulam, ut vix ſinant eos ibi ſuas agere cauſas. Tam in Cabilonenſi quàm Moguntina ſynodo ſancitur, ne Abbates aut Monachi ad tribunalia cauſas agant, niſi ſuas, ita tamen ut ſyndicum ſecum & facultatem Epiſcopi habeant. [A. D. 813.] Rhemenſe concilium ait: Monachi ad placita ſæcularia nullatenus vadant. [Eod. c. 29.] Pariſienſe, Lateranenſe ſub Alex. III. & Chalcedonenſe ſilentio prætermitto. Ubique quieti monaſticæ conſulitur, & occaſio ambitionis abſcinditur. Tribunalia, lites, palatia pariunt plurimorum malorum occaſiones. Tantoque gratioſiores Religioſi ſunt plebi, quantò remotiores conſiſtunt ab aulis, ſic ut quondam occurrentibus in via Monachis laici genibus flexis dixerint, *Orate pro nobis peccatoribus ſervi Chriſti.* [S Ephr. paræn. 17.] S. Romualdum cùm ſciret Otho Imperator ab omni ambitione eſſe alieniſſimum, aliquando exclamavit: *O utinam anima mea eſſet in corpore tuo!* [P. Damian. in vita eius.] Græcum vulgus quomodo in hodiernum diem ſuſcipiat Monachos, nonne jam dixi tibi? [Ex Greg. Naz. orat. 40. & Brocard. in deſcript. terræ ſanctæ.] Eumdem, niſi fallor, honorem Clerus haberet, ſi in primitivo propoſito ſtetiſſet: Nam in Eccleſia primitiva, ait S. Ivo, nullus conſtitutus erat rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus. [S. Ivo epiſt. 213.]

Et quoniam Eccleſia tantam ſemper materiam honoris agnovit ineſſe ſtatui religioſo, non mirum eſt, ſi etiam Religioſi ipſi ſeipſos invicem honore præveniant. Sic jam olim capita ſibi mutuò inclinabant, [S. Doroth. doctr. 4.] & S. Benedicti mandatum eſt, ut ubi- [Reg. S. Bened. c. 63.]

Digitized by Google

cumque sibi obviant fratres, junior à priore benedictionem petat dicens, *Benedicite,* ut habent ipsorum constitutiones: Tom. 6. Bibl. PP. Transeunte verò maiore minor surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus, ut Rom. 12. fiat quod scriptum est, *Honore invicem prævenientes.* In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare, sed priores, juniores suos *Fratres* nominent; juniores autem priores suos *Nonnos* vocent, quod intelligitur, *Paterna re-* A.D. 817. c. 54. *verentia.* Sic in Aquisgranensibus quoque statutis præcipitur, Vita S. Fulgent. ut qui præponuntur *Nonni* vocentur. S. Fulgentium aiunt tanto in honore suos fratres habuisse, ut nullum puro nomine inclamarit, id quod hodieque à melioribus observatur, qui nullum solent compellare religiosum, nisi addant *Frater* aut *Pater,* aut *Domine,* vel stylo Ecclesiastico *Domne,* quod Græcis κύρι quemadmodum frequentissimè in concilijs invenies. Turpissimum quippe est, ut quos Imperatores & Principes colunt, ipsi se mutuò haud secus ac sartores aut sutores in alloquendo tractet.

EPISTOLA CXXIII.

Bonos Monachos nonnisi ab improbis fuisse despectos.



Contemptus Monachorum, Josippe virorum optimè etsi temporibus Jconomachorum in summo erat; longè tamen antè in impijs cernebatur. Improbi numquam non bonos carpunt, aut affligunt si possunt. S. Antonij ætate, qua Monachismus in Orbe tamquam sol radiabat, Monachorum propositum in ipsa Urbe censebatur vile atque ignominiosum, servique Dei Græci atque impostores ab iniquis vituperabantur. Iuliani apostatæ convitia in ipsos, & ipsorum exercitia tibi non refrico. S. Chrysostomus cùm adhuc presbyter esset, tres libros scribere compulsus est adversus vituperatores vitæ monasticæ. Christiana pietas insurgentibus undique hæreticis, in gravi cernebatur periculo. Ut ergo ei Monachi remedium ferrent migrarunt in oppida. Quis ob id eis non honores decerneret? Nihil horum. Exagitabantur passim, expellebantur, exterminabantur, eisque sub ingentibus minis interdicebatur, ne quid omnino tale umquam aut loqui, aut docere præsumerent. Nec Gentiles erant, qui isthæc faciebant, sed Christiani, imò ij, qui

alioqui

Marginal notes: Vide ep. 75. — S. Hieron. ep. 19. & 23. S. Greg. Naz. orat. 4. S. Chrysost. l. 1. advers. vitup. c. 5. & 7. — c. 1. & 2.

Digitized by Google

alioqui maximè pij esse videbantur; quin horum nonnulli etiam sacris erant initiati, quorum unus adeò in ipsos accensus est, ut diceret, se, nisi facesserent, à fide recessurum, dæmonibusque sacrificaturum: suffocari enim se, ac tantum non disrumpi, si aspiciat homines ingenuos ac nobiles, & qui vitam in delicijs agere valerent, in tam austeram vitam devolvi. Atq; hæc non in angulis patrabantur, sed in publico, & præ ceteris habebatur gloriosior, qui Monachum gravius afflixisset. Triumphabant miseri, jactabantque passim, quæ in ipsos exercuissent, haud secus ac milites sua præclarè facta deprædicant. Atque hic quidem cum plausu & cachinnis dicebat, *Ego primus in istum Monachum manus injeci, & plagas primus imposui.* ille verò; *Ego ante alios cellulam eius inveni*; sic infelices perscrutabantur sanctorum cellas, & speluncas, haud secus ac venatores lustra ferarum, ut eas conficiant. Alius dicebat: *Ego adversus illos judicem magis concitavi.* Et iterum alius jactabat vincula & & carceres; & quod per forum sanctos illos sæpe traxerat in laudis partem ponebat. Et alij aliud. Beati Christi athletæ ab ijs non aliter, quàm proditores, ac seductores appellabantur, eò quòd doctrinis suis perversos à vitijs revocabant. Nec ij denique horum persecutiones evadere poterant, qui servos Dei alebant, audiebant, sequebantur. c. 4.

Atque hæc omnia ad mortem usque virum sanctum cruciabant: Ait enim: Ex hoc uno mala jam omnia conijciens, Orbem simul flebam universum, & ad Deum conversus, Tolle, inquiebat, animam meam à me, & de necessitatibus meis erue me, & de hac corruptibili vita libera me, eoque me transfer, ubi nemo similia denuntiabit & audiet: scio equidem, quod hinc abeuntem exteriores tenebræ excipient, ubi fletus ingens, stridorque erit dentium: at optabilius mihi erit audire stridentes dentes, quàm talia verba & rumores.

Salvianus centum penè annis Chrysostomo iunior, simili commiseratione deplorat despectum Monachorum sui temporis ab Afris. Iam verò, inquit ad divites, illud quale, quàm sanctum, quod si quis ex nobilibus converti ad Deum cœperit, statim honorem nobilitatis amittit? aut quantus in Christiano populo honor Christi est, ubi Religio ignobilē facit? statim enim ut quis melior esse tentaverit, deteriori abjectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo mali esse coguntur, ne viles ha- Salvian. l. 4. de Gubernat. Dei.

beantur. Itaq; sicut dixi: Si honoratior quispiam religioni se applicuerit, illicò honoratus esse desistit. Ubi enim quis mutaverit vestem, mutat protinus dignitatem. Si fuerit sublimis, fit despicabilis: si fuerit splendidissimus, fit vilissimus: si fuerit totus honoris, fit totus injuriæ: Et mirantur mundani quidam infelices, si offensam Dei aut iracundiã perferũt, ubi Deum in sanctis suis persequuntur. Sed esto illa, quæ diximus, ad potentissimos quosque ac nobilissimos pertinuerunt; numquid illa leviora, quæ nobilibus ignobilibusque communia? odia scilicet, atque execrationes sanctorum omnium dico. Irridebant enim Afri Monachos, maledicebant, insectabantur, detestabantur, & omnia in illos penè faciebant, quæ in Salvatorem nostrum Iudæorum impietas antè fecit, quàm ad effusionem ipsam divini sanguinis perveniret. Etenim inter Africæ civitates, & maximè intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis usque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus, quàm infidelis sine convitio atque execratione vix poterat. Et si quando aliquis Dei servus aut de Ægyptiorum cœnobijs, aut de sacris Ierusalem locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis ad urbem illam officio divini operis accessit, simul ut populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solum hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestandis ridentium sibilis quasi taureis cædebatur. Verè ut siquis ea inscius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed novum, inauditumque monstrum abigi, atque exterminari arbitraretur.

Idem l. 8.

Numquid, Iosippe, Salvianus aliud scripsisse & planxisse potuisset, si nostra tempora conspexisset? Hoc uno feliciores priscis Religiosis sumus, quod hæc ab hæreticis patiamur. Quo quisque sui Ordinis observantior, in conversione pravorum ferventior, in cura animarum vigilantior est, eò magis odijs, execrationibus ac maledictionibus ipsorum subest. Non sine causa, inquit Salvianus, persecuti sunt Afri servos Dei, nam quis dicere posit, quòd sine causa, homines scilicet omnibus à se vitæ ac morum studijs discrepantes, in quibus nihil videbant suum, quoniam Dei totum? Illi enim vivebant jugiter in nequitia, isti in innocentia: illi in libidine, isti in castitate: illi in lustris, isti in monasterijs: illi prope jugiter cum diabolo, isti sine ces-

ne ceſſatione cum Chriſto. Quod dixit hic Epiſcopus de Afris, hoc tibi dico de Religioſis & hæreticis noſtris. Diverſitas ſtudiorum averſionem cauſat animorum. Sanctitas Dei ſervorum, oculos perſtringit malorum, & tanto magis, quantò illa illuſtrior eſt.

At Deus non ſinit inultum contemptum ſuorum. Et miramur, inquit de ſuis Afris Salvianus, ſi nunc Barbaros illi perferunt, cùm videamus quòd ſancti viri in illis Barbaros pertulerunt. Wandali ergo flagellum fuerunt, quo Deus ſervos ſuos vindicavit plus quàm per centum annos, quibus ſub Gothis Africa contremuit. Prolixum nimis foret, ſi deſcriberem quo quiſque Monachorum irriſor aut contemptor genere vindictæ à Deo caſtigatus ſit. Balacius dux ſacras virgines publicè verberibus ſubjecerat, Magnique Antonij litteras etiam Imperatoribus venerabiles conſputas abjecerat, intra triduum ad ſancti viri minas equi morſu interijt. Hadrianus in ſuum ſanctum magiſtrum Hilarionem injurioſus morbo regio computruit. Clericus Romanus dum S. Simeonem Armeniæ Monachum hæreſeos iniuſtè inſimulat, à dæmonio corripitur. Eremita quidam arguens intra ſe Severinum Colonienſem Epiſcopum ambitionis, ab ipſo Deo increpatur, & ait S. Præſulem tanti non facere omnem pompam mundanam, quàm ipſum ſuum ligneum vaſculum. *Nolite judicare.*

Ab A D. 428. ad 534.

S. Athan. epi. ad Monach. & in vita S. Anton.

Vita S. Hilar. cap. 29.

Baron. A. D. 1016

Vitt. PP. Ovid l. 7. c. 14.

Quod interdum mali Religioſi contemptui habeantur, merito ipſorum fit. Iure deſpicitur pomum putridum, aurumque adulterinum. Non omnes Religioſi vaſa ſunt electionis, aut honoris; ſunt & contumeliæ. Habet & diabolus & Marcion, ait Tertullianus, ſuas virgines & Continentes: habet ſuos Agonicos ſeu Circumcelliones Donatus, ſuos martyres Novatus, ſuos fautores Melitius, ſuos longos fratres Origines. Paucis: Hæreticis, ſchiſmaticis, Ethnicis & Turcis ſui Monachi ſunt. Quis honoret? Sunt etiam inter Catholicos, qui venerabile nomen Monachorum ſua perverſitate odioſum reddunt. Quis hos non omni contemptu digniſſimos cenſeat? Olim ait Langius, non modò ob exempla virtutum, & prodigia Monachi trahebantur ad Epiſcopatus, verùm etiam Imperatores pleroſque ſecum in palatio in ſolatium regni & magiſterium vitæ retinentes Cancellarij dignitate donatos tamquam patres & morum præceptores coluerunt. Si quæris cur id non

Tertull. l. de præſcript. c. 40.

S. Aug. Pſal. 132.

Socrat. l. 2. hiſt. c. 38.

S. Athan. apol. 2. tol. 608.

Pallad. dial. de S. Chryſoſt.

Paul. Lang. chron.

fiat hodie? respondeo, *Bonos hæc non ambire, malos non esse dignos.*

EPISTOLA CXXIV.

Monasticam Disciplinam sæpe intepuisse.



PRælatus, Iosippe, si ad disciplinam conservandam etiam extrema tentaverit, incertum est an puram putam servaturus sit. Iugiter ad ima tendimus, sicut pondera in horologio, & si millies revocemur. Quantus per universam Syriam magister Ordinis monastici fuit sanctissimus Ephraim? Circuibat singula cœnobia; errabat per vastas solitudines; lustrabat specus & antra, ut monita salutis Monachis daret; tam Apostolicus tamen Zelus tam efficax esse non poterat, quin plurimi intepescerent, maximè de junioribus. Qua de causa velut alter Ieremias lamentabatur dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, ut deplorem indesinenter diu, noctuq; magnā relaxationē instituti nostri monastici hac nostra ætate, prò dolor, nimis invalescentem?* Et relata veterum sanctitate: *Nostra*, inquit, *institutio relictis viјs rectis per præcipitia fertur, asperasq; per vias incedit: non enim reperitur hoc tempore, qui propter Deum pecunias deserat: non mitis, non humilis. Cuncti contradictores, cuncti iracundi.* Et cum juniores acerrimè perstrinxisset: *Quis* ait, *non deplangat nostri instituti maximam cladem? Ignoramus, ad quid vocati simus: nescimus ad quid venerimus. Ad temperantiam & abstinentiam vocati sumus, & ciborum exquisitas epulas expetimus. Ad nuditatem venimus, & de vestium cultu contendimus. Urbes terræ motibus absorptæ sunt; & loca à facie iræ Domini desolata sunt plurima; sol iam semel & iterum meridianis horis obscuratus est: Persarum bella, ac diversarum gentium barbararum commota sunt, nostramq; provinciam devastarunt, & ne sic terrore corripimur.* Et alibi: *Aspicio*, inquit, *præsentis temporis disciplinæ negligentiam, & ferre nequeo.*

S. Ephr. serm. ascet. de vita relig. fol. 557.

Idem serm. adver. vitiosè viv. & serm. quod ludicris abstin. & in Attende tibi c. 10.

S. Hieronymus, qui paulò junior Ephraimo est, quanta calami acerbitate invectus est in Remoboth Monachorum genus deterrimum atque neglectum, quodque in nostra provincia, ait, aut solum, aut primum est. Inter hos sæpe sunt jurgia: apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes

S. Hieron. ep. 22.

licantes, visitatio virginum, detractio Clericorum: & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. Legit hoc ex S. Hieronymo Gallus de Gallia Monachus apud Severum, aitque hac censura totam suorum Monachorum nationem vehementer vexari ac carpi. Unde, inquit, interdum Belgicus noster valde irasci solet, quod dixerit Hieronymus, nos usque ad vomitum solere satiari. Ego autem illi viro ignosco, atque ita sentio, de Orientalibus illum potius Monachis, quàm de Occidentalibus disputasse: nam *edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura.* Sulpit. dial. 1. c. 4.

S. Epiphanius etsi multorum Monachorum vitam sanctissimam describat; nihilominus ait iterum quosdam intepuisse, fuisseque elatos, lapsos, sui castratores, alijsque defectibus notabiles. Sulpitius quoque queritur, se incurrisse odia Monachorum, quod ipsorum vitia parumper tetigerit. In Hispania tunc temporis Monachismus nondum ita invaluerat; attamen reperiebantur, qui ex sanctimonialibus liberos procreabant, quos jubet Papa Siricius abijci, atque in ergastula contrudi. S. Augustinus denique tametsi Monachos cœnobitas magnis afficiat præconijs, ut ostendi tibi duodecima epistola; quamplurimos tamen frena laxasse sanæ disciplinæ non uno loco demonstrat. S. Epiph. de exposit. fid. cath. Sulpit. dial. 2. c. 7. Siricius ep. ad Himer. A. D. 385. S. Aug. exposit. psal 99. Vide epist. 43. sup.

Itaque summi Orbis magistri Regularem vitam in perpetuo flore servare non potuerunt. Nec mirum: *Quid lucidius sole? & hic deficiet.* S. Gregorius quantum negotij habuit cum sacrilegis, desertoribus, apostatis, ac vagantibus Monachis? Quantam cladem intulit monasticæ disciplinæ Eutyches hæresiarcha? A. D. 813. dicitur in concilio Turon. III. Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula S. Benedicti patris conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur, ut ad pristinum revertantur statum, & Abbates eorumdem in eodem habitu ac vita, qua ipsa Regula præcipit eos incedere, vivere studeant: quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus iam pauci sunt Monachi, qui prædicti patris Regulam suis Abbatibus promissam habeant; quippe cum ipsi Abbates magis Canonicè, quàm monachicè inter suos conversari videntur. Arguuntur etiam Abbatissæ propter malum exemplum, quo monasteria ipsarum in deterius quoad disciplinam abibant. Eccli. 17. S. Greg. vita t. 2. p. 3. Conec. & l. 1. epp. 39. 40. l. 7. ep. 9. Ex Concil. Chalced. A. D. 448. & 451. cap. 25. c. 26.

In

In concilio Suessionensi A. D. 909. non absque gemitu Patres dicunt: De monasteriorum non statu, sed lapsu quid dicere vel agere debeamus iam penè ambigimus. Dum enim mole criminum exigente, & judicium à domo DEI incipiente quædam à paganis (Normannis nempe) succensa, vel destructa; quædam rebus spoliata, & ad nihilum prope sunt redacta: si tamen quorumdam adhuc videntur vestigia, nulla in eis regularis normæ servantur instituta: sive namque Monachorum, sive Canonicorum, sive sint sanctimonialium, proprijs & sibi jure competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem Ecclesiæ auctoritatem Prælatis utuntur extraneis, in eis degentes partim indigentia, partim malevolentia, maximeque inhabilium sibi Præpositorum facientiũ incontinentia moribus vivunt incompositis.

Quid si hi Patres sæculum insequens vidissent? sæculum, inquam, ob disciplinæ monasticæ interitum sanguine deplorandum. Dicam expressius, (ait Schaffnaburgensis historiographus de Meginvvardo Simoniaco Abbate Augiensi) vi doloris impulsus: Is pseudomonachus; is Angelus satanæ transfiguratus in Angelum lucis, ita sanctam & Angelicam Monachorum professionem infamavit, corrupit, vitiavit, ut Monachi nostris temporibus in his regionibus non innocentia æstimentur, atque integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ: nec quæratur in Abbatibus eligendis, quis dignus præesse, sed quis carius Abbatiam posset emere. Ita proprio huius invento, novo atque infausto aucupio hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, ut Abbatiæ publicè prostituantur in palatio: nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inveniat, Monachis inter se non de observantia Regulæ, zelo bono, sed de quæstibus & usuris zelo avaro contendentibus. Et inferius: Reverà non immeritò Dominus super nostrates Monachos despectionem effundere videbatur: nam quorumdam pseudomonachorum privata ignominia nomen Monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio divinarum rerum totam operam pecunijs & quæstibus insumebant. Hi pro Abbatijs & Episcopatibus aures principum importunè obtundebant, & ad honores Ecclesiasticos non via virtutum, ut maiores nostri consueverant, sed per ambitionis præruptum & malè partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denique incoemptionem

Lambert. in Chron. A. D. 1069.

A. D. 1071.

nem

Digitized by Google

nem exigui honoris aureos montes quotidie mittebant, ſæculareſque emptores largitionis ſuæ immoderantia excludebant: nec venditor tantum audebat expoſcere, quantum emptor paratus erat exolvere. Mirabatur mundus, unde tantus pecuniarum ſcateret fluvius; unde Crœſi & Tantali opes in privatos homines congeſtæ fuiſſent, & eos potiſſimum homines, qui crucis ſcandalum, & paupertatis titulum præferrent, & præter ſimplicem victum, & veſtitum nihil rei familiaris habere ſe mentirentur. Iſta Dominici agri Zizania, hæc vineæ Dei arida ſarmenta & ſtipula æternis ignibus præparata, totum ſacri gregis corpus quaſi tabe quadam infecerant, & ſecundum Apoſtolum modicum fermentum totam corruperat maſſam, ita ut omnes ſimiles æſtimaremur, nec eſſe in nobis putaretur qui faceret bonum non eſſe uſque ad unum. Propter hoc Principes regni ad inſtituendam in Gallijs (de Gallia Rhenana loquitur) divini ſervitij ſcholam Tranſalpinos Monachos evocabant; noſtrates autem quicumque in illorum inſtituta ultrò concedere noluiſſent, de monaſterijs cum ignominia eijciebant. Apud Iacob. Gretſer.

Deflet hæc tempora Henriciana non parcius auctor vitæ S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi. Illo tempore inquit, non quiſquam Epiſcopus aut Abbas, ſive Præpoſitus eſſe potuit, niſi qui pecuniam maiorem habuit, vel ipſius (Imperatoris) ſpurcitiarum compos extitit, & fautor aſſenſit. De nullius certè vita, vel converſatione agebatur bona; immò abominabilis religio omnis, & veritas atque juſtitia habebatur. Ille ſacerdos laudabilior, cuius veſtis comptior, cuius menſa copioſior, cuius concubina ſplendidior. Erat miſerabilis Eccleſiæ facies, ait Gerhohus Reicherſpergenſis, in Germania. Non facilè inveniebatur dignitas, quam non duo poſſiderent, alter legitimè electus, alter ſimoniacè ſuperintruſus à laica poteſtate, quoad tandem ſeptiformis zelo ſpiritus indutus Gregorius VII. radicem malorum blanda primum manu, deinde acuta excommunicationis ſecuri excîdit. Nam hæc ſancti Pontificis vox & mens erat, *Malle ſe ut nullus eſſet Monachus in Eccleſia, quàm irreligioſus.* Gerhohus ſyntagm. c. 10. S. Greg. VII. l. 1. epp. 47.

Tentaverat quidem iam ante Gregorium Leo IX. Simoniacos è monaſterijs eliminare, ſed bonus conatus effectu caruit, malumque augmenta ſumpſit, & cum hoc alia plura, quibus non potuit non flacceſcere rigor monaſticus, maximè in Imperio, ubi eò inſaniæ Abbates cum Epiſcopis ſunt progreſſi, ut A. D. 1049. in concil. Rhem. Lambert. ſup. A. D. 1076.

Digitized by Google


ſi, ut Wormatiæ convenientes ſanctiſſimum Papam Gregorium deponerent. Quid mirum proinde, ſi Deus permiſit monaſteria ab impijſſimo Principe everti, & victualia ſervorum Dei in ſtipendia militum converti. Reverſus nuper ab Ieroſolymis ad ſuum nativum cœnobium S. Benedictus erat, quò eum laxata ſuorum diſciplina ablegaverat: ad Imperium nec S. Benedictus, nec Auguſtinus remeare velle videbantur, tam abominanda facies monaſticæ converſationis erat.

Baron. A. D. 1045. ex Leon. Oſtiens l. 2. c. 77.

Quippe extinctis utcumque Simoniacis ſurrexerunt ſub Friderico Schiſmatici, qui diſciplinæ religioſæ non minorem illis ſtragem intulerunt. Uni conciliabulo Papienſi A.D. 1160 tot ex diverſis regnis Abbates & Præpoſiti interfuerunt, ut eorum numerus iniri non potuerit, qui omnes depoſito meritiſſimo Papa Alexandro III. flexerunt genua ante Baal adorantes idolum Victorem III. Anno ſequenti non minorem multitudinem conveniſſe reperies ad conventiculum Laudenſe, in quo coram Friderico Victor confirmatus eſt. Sub tot Prælatis excommunicatis quid augurari potes de clauſtrali diſciplina? Et licet interim prodierint variæ Congregationes & Ordines religioſi, qui deficienti fervori conabantur ſuccurrere; hic ipſe tamen ſuccurſus non durabat perpetuò. Quis enim ſtatus monaſticus ſequenti ſæculo fuerit docet in Concilio Viennenſi Cardinalis Guido Legatus Clementis IV. Verba non produco, ne alios traducere videar. Ipſa quin etiam Dei mater apud B. Brigittam queritur de certis Monachis, quòd quærant veſtes, quæ excitent luxuriam; quòd abominentur aſperitatem; denique quòd inquirant indumenta, quæ carnem excitent ad carnale, & quibus placeant hominibus. Ante centum & ultra annos quis ſtatus monaſteriorum fuerit illis relinquo ſcribere, qui nobis tot apoſtatas & hæreticos exprobrabant. Si quæris, quorſum hæc omnia proferam? reſpondeo ut, quia in hegumenarchio verſamur, Prælatos dormientes excitem: ſi enim ſibi gratulantur de bona ſuorum diſciplina, triſtentur ſimiliter de mala: non enim hoc ex poſtremis eſt, cuius Deo rationem reddent.

A. D. 1267.

Revel. S. Birgitt. l. 4. c. 127.



EPIST-

EPISTOLA CXXV.

Disciplinam religiosam frequenter splendidè floruisse.

EStO Iosippe, defecerit interdum certis locis ac temporibus virtus inter Religiosos: quis enim semper ex integro sanus est? Hoc tamen pro certo habeas, in Ordine monastico numquam defuisse qui vel in officio constanter starent, vel animosè se ex invaletudine erigerent. Essenorum quanta fuit Religio, quanta sanctimonia? Spudæi, Christianique Philosophi nisi morum integritate, vitæque innocentia plus ceteris coruscassent, persecutiones tantas ab impugnatoribus fidei non sustinuissent. Successerunt meliora tempora, & in his Antonius monastici corporis ocellus. Falleris si opinaris ipsum solum tunc temporis in terra angelicam vitam egisse. Non ipse solus, ait S. Ephaim, hoc vitæ instituto usus est, verum & reliqui Patres, qui religiosam vitam ducebant, qui hortabantur & consolabantur ad se venientes, per quos signa & curationes adhibebat Deus: Tamquam enim lucernæ quædam claræ virtutibus radiabant. Nolo his fusior esse. In manibus sunt vitæ Patrum, ex quibus sole clarius illucescit, quanta sanctitas inter Monachos tertio quartoque sæculo extiterit. Hinc Syriæ Magister suos juniores alloquitur: Humilitatem pro viribus amplectimini, ut intelligere possitis, quanta Patrum nostrorum temporibus fuerit perfectio, quanta humilitas, quanta frugalitas, quanta denique rerum humanarum contemptio ac despicientia. De suis senioribus ait: *Vos estis benedictus grex Christi: vos estis luminaria mundi.*

Epist. 13. Epist. 7.

Epist. 55. S. Ephr. ep. ad Ioan.

Idem ep. ad vers. vit. vivent.

Idem serm. de relig. vit.

Vidit hoc sanctum studium inter Monachos Magnus Basilius, & tantopere eo delectatus est, ut etiam in Episcopatu fermè alium neminem circa se habere vellet, quam Monachum. Id cùm Clerici impatienter ferrent, coëgerunt virum sanctum in laudes assurgere monasticæ sanctitatis. Arguimur, inquit, quod habemus circa nos pietatis ascetas qui mundo & omnibus curis renunciarunt mundanis, quas Dominus spinis comparavit, quæ verbum Dei fructificare non sinunt. Hi mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt, sublataque sua cruce sequuntur Deum. Ego sanè omnem vitam meam impenderem, ut hæc mihi pro delictis exprobrarentur, scilicet penes me esse eiusmodi viros, qui meo magisterio

S. Basil. epist. 63.

ſtudium hoc amplecterentur. Nunc autem audio jn Ægypto florere tales, & forſan aliqui in Palæſtina hoc evangelicum inſtitutum imitantur. Quinimmo intelligo etiam in Meſopotamia ejuſmodi reperiri viros perfectos ac beatos, ad quorum perfectionem nos pueri ſumus.

Idem epiſt. 79. Alibi ait: Conjectis in Evangelium oculis legi magnum eſſe ſubſidium ad perfectionem, ſi venditis omnibus conjungerem me ſocietati pauperum fratrum, ubi nulla prorſus cura hujus vitæ, nulluſque affectus mentis eſt ad res terrenas. Ergo rogavi oſtendi mihi talem fratrem, quocum fluctus huius vitæ tranſmitterem, reperique non paucos apud Alexandriam, nec rariores in reliqua Ægypto, & alios deinde in Palæſtina, Cœleſyria, & Meſopotamia, quorum in victu admirabar abſtinentiã, in labore tolerantiam, in orationibus perſeverantiam, in ſomno continentiam, ita ut nullis cederent naturæ neceſſitatibus, mentemque affixam haberent perpetuò in libertate, & rerum cæleſtium contemplatione perſiſtentes in fame & ſiti, in frigore & nuditate, adeò ad corporis proprij curam negligentes, ut nec in minimo ipſum attenderent, ſed tamquam alienam carnem inhabitarent, opere demonſtrantes quid eſſet habere corpus hîc in terra, & converſationem in cœlo.

Ingens volumen evaderet, ſi ſingillatim oſtenderem, Vide epiſt. 11 quàm laudabiliter vixerint innumeri Monachi temporibus ſancti Hieronymi, Epiphanij, Chryſoſtomi per Ægyptum & Orientem. Surrexit hos inter S. Auguſtinus, & hanc gratiam tranſplantavit in Africam. Cùm verò hæc felix arbor vitæ in Occidentali plaga cœpiſſet areſcere, excitavit Deus ſpiritum S. Benedicti, cujus feliciſſimâ curâ diſciplina regularis quanta, A. D. 529. per Deum, fecunditate refloruit! Ab eo tempore, quo Caſſinenſe cœnobium erectum eſt, quaſi ſemen pietatis monaſticum inſtitutum accepit, quod ſe deinde non per Italiam ſolùm, verùm etiam per Galliam, Siciliam, Angliam, Hiſpaniam, Scotiam ac Germaniam lætiſſima ubertate diffudit. Si te delectat noſſe ſolius Scotiæ florentiſſimam aſceſin ſexto ſæculo, lege collationem Anglicanam apud Bedam A. D. 664. & præ gaudio exultabit cor tuum. Beda l. 3. hiſt. c. 25.

A. D. 751. A. D. 749. Quod ſi tamen umquam, certè ſeptimo ſæculo monaſtica diſciplina in Occidente vigilavit. Regnabat in Gallia Pipinus III. Caroli Martelli filius, frater Carolomanni, qui reli-

cto

ᵭo mundo Monachum induit in monte Caſſino, ubi ſub Petronace Abbate Regula S. Benedicti religioſiſſimè ſervabatur. Ad illum Pipinum Zaccharias Papa ſcribit, gratanter ex eo ſe audiviſſe, quòd omnium tam Epiſcoporum, quàm Abbatum per Galliam bona eſſet converſatio. Et quid non his temporibus Gallorum reges, ſummique Pontifices per Abbates adminiſtrarunt? Niſi floruiſſet ipſorum diſciplina, jure merito in ſuis clauſtris relicti fuiſſent. Denique ſub hæc ipſa tempora Germania potiſſimum à Monachis ad fidem converſa eſt, in qua etiam vix alij quàm Religioſi ad cathedras epiſcopales evecti ſunt. Erant, ait Surius, eo tempore in eadem primitus Eccleſia Trajectenſi Apoſtolici Pontifices, & Canonici egregij Prædicatores, utpote S. Winfridus Sacerdos, qui poſtquam tredecim annos in Eccleſia traiectenſi ut Canonicus degiſſet, Archiepiſcopus Moguntinus conſecratur, & Bonifacius appellatur. Et hic eſt ille magnus Germanorum Apoſtolus, cuius induſtria converſatio monaſtica magna ſumpſit incrementa in patria noſtra. Eo ſolum tempore, quo apud Boios ipſe, & S. Willibaldus apud vicinos Almonios commorati ſunt, unde viginti Monachorum & Sacerdotum collegia condita ſunt: monaſteria autem ſacrarum virginum in tanto ubique numero conſurgebant, ut S. Bonifacius coactus fuerit in Angliam patriam ſuam mittere pro ſanctimonialibus, quæ Germanas Chriſti ſponſas inſtruerent ac regerent.

Zachar. ep. 7. alij. 9.

Ex tomis Concilior.

In vita ſancti Swibert. c. 14. 1. Mart.

Gretſer. l. 1. obſervat. cap. ult. vitæ S. Willibal.

Idem c. 10. Baron. A. D. 725.

Plurima tranſeo de aureo hoc ſæculo, quo ſummi Orbis Principes ſanctam Monachorum converſationem & magnis officijs proſecuti, & demum ipſimet amplexati ſunt. Horum primi fuerunt Choret & Opha Reges Anglorum, qui in ipſa urbe Roma monachicum habitum ſuſceperunt. Eos ſecutus eſt Carolomannus in Monachum attonſus A. D. 749. Biennio pòſt ad Papam Zacchariam venit Rachis Rex Longobardorum, qui unà cum Regina & liberis ſuis mundo nuncium remittens propoſito Monachi aſſumpto deſtinatus eſt ad Carolomannum in cœnobium Caſſinenſe. Poſtremò ſub Hadriano Pont. qui A. D. 772. electus eſt, vita fungitur. Leoninus ex Duce & Conſule Romano Monachus ibi effectus. Monachi Orientales quantum his ipſis temporibus ſub iconoclaſtis doctrina, & zelo, & ſanctitate claruerint multis alibi tibi perſcripſi.

Sigebert. in Chron. A. D. Idem A. D. 749. & Leo Oſtiens. c. 8. in Chrō. Caſſin.

Anaſtaſ. Biblioth. in Hadrian.

Epiſt. 75.

Ad Caroli Magni & Ludovici pij tempora venio, qui-

Lang. in Chrô. A.D. 968. bus quantum floruerit religiosa conversatio ostendit Paulus Langius. Episcopi Ecclesiarum passim ex monasterijs desumebantur, non tam fundatorum devotione, quàm Clericorum sincera affectione & electione. Erant tum, inquit, Monachi & Religione ob paucitatem, & rarissimum in mundo conspectum, & potissimum ob eminentem eorumdem sanctitatem, omnimodamque eruditionem in summa reverentia & honore. Non etenim tot Ordines tum in Ecclesia erant, sed duo tantum, Canonicorum videlicet S. Augustini, & noster D. Benedictus in Ecclesia Christi radiabant. Certè de cœnobijs S. Benedicti A.D. 813. in synodo Cabilonensi dicitur, *Quod penè omnia in illis religio-* Epist. 114. *nibus secundum Regulam sui sancti patris vixerint.* Ubi secus fiebat, eo ipso anno corrigebatur, ut ostenditur ex Concilio A.D. 816. Turonensi III. De Canonicis verò Regularibus Aquisgranense concilium ait: *Pleriq; auxiliante DEO devotè ac religiosè cum sibi subjectis canonicam servant institutionem, & in plerisq; locis idem Ordo plenissimè servatur.* In vita Ludovici Imp. dicitur, Monstro simile fuisse, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus tunc aspirasset ad sæcularis gloriæ ornamenta. Conscriptæ sunt illis diebus leges non modo Canonico, sed etiam Ordini mona- Leo Ostien. sup. l. 1. c. 18. chico, qui eas haud minus ac Regulam Leonis Ostiensis adhuc temporibus observabat.

Surrexit inde Ordo, seu potius Congregatio Cluniacensis. Cuius amplitudinem ac fervorem quis pro dignitate describat? Innumera penè monasteria sanctissimæ huic reformationi se incorporarunt. Eam Benno plantavit, Odo rigavit, Maiolus, Odilo, Hugo, Petrus Abbates omni sanctitate conspicui in flore conservarunt. Rami eius honoris & honestatis se trans mare usque in Orientem & Occidentem diffuderunt. Lang. & Sigebert. A.D. 960. Atque huic reformationi accessit ardentissimus zelus Othonis primi, qui statum clericorum iuxta ac Monachorum præcipuè per suam Saxoniam statim ab exordio Regni sui extructis, restauratis & ampliatis complurimis monasterijs vehementer studuit in vigore conservare. Et cum paulatim, sicut sunt humana, hic vigor apud multos remitteret, suscitavit identidem DEUS vel egregios reformatores, vel novos Ordinum fundatores, quorum sedulitate & exemplo etiam primi ad officium alacriter redierunt.

Inter reformatores autem non postremo loco pono S. Altmannum

Digitized by Google

mannum nostrum Pataviensem Episcopum, virum Apostolici roboris & spiritus. Hic pestilentes quosque, corruptos & abominabiles factos in studijs suis de locis sanctis undique proturbans, providit vice illorum religiosos tam Prælatos, quàm discipulos. Inde jam reflorere Religio; inde suave redolens redire sanctitatis opinio; inde reverentia exhiberi servis Christi. Hoc tam felici ausu solliciti cultoris innovata sunt novalia cœnobiorum, & seges fecundior surrexit; quoniam infructuosum fuisset serere super spinas. Hinc jam illi flores domus S. Floriani & Hyppoliti, de quibus alibi dixi: hinc etiam Monasterium S. Agapiti mart. in Cremismünster, quia Dominus dedit benignitatem, dedit & ipsum fructum suum. Fundavit & pro canonicis cœnobium Dei genitricis in Kotwich, sicut & S. Nicolai in suburbio Passaviensi, unde habemus Hartmannum virum quidem ex mediocri familia oriundum, attamen omni sanctitate, sapientia, fidelitate erga sedem Apostolicam, & facundia commendabilem, ob idque ipsi regi Rudolpho charissimum, Papæque Vrbano II. ejusque successoribus notissimum, quem Conradus Salisburg. Archiepiscopus A. D. 1121. suis Canonicis reformatis Decanum, Chiemensibus deinde post decennium Præpositum dedit, unde exacto triennio ad petitionem S. Leopoldi primus ex Regularibus nostro cœnobio præfuit, tandemq; postulatus ad Episcopatum Brixinensem, eum annis 23. in magna sanctitate gubernavit. Hic zelo S. Altmanni insistens, ut religiosus erat, sic & clericos ac laicos undique conquirens & colligens communem eos vitam ducere sub Regula S. Augustini verbis & exẽplis diligenter instituit.

Gretser. in eius vita.

Epist. 81.

Hund. in metrop. in Altman. & Hartman.

Et licet his temporibus magna esset confusio in omni statu Imperij, ut nuper tibi significavi; non reliquit tamen Dominus plebem suam, ait Gerhohus Reicherspergensis: nam ecce in ipso turbine persecutionis bonorum, dum monasteria factione schismaticorum & Simoniacorum sævissimas paterentur procellas, capitur Hierosolyma ab exercitu Dei, in qua per clerum eodem commigrantem vitæ communis ea formula refloruit, quæ primitus per Apostolos ibidem cœpta dignoscitur, judicantibus eis nimirum justissimè non aliam se illi civitati debere normam vivendi inducere, quàm quæ primæ institutionis Apostolicæ fundamentis congrueret. Hæc siquidem plantatio legitimi germinis in civitate illa sancta resuscitata palmites suos inde jam latè extendit,

Epist. 124.


Gerhoh. in syntagm. c. 16.

extendit, bonorum cordium glebis id facilè ac libenter recipientibus, quod primitus ab ipsa dextra Domini in propriæ coloniæ agello plantatum est. Persecutio quoque huic bono cooperata est: nam dum à civitatibus meliores clerici, eò quòd excommunicato Principi, ejusque fautoribus & communicatoribus suam subtraherent communionem, pellerentur, in silvis ac suburbanis agellis cohabitantes, ubi eos, quibus Deus inspiravit, fideles ac potentes tutati sunt, ea cœperunt conversationis norma degere, quam Christo, pro quo persecutionem sustinebant, maximè complacitam agnovissent. Sicque in clero & monachatu Apostolicæ institutionis vita, quæ primò in desertis ac silvosis locis reviruit, paulatim etiam antiqua & suburbana cœnobia revisit, ejectis inde malis colonis, vel in melius commutatis, sicut scriptum est: *Pinguescent speciosa deserti:* alia quoque scriptura dicit: Et vineam suam locabit alijs agricolis.

Psal. 64. Luc. 20.

Ab hoc præterea tempore, ait Sigebertus, cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belluacensi Canonicus Ordo, primum ab Apostolis postea à B. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, pòst Carnotensium Antistite. Et hæc reformatio paulatim se per universam Galliam optabili exuberantia diffudit: nec modico tempore duravit. Etenim Stephanus ex Canonico Regulari Abbas, & ex Abbate Episcopus Tornacensis in Epistola ad Papam ait: *Canonicus Ordo regulariter à SS.PP. institutus sub vestro regimine Pater exultat: & apud nos Regularium Ordo in plenam vobis gratiarum actionem assurgit:* Et in alia: *Canonicos Regulares nostri temporis sub Regula B. Augustini Christo deservire scimus.* Intravit autem Stephanus hunc religiosum Ordinem A.D. 1110. circa quæ tempora plurimi monastici Ordines suborti sunt, qui splendore vitæ ac doctrina abunde compensarunt, quod fortè in uno aut altero desiderabatur, donec tandem emersit Iesu Societas, quæ suo sancto instituto reliquos omnes ad novam æmulationem accendit.

Sigebert. A. D. 1078. Ivo ep. 69. Steph. Tornac. ep. 179. Idem ep. 1.



EPIS-

EPISTOLA CXXVI.

De variis Religioſorum Reformationibus.



Eriſsimè dicis, Nihil eſt edacius tempore: conſumit omnia. Quid enim, obſecro te, inter ſublunaria ſplendorem ac vigorem ſuum conſervat? Quod S. Bernardus de ſingularibus aſſeruit, id de integris cœnobijs & Ordinibus dici non mendaciter poteſt. *Multo*, inquit, *facilius reperias multos ſæculares converti ad bonum, quàm unumquempiam de Religioſis tranſire ad melius. Rariſſima avis in terris eſt, qui de gradu, quem forte in Religione ſemel attigerit, vel parum aſcendat.* Hinc niſi juges adſint ſtimuli reformationis actum de profectu noſtro eſt. Prælatorum hoc officium eſt, ad ſubjectum gregem immoto vultu attendere, evellere, deſtruere, diſperdere, diſsipare, ædificare, & plantare, alioquin durum judicium his, qui præſunt fiet. S. Bern. epiſt. 96.

In Eccleſia primitiva, ut jam dixi tibi, nullus Clericus erat, quin eſſet Religioſus, ut Aapoſtoli, Monachi ſanctiſsimè vivebát juxta Regulam Eſſænorum. Neuter ſtatus duravit incolumis. Inde Clerici ſæculares; hinc Monachi Remoboth quaſi apum fuci ſubintroierunt. Ergo reformatio neceſſaria erat, quam Clericis adhibuit S. Baſilius, Euſebius, Ambroſius; efficaciſsimè verò S. Auguſtinus in Concilio Carthaginienſi A. D. 398. in quo planè ad normam Apoſtolicam revocati ſunt: monachicum rigorem Antonius, Pachomius, alijque plures incredibili lucro reduxerunt.

Marcianus Auguſtus cum initio ſui Imperij A. D. 450. ſtatum Monachorum ob Eutychetis inſaniam in toto Oriente reperiret perturbatiſsimum, quid non incepit, ut ad tranquillitatem priſtinam eum revocaret? Turbulentos vel benevolentia vel ſeveritate ſedavit; bonos fovit, malos aut ſibi reſtituit, aut eò relegavit, ubi nocere nequirent: Eutychen malorum omnium caput duplici exilio multavit, monaſteria tutatus eſt, ejectiſque peſtilentibus per ſanctos Monachos reformavit. Crediſſes Imperatorem more veteri etiam Pontificatum gerere. Et quantum hoc unicum erat, quod celeberrimum *Studij aſceterium* in nova Roma priſtino ſplendori reſtituerit, ex quo deinde indicibilis utilitas redundavit in Eccleſiam. Macte Marciane; inter Conc. Chalced. A.D. 451.

reformatores status monastici te Ecclesia Dei collocat.

Missionem S. Mauri & Fausti à S. Benedicto in Gallias ad reformandam cœnobiticam vitam communiter ponunt ad A.D. 536. Habet Gallia quo tantis viris se gratam exhibeat. Erexit se inde alacriter conversatio monastica: jacebat enim prona apud multos. B. Mauro egregius Abbas Brachio manus porrexit. Hic cum adhuc in sæculo esset, jussu Siginaldi Arvernensis Domini sui venatum in silvam concessit, in qua se exercebat Æmilianus eremita nulli nisi Deo notus. Cum autem Brachio grandem aprum cum canibus insequeretur, aper rectà ad cellulam beati viri profugiens intra septa quoque ipsa irruit hærentibus foris in vestigio divina virtute canibus. Quod ut vidit Brachio, admirans factum intravit in cellam. Vbi tam verbis eremitæ, quàm ipso miraculo persuasus mentem mutavit, defunctoq; Domino suo ad eremum ipse properavit. Triennio cum magistro mansit, quo peracto Æmilianus adscitis pluribus fratribus defunctus est. Brachio verò stabilito monasterio Turonos abijt, ubi alia duo ædificavit monasteria. Dehinc egressus ad primum Arvernense suum cœnobium quinquennium ibi mansit, iterumq; Turonos adiens Abbates fratribus præposuit, regressúsque unde venerat. Inde vocatus ad cœnobium Matanense (ubi Abbatis incuriâ jacebat disciplina) studia monastica tantâ vehementiâ resuscitavit, ut cum aliàs suavis esset & mansuetus, hîc in transgressores censeretur subinde etiam crudelis, id quod subinde ratione personarum delinquentium videtur esse necessarium. Alioquin non est damnanda sententia S. Odonis Cluniacensis, qui cum esset in peccantes justo lenior, reprehensoribus respondit: *Si damnandus sum, malo damnari de misericordia, quàm de duritia.* Sed alij olim erant Matanenses, alij Cluniacenses, hoc est, duri à morigeris differunt: Illis ergo Brachio, his Odo præponendus est.

S. Greg. Turon. vitt. PP. cap. 6.

Sigebert. in chron. A. D. 993.

Proposueram hoc loco tibi breviter leges indicare, quæ singulis penè annis in reformationem status religiosi ab Episcopis hinc inde in concilijs conditæ sunt ad cognoscendos excessus cœnobitarum: *per legem enim cognitio peccati*, at quia non Annales, sed Epistolas scribo, transeo. Inter alia me perquam recreavit concilium Moguntinum A. D. 813. in quo ex una parte sederunt Episcopi, ex altera Abbates & probati Monachi legentes Regulam S. Benedicti, ac tractantes diligenter, qualiter Monachorum

Rom. 3.

Digitized by Google

nachorum vitam in meliorem ſtatum & augmentum cum Dei gratia perducere poſsint. Quàm optandum foret, ut ejuſmodi conventus repeterentur. Fuerunt olim etiam ſæculares Principes, qui ſollicitam curam gerebant reformationis monaſticæ. Si neſcis; Carolus Calvus Legatos per totum Galliæ regnum miſit, qui omnium monaſteriorum Canonicorum & Monachorum ſtatum recognoſcerent, & ad ſe fideliter referrent, etiam quot numero Religioſi, quique redditus unicuique eſſent. Nam etiam ex ipſa œconomia temporalium rerum diſciplina religioſa agnoſci poteſt. *Omne Monaſterium*, ait ſcriptor vitæ S. Willibaldi, *quod in ſpiritualibus bene regitur, in temporalibus per omnia proſperatur: quod verò in ſpiritualibus malè regitur, in temporalibus peſſimè gubernatur.*

Ex concil. Sueſſion. A. D. 853.

c. 26.

A Caroli provida ſollicitudine Ludovicus Imp. II. biennio pòſt Ticini coire juſsit Epiſcopos, per quos omnino non modò ſcire, ſed etiam emendari cupijt, quidquid tam in Clero, quàm in S. Benedicti cœnobijs ſexus utriuſque inemendatum eſſet. Itaque reſponderunt Epiſcopi, cum omnia Monaſteria Canonicorum ſimul & Monachorum maxima ex parte ordinem ſuum amiſerint, operam ſe daturos, ut in ordinem priſtinum redigerentur.

A.D. 855.

A. D. 943. creatur Papa Martinus II. quem ait Anaſtaſius deditiſsimum fuiſſe reformationi Monachorum, dignum proinde regimine longiori. Quid enim tantæ moli triennium? S. Wolfgangus eodem vixit ævo, & inter præcipuos Cleri, Monachiſmique reformatores numeratur. Poſt hunc prodijt S. Anno Colonienſ. Epiſcopus, qui cum in omnibus Theutonici regni Monaſterijs cerneret antiquum illum diſciplinæ fervorem eſſe reſtinctum, & Monachos à vita communi ad rem familiarem curam omnem, ſtudiumque convertiſſe, gravi tœdio angebatur animus ejus, quod ingentibus expenſis nihil Deo dignum confecturus putaretur: Interim contigit, ut A. D. 1064. pro cauſa Reipub. Romam pergeret; cumque alias Italiæ regiones peragraret, Principes ejus regni, ne à Rege deficerent, ſuis exhortationibus confortaturus, ad Monaſterium quoddam, cui Fructuaria nomen eſt, cauſa orationis divertit. Ibi admiratus Monachorum arctiſsimam, & ſecundum Regulæ inſtituta converſationem, nonnullos eorum in opere Dei probatiſsimos ſecum rediens abduxit, & eos ad tradendum Gallijs ejuſdem diſciplinæ formu-

S. Wolfgang fit Epiſcopus. A. D. 968. Hund. in metrop.

S. Anno fit Epiſcopus A.D. 1055. Petrus Meſſixus. Lambert. A. D. 1075.

lam in Sigeberg constituit, prioribus Monachis, quos ex S. Maximino adsciverat, quoniam in horum instituta concedere noluerant, honorificè in locum suum remissis. Quod ejus factum imitati ceteri Galliarum (ad Rhenum) Episcopi, alij ex Gorzia, alij ex Cluniaco, alij ex Sigeberg, alij ex alijs Monasterijs Monachos evocantes, novam divini servitij scholam in suis singuli Monasterijs instituerunt, adeoque brevi convaluit felicis hujus facti æmulatio, ut pauca intra Galliam (Rhenanam) Monasteria videamus, quæ non jam novæ hujus institutionis jugum subacta receperunt.

Idem A. D. 1071. Tradidit se huic reformatæ disciplinæ Lambertus Monachus Hirsfeldensis disertus ac verax horum temporum historicus, & per quattuordecim hebdomadas apud hos transalpinos Monachos partim in Salefelt, partim in Sigeberg commoratus est, Et animadverti, inquit, nostras, quàm illorum consuetudines Regulæ S. Benedicti melius congruere, si tam tenaces propositi, tamque rigidi paternarum traditionum æmulatores vellemus existere. Sed ego me inter Annonis & Lamberti judicium non interpono. Novi zelum Episcopi; novi & hoc, quòd acceptiores forsan reformatores suorum Monachorum invenisset vel apud S. Hugonem Cluniacensem, vel apud Wilhelmum Abbatem Divionensem severitate tunc temporis reverendum; vel in Lotharingia apud Richardum Virdunensem pia gravitate, & gravi pietate discretum; vel in Stabulaus ubi nuper defunctus erat Poppo Abbas religiosissimus; vel apud Osbertum, & Stephanum Leodicenses, vel denique apud Bernonem Augiensem, quorum nomina sunt in libro vitæ: siquidem in eorum Monasterijs disciplina ex Regula S. Benedicti velut clarum sidus in Orbe temporibus istis radiabat.

Sigebert. A. D. 1027.

A. D. 1048.

In puncto reformationis, Iosippe, non raro erratur; aut si non erratur, modicum perficitur, si Episcopi eam absque consilio, vel auxilio bonorum religiosorum juxta Regulam illam viventium suscipiunt. Verba non habent pondus, nisi intellectus habeat regularis vitæ notitiam, & experientiam non solum juris, sed & facti. Personam in comœdia agere non est difficile. S. Anselmus Lucensis sub idem tempus Italiæ Monasteria plurima reformabat, sed exercitatus erat in schola Cluniacensi. Erat autem à Gregorio VII. datus comitissæ Mathildi in magistrum spiritualem. Vix onus accepit & per omnes Ecclesias latissimi dominij

minij jam nominatæ Comitiſſæ cœpit componere vitam tam Clericorum, quàm Monachorum. Etenim cum ſuo Sancto Gregorio dicere ſolitus erat, *malle ſe in Eccleſia videre nullum, quàm Clericum aut Monachum irreligioſum.* Sed quidquid effecerit apud Monachos; in Clero pro deſiderio res non ſucceſsit. Promiſerat ſe communem cum eis vitam acturum, & omnia habiturum communia ſicut S. Auguſtinus. Se futurum pauperem, ut ipſos in Chriſto divites efficeret: Se inſuper daturum multas divitias ipſorum parentibus. Adjuvit etiam conatum hunc S. Gregorius Pont. Max. Sed nihil obſtinatos frangere potuit. Tandem cum idcirco excommunicarentur, inſurrexerunt in eum, & à ſede eum fugaverunt. *Reddiderunt mala pro bonis.* Baron. A. D. 1074.

Sed nihil novi hoc eſt; ſic quoque Iudæi in Chriſtum debacchati ſunt. In monaſterio S. Hyppoliti erant olim Clerici ebrietati, voracitati, libidini & uſuris impliciti, quos contumaces Epiſcopus S. Altmannus canonica cenſura de loco expulit, & religioſos viros pro eis reſtituit, quibus præfecit Engelbertum virum prudentem & facundum. Atqui Clerici expulſi ægrè ferentes expulſionis ſuæ opprobrium, ſumptis armis audacter ingreſsi ſunt cœnobium, fugatiſq; omnibus cellarium fregerunt, & vinum in terram effuderunt. Quod facinus ſtatim ultio divina ſecuta eſt: nam omnes in amentiam verſi avia deſerti petierunt. Hund. in Altmanno.

Neque enim ſemper Deus inultos ſinit impugnatores reformationis, A. D. 1114. fundatur Monaſterium B. Mariæ Virg. in Botzaw. Huic Abbas præficitur Eckenbertus vir venerabilis ex Monaſterio Hirſaugienſi Spirenſis diœceſis, ubi tunc diſciplina clauſtralis florentiſsima erat ſecundum ſtatuta Cluniacenſium. Erat inter Monachos Converſus nomine Benno, proſapia quidem nobili, ſed moribus perverſiſsimis, quibus facilè alios pervertere poterat. Cum longo tempore nequidquam corriperetur, Abbas eum directioni commendavit Epiſcopi Zitzenſis Theodorici Monaſterij fundatoris. Qui cum hominem durius (ut meruerat) coarguiſſet, in tantam væſaniam ex impatientia correptionis devenit, ut venerabilem hunc Antiſtitem ante ſummum altare ad orationes procumbentem, latenter cultro jugulaverit, ex quo vulnere triduò pòſt obijt A. D. 1123. Benno autem vivus in veſtigio abreptus à dæmone nuſquam comparuit. P. Lang. in Chron.

Non eſt dubium, quin hîc tibi incidat, quod ante non

multos annos contigit in noto nobis Monasterio. Volebat ad meliorem frugem suos reducere Præpositus. Quid faciunt væcordes homines? Captata occasione in Hegumenarchio suo strictis cultris invadunt nihil horum suspicantem. Projectumque humi cultro per jugulum affigunt ad pavimentum, ac discedunt. Præpositus ut præter opinionem vires collegit, cultrum primò è pavimento, deinde etiam è collo extraxit, surrexit, & Deo dante convaluit. Quid factum sit parricidis quæris? Casum inciderunt in reservatum, non Episcopo, sed tribunali divino.

In append. chron. Lambert.

Verùm redeundo ad reformationes noveris Iosippe posterioribus sæculis penè infinitas processisse. A. D. 1257. celebratum est capitulum Abbatum S. Benedicti per Thuringiam & Saxoniam in monte S. Petri Erphordiæ pro reformatione Ordinis, ut jam pridem Papa mandverat. A. D. 1379. inquit Langius, novus Ordo (Congregatio potius) Canonicorum Regularium in Lucensi agro apud Hetruriam cœpit in Monasterio Frisonariæ, qui deinde ab Eugenio Lateranensis dictus est, unde multi viri sanctimonia præstantes extiterunt. Item nova congregatio seu reformatio Ord. S. Bened. quæ S. Iustinæ dicitur, in Monasterio S. Iustinæ apud urbem Patavinam, unde innumerabiles viri sanctimonia, & omnis generis scientia præclarissimi prodierunt. A. D. 1424 vel circa restauratur Ordo S. Hieronymi à viro venerab: Lupo Hispalensi, qui ex dictis S. Hieronymi normam contextam Martino V. obtulit, quam & confirmavit. Denique A. D. 1430. Ioannes de Mindaw Abbas Clusensis reformat ad Regulam S. Benedicti suos dissolutos Monachos, cujus bonæ famæ odore capta Ducissa quædam Brunswicensis obtinuit, ut post triennium Ioannes fieret Abbas Bursfeldensis, ubi cum similiter Monachos reformaret, plurima per Germaniam monasteria Ordinis S. Bened. cum æmulati sunt, & imitati.

P. Lang. A. D. 1139.

Vide Gabr. Pennot. l. 2. hist. trip. c. 45. & l. 3. c. 8, 9. & 22.

A tempore scelesti apostatæ Lutheri, quot Ordines religiosi somnum excusserunt? Respice Italiam, considera Hispaniam & Germaniam: Si tam hebes es, ut aciem procul figere non queas, in propinquo Vienna est, ubi penè quot Ordines, tot reformati sunt, & quasi nova sidera firmamenti: illustratur enim nova luce Ecclesia, dum ex tenebris ignaviæ resurgit disciplina monastica.



EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXVII.

Visitationibus erigitur, & conservatur Disciplina religiosa.


Experto crede: non est melior eos ad acuendam religiosam disciplinam Visitationibus. His Prælati conservantur in timore, debita humilitate ac discretione, fastum erga suos deponunt, laxitatem in se moderantur, & diligentius rem familiarem procurant. Religiosi quoque subditi facilius æruginem contrahunt, si non purgantur limâ visitationis. S. Pachomius in Thebaide & Ægypto plurima sub se habuit cœnobia, quæ omnia diligẽter visitavit; & defectus etiã in defũcto reperit ac correxit. Exemplo S. Hilarionis per totam Palæstinam innumera monasteria esse cœperunt, quibus omnibus ipse tamquam Provincialis intendens statutis diebus ante vindemiam ea perlustrabat: & ne fortè ob religiosum comitatum visitandos gravaret, viaticum secum accipere solebat. Quamvis subinde victum à visitatis etiam accipiebat: dignus est enim operarius mercede sua.

Vita S. Pach. cap. 34.

Vita S. Hilar. cap. 19.

cap. 21.

Discretè hac de re disponit Tridentinum: Monentur omnes, inquit, & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, Christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant quàm celerrimè debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosivè sint; nevè ipsi aut quisquam suorum pro visitationis causa pecuniam aut munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, exceptis victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis antea solvi certâ pecuniâ taxatâ consuetum; an verò prædicta victualia subministrare.

Trid. sess. 25. cap. 3. de reformat.

S. Hilarion contentus fuit comites suos in visitatione pasci uvis de vineola, sed fratris liberalis à parco accepit nihil. De S. Ephraimo iam notum tibi est, quàm sedulò suos Syros visitaverit. Et quia Monachi illis temporibus sub potestate erant Episcoporum, statutum est Nicææ, ut chorepiscopi Monasteria visita-

Sup. in vita

Epist 124.

Nicæn. synod. cap. 54.

visitarent, & ubi invenerint indigentiam, eam supplerent è cœnobio abundantiori; cum timore tamen Dei, & ædificatione fratrum illorum. Et ab hoc tempore S. Athanasius tam Clerum quàm Monachos per subiectas sibi regiones non semel visitavit, id quod etiam Theophilus eiusdem sedis Episcopus fecit, & S. Basilius in Cappadocia. Qui quando infirmabatur, substituit alios, & ante mortem S. Amphilochium Iconiensem Episcopum rogavit, ut commendatam haberet suam diœcesin, eamque visitaret, confirmaret, languentia & luxata restitueret. S. Martinus in visitatione suorum animam exhalavit. S. Ambrosius à paterna sua cura nec Moniales exclusit. Gregorius Magnus etiam exempta monasteria per Episcopos visitari voluit.

S. Athan. apol 2. Et in vita S. Pachom. cap 27. & in vita S. Anton. Pelag. l. 15. n. 19. & 42. S. Doroth. doctr. 1. S. Basil. epist 295. & 396. Sulpit. ep. 3. ad Bassul. Paulin. in vita S. Ambros. S. Greg. Vide sup. epist. 20.

Censuit autem Moguntina synodus A. D. 813. dignum ac necessarium esse, ut cum Episcopis per diœceses mitterentur certi Religiosi, qui perspicerent loca Monasteriorum Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, si essent aptè & congruenter sanctæ professioni composita, si claustrum firmum haberent, in quo salvari possent animæ in eis cōmorantium sub disciplina canonica vel regulari. Ubi aliter inventum fuerit, per loci Episcopum emendaretur, ita ut condignam professioni eorum custodiã habeant Canonici, vel Monachi, atque Nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi. Quid Carolus Crassus & Ludovicus II. in hoc negotio fecerint, nuper dixi. Ludovicus pius parens Caroli non minori cura decrevit visitare cœnobia Imperij per idoneas personas in generali conventu Attiniaco, adeò etiam sæculares Principes intellexerunt, quantum valerent visitationes ad restituendum vel collapsum, vel collabentem statum monasticum.

Epist. 126. Annal. Franc. A. D. 835.

In Concilijs tam generalibus quàm particularibus frequentissimè urgetur opus visitationum. In Lateranensi sub Alex. III. conceduntur ad hoc Archiepiscopo equi 50. vel 40. Cardinali 25. Episcopo 30. vel 20. Archidiacono 5. vel 7. Decano 2. sic tamen ut nullus horum canes venatorios, aut aves secum trahat, aut in epulis luxuriosè vivat. Concilium Salisburg. concedit visitatori, si Abbas sit, equos octo non plures: si Abbas non sit, paucioribus utatur. Lateranense sub Innocent. III. decernit monasteria visitari, non gravari. Clemens in concilio Viennensi bene dicit, monasteria per visitationem esse corrigenda & reformanda tam in capite, quàm in membris.

A. D. 1179. cap. 4. A. D. 1281. cap. 9. A. D. 1215. c. 12. A. D. 1267.

Si alter-

Digitized by Google

Si alterutra namque pars negligatur, manca erit & imperfecta. Sunt autem conſtituendi viſitatores, qui neutri parti ſtudeant, & viſitationem nonniſi ſecundum Regulam extendant, ut Tridentinum vult. Quid enim ad me, quod eſt infra, præter, aut ſupra me? Atque hoc ipſo intelligis aptiores eſſe ad munus viſitandi monaſteria viros religioſos Clericis ſæcularibus, ut quibus Regulæ & conſtitutiones perſpectiores ſint. Eberhardus Salisburg. Archiepiſcopus Clericos Regulares reformaturus per totam Archidiœceſin ſuam, quæ octo conſtat Epiſcopatibus excepta ſede Metropolitana, non aſſumpſit unum de conſiſtorio ſuo hominem ſæcularem, ſed noſtrum Præpoſitū Georgium, ut eum Chronicum tuum m. SS. nominat, & huic impoſuit Officium Viſitatoris Generalis. Poſt tam diuturni belli tempora, quòd Religioſos non effecit ſanctiores, quàm indigerent cœnobia Eberhardis, aut Georgijs!

Trid. ſup. c. 1.

Concil. Saliſburg. 1420.

EPISTOLA CXXVIII.

De varijs Ordinibus Religioſis.



Icut fructus arboris à radice, ſic omnis decor religioſæ Diſciplinæ procedit ab Ordinum Fundatoribus. Hoc autem jucundum eſt, quod quandocumq; vita monaſtica cœpit languere in uno, ſuſcitaverit DEUS vel Congregationem, vel Ordinem alium, qui defectum languentis refunderet. Quid non Antonius præſtitit & Benedictus? Quantam devotionem exhibuit Congregatio Cluniacenſis exorta A. D. 912. Parum erat ad litteram & unguem ſervare Regulam, niſi etiam adiungeret inſtitutiones S. Eutychij Abbatis. Ut multis temporibus in vigore permanſit, alas cœpit demittere. Interim ſurgebat S. Romualdus cum ſuis Camaldulenſibus & magnas vires conferebat clauſtrali vitæ. Qui poſtquam 97. annos in eremico propoſito apud caſam Maldi laudabiliter conſumpſit, mortuus eſt plenus dierum ætatis anno 120. Chriſti 1027. Eum ſecutus eſt Joannes Gualbertus ſub eadem Regula S. Benedicti in Valle umbroſa, unde hic Ordo Vallis umbroſæ dictus eſt. Ex hac vita migravit A. D. 1073. natus annos 78. B. Stephanus civis Arvernenſis ei ſuppar fuit, In Aquitania per annos 50. eremum incoluit, Grandimontenſes inſtituit, & obijt octogenarius A. D. 1126.

Sigebert. in Chron.

In vita S. Odon.

Vitt. PP. Ovid.

Surius in vita t. 4.

In lib. 3. vitt. PP. Ovid.

Inter hæc illuxit S. Bruno Colonienſis litteris apprimè eruditus,

Sigebert. ſup.

eruditus, Rhemensisque Ecclesiæ Canonicus ac scholarum Magister. A. D. 1087. mundo nuntium remisit fundans eremum Carthusiæ, ubi tam arduum vitæ propositum arripuit, ut mundus miraretur. Robertus Abbas de Carthusiensibus ait: Hi Monachi præ ceteris continentes pesti avaritiæ, quâ plurimos sub Religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt, ut ipsi singulas singuli cellulas habentes, ac rarò vel ob Dei cultum, vel ob mutuum in charitate solatium convenientes, perfectius mori mundo, & ceteris tanto diligentius, quanto secretius vivere Deo elegerunt. Circumfer, Josippe, oculos per omnes Ordines, & non invenies, qui per tot sæcula tam constanter in proposito primævo perstiterit. Urbanus II. ut odorem S. Brunonis percepit, sexto anno pòst quàm solitudinem Carthusianam incoluit, eum ad se evocavit: cùmque multis instaret, ut Rhegiensem Archiepiscopatum in Calabria susciperet, laboravit frustra; ab se ergo eum dimisit in solitudinem Calabriæ A.D. 1095. ubi suum institutum egregiè propagavit usque ad A. D. 1101. quo & mortuus est.

Robert. in chron. A. D. 1131.

Anastas. in Vrbano.

Erat tunc temporis in Episcopatu Lingoniensi cœnobium Molismus nomine fama Celeberrimum, Religione conspicuum. Hoc à sui exordio magnis gratiæ muneribus, viris illustribus, amplisque possessionibus erat nobilissimum. Sed quoniam ardens zelus numquam dicit *Sufficit*, idcirco Robertus Abbas vir sanctissimus (quem cæli Regina ab utero matris anulo sibi desponsarat) arctioris vitæ desiderio, sub intentione servandi Regulam S. Benedicti ad litteram, cum alijs viginti & uno viris præclaris Molismo egreditur A. D. 1098. exantlatisque multis laboribus ac difficultatibus Cistercium venit, locum quidem perquam asperum; sed suo proposito admodum idoneum & gratum, quem etiam in Abbatiam erexit, Virginique matri consecravit favente Odone Duce Burgundiæ, Hugone quoq; Lugdunensi, & Walterio Cabilonensi Episcopis. Qui etiam Walterius utpote loci Ordinarius Roberto curam cum virga pastorali contulit. Cum autem haud longè post Molismenses suum Abbatem repeterent, accedente mandato Urbani II. vir sanctus suum Cistercium relinquere coactus fuit suffecto sibi Alberico viro sanctitate ac Religione conspicuo. Qui postquam

Sigebert. A. D. 1098.

In chron. Cisterc. eius vita

S. Bern. de præcept. & dispensat.

Sigeb. A. D. 1017.

novem

novem annis Cisterciensibus præfuit, decimo obijt, succedente Stephano natione Anglo, paupertatis, regularisque Disciplinæ amatore ardentissimo, atque æmulatore fidelissimo. Sub quo ita crevit familia Cisterciensium, ut intra 20. annos, quibus eam rexit, uni Cistercio duodecim monasteria accesserint, inter quæ præcipuum postea locum Clarevallense obtinuit, fundatum A. D. 1115. cui ex suo cœnobio præfecit Bernardum, non amplius quàm biennem Religiosum, sed vitæ sanctimonia, ac cælesti sapientia ita clarum, ut eo tempore Ecclesia parem vix habuerit. Laborabat incessanter utraque manu, & unâ purgabat, ædificabat, firmabat, defendebat, ac sua doctrina & auctoritate gubernabat Ecclesiam: alterâ vero erigebat & conservabat sanctitate, verbo & exemplo Disciplinam religiosam, adeò ut splendore sui nominis ferme suam matrem Cistercium obscurarit, cum hunc usque in diem sacer Ordo hic æquè ab ipso, quàm à Cistercio nominetur.

Floruit hic Ordo per multa tempora, tantæque fuit opinionis, ut etiam summi Pontifices existimaverint non posse ceteros Ordines per omnia regna & provincias melius reformari quàm per Cistercienses. Inspice, si placet concilium Lateran. sub Innocentio III. inspice Viennense sub Clemente IV. & videbis ad restaurandam Disciplinam claustralem vocatos esse Abbates huius Ordinis, quod in capitulis celebrandis ad reformationem status Monastici necessarijs ceteris omnibus ex longa consuetudine versatiores essent. Alexander tamen tertius tandem conqueritur, quod Monachi huius familiæ contra Ordinis sui gloriam & decorem villas, molendina, & Ecclesias possideant, fidelitates & hominia suscipiant, rusticos & tributarios teneant, omneque studium adhibeant, ut termini eorum dilatentur, quorum conversatio deberet esse in cælis. Verum est hoc: sed si per multiplicationem redditaum hoc solum quæritur, ut augeatur numerus Religiosorũ, adeoque honor Dei & salus proximi, quis arguat? His Dominica sententia dicit, *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis,* qui nil aliud quærunt, quàm pinguedinem cuticulæ, & inanem splendorem exteriorem.

A.D. 1215. c. 12. A.D. 1267. In append. Conc. Later. sub Alex. p. 49. c. 15. Isaiæ 5.

Dum ita S. Bernardus rem strenuè gerit, prodit ex altera parte S. Norbertus Lotharingus. Is laxioris vitæ pertæsus A. D. 1116. austerrimam conversationem inchoat nudis pedibus

Sigebert. A. D. 1116. & 199.

sæviente bruma incedens. Cum autem desiderio teneretur prædicandi verbi Dei, biennio pôst nudipes ad Gelasium Pont. concessit, & obtenta licentia à Calixto successore commendatus est Bartholomæo Lugdunensi Episcopo cultus divini propagatori non satis laudando. Qui varia Norberto loca obtulit, ex quibus vir Dei Præmonstratum elegit, ubi cum tredecim socijs Ordinem Præmonstratensem secundum canonicæ institutionis tenorem iuxta Regulam S. Augustini incœpit A.D. 1120.

Idem 1113.

Vix credis, Iosippe, quantum splendorem Ordo monasticus ex tot sanctissimis religiosis familijs consecutus sit. Audi Robertum de monte S. Michaëlis: His temporibus, inquit, Ordo Canonicus Præmonstratensis, & monasticus Cisterciensis quasi duæ olivæ in conspectu Domini, pietatis lumen & devotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites frugiferæ regionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes ferè Christiani Orbis terminos bonæ opinionis paulatim odore diffuso, novas Abbatias, ubi antea Dei cultus non fuerat construebant. Unde etiam in Syriam & Palæstinam de Præmonstrato fratres missi, nonnullas Abbatias ædificarunt.

In Chrō. 1110. Ibid. 1131.

Eratque circa hæc tempora pulchra ac decora facies Ecclesiæ diversorum Ordinum ac professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses Monachi, tum & diversi habitus & professionis Sanctimoniales, & mulieres Deo devotè in continentia atque paupertate sub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore Religionis invicem provocabant, & nova certatim diversis in locis monasteria fundabant. Cum his etiam Carthusienses, & milites templi Hierosolymitani, Fratres quoque de Hospitali sub religioso habitu continenter viventes, ubique se multiplicando diffundebant. Accedebant & Aroasiani eremitæ auctore Conone postea Sedis Apostolicæ Legato. Laudârat denique Vrbanus Papa Germanos nuper, quod se regendos tradiderint Canonicis Regularibus valde laudabiliter viventibus. Usqueadeo etiam veteres Ordines ac Congregationes exemplo novorum sese surrigebant.

Milites templi orti. 1118. Hospitalarij 1131. Sigeb. 1114. Berchtol. Cōstant. Baron. 1091.

Verùm ut ut hi omnes Ordines Ecclesiam illustraverint; mundus tamen in peius ruit, sic ut ei Deus minaretur excidium. Gigantibus igitur opus erat, si non ad impugnandum, certè ad placandum cælum per conversionem peccatorum. Gloria hæc

Baron. 1170.

hæc fuit S. Dominici & Francisci, quorũ ille natus A. D. 1170. cùm aliquamdiu in Oxomensi Ecclesia Canonicum Regularem egisset novum Ordinem Prædicatorum instituit A. D. 1204. Franciscus verò in lucem editus est A. D. 1182. cùm esset annorum 27. Minores condidit. Uterque hic Ordo tendebat unicè in id, ut populum Christianum vitijs in totum obrutum verbo DEI de luto vitiorum extraheret, quod & felicissimè præstitit, unde & ab Honorio III. biennio ante, quàm obiret, meritò confirmatus est. Quapropter circa hæc tempora valde pulchrum erat passim videre elegantissimam mixturam inter Ordinem clericalem & monachicum tamquam extremorum colorum ad procreandos medios ex vita activa & contemplativa. Longo quippe usu perspectum erat sanctitatem monachicam efficaciorem futuram ad curandum proximum, si quid de clericalibus exercitijs; & studia Clericorum, si quid de Monachorum perfectione sibi conjungerent. Quo videmus adhuc nostris temporibus, quomodo plures Religiosi Clerici in multis monachizent, & Monachi clericizent. Sed pergamus.

Idem 1182.

Anastas. in Honorio.

Nam paulò post hos fructuosissimos in Ecclesia monasticos Ordines, nempe A. D. 1233. secutus est Ordo servorum B. M. Virg. sub Regula S. Augustini in habitu nigro propter ejusdem Virginis dolores sub cruce exantlatos. Servitas ceperunt A. D. 1267. Silvestrini sub Regula S. Benedicti ab Abbate S. Silvestro ducentes originem. In Oriente verò collegit hinc inde dispersos eremitas Haimericus Patriarcha Antiochenus, eosque ponens in monte Carmelo Carmelitas nuncupavit; sicut in Occidente per Italiæ eremos à Gregorio IX. in unum corpus redacti sunt eremitæ vagabundi, quibus cùm certum habitum & S. Augustini Regulam contulisset, exinde Augustiniani appellati sunt. A. D. 1241. Post quos approbantur à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi A. D. 1274. Cælestini à Cælestino Papa sub Regula S. Benedicti, & singularibus constitutionibus. Et cùm hoc tempore non esset modus novorum Ordinum, in eadem synodo abrogati sunt omnes Ordines mendicantes præter S. Dominici & Francisci: Carmelitæ verò cum eremitis Augustinianis ad maturiorem deliberationem reservati sunt. Quamvis jam ab Innocentio III. prohibiti sint novi Ordines & Regulæ, ut mirum non sit, si tam se difficilem S. Francisco exhibuit: timuit enim ex tot Ordinibus confusionem.

Chrõservit.

Append vitt. PP. Occid.

Spondan A. D. 1181.

Gabr. Pennot. l. 1. hist. tripart. c. 25.

Gonon. c. 19. vitæ S. Cælest.

In Conc. Later. 1215.

Digitized by Google

Revel. S. Birg. fin. A. D. 1319. l. 6. vitt. PP. Occid. Hieron. Plat. de bono ſtat. relig. l. 1. c. 34. & l. 2. c. 22. Append. vitt. PP. Occid.

Ceſſatum eſt itaque pauliſper à novis Ordinibus, & Regulis, donec ſequenti ſæculo ab ipſo Salvatore dictata eſt Regula pro Ordine S. Birgittæ. Interim ſuum Ordinem ſub Regula S. Benedicti & albo habitu incepit B. Bernardus Tolomæus Senenſis, quem à monte Oliveto in Tuſcia nominavit, quo eodem ſæculo A. D. 1383. B. Petrus Fernandus fundavit in Hiſpania Ordinem S. Hieronymi. Tandem emerſit S. Franciſcus de Paula & Minimos inſtituit: obijt autem A. D. 1507. natus annos 91. Ultimi fuerunt Capucini & Ieſuitæ, qui quantum boni peſſimis temporibus Eccleſiæ univerſæ præſtiterint, quis pro meritis explicabit? Ita ſcilicet diſponit miſericordia DEI, ut in ſummis malis & periculis ſemper in adjutorium ſubveniant periclitanti Eccleſiæ peritiſſimi bellatores de militia religioſa.

EPISTOLA CXXIX.

De varijs Regulis monaſticis.

Sub Innoc. II. c. 26.

Rras, Ioſippe, ſi arbitraris quemquam fuiſſe bonum Religioſum, quin certam Regulam profeſſus ſit. In Concilio Lateran. A. D. 1139. damnata & abolita eſt pernicioſa ac deteſtabilis conſuetudo quarumdam mulierum, quæ cùm vulgò Sanctimoniales haberi voluiſſent, ſine ulla tamen Regula vivebant. Quotquot Chriſtiani ſumus, ſub Regula vivimus, nempe ſub *Symbolo,* quod S. Auguſtinus haud ſemel appellat *Regulam fidei.* Si ergo Chriſtiani Chriſtianã; quid ni Religioſi Regulam habeant inſuper religioſam. Et qua de cauſa aliàs appellarentur *Regulares?* Eremitæ ſolitariè vivebant; non tamen abſque Regula. Frater quidam venit ad ſolitarium, & cùm egrederetur ab eo dixit: *Ignoſce mihi Abba; quia impedivi Regulam tuam.* De Regulis monaſteriorum S. Ephraim ait: *In monaſterio reſidens Canonem ſeu Regulam cum omni reverentia & timore DEI ſequere.* Et iterum: *Si in cœnobio fratrum degeris, Regulas conventuales ne deſpexeris:* Breviter dico: Synonyma ut plurimum ſunt, *In monaſterio eſſe, & ſub Regula vivere,* id quod apud eumdem ſanctum reperies, qui & cenſet magnum animarum naufragium eſſe in monaſterio, in quo Canones ſeu Regulæ, & rectæ vitæ Inſtitutiones non vigeant. Contrà, Portum ſecurum

S. Aug. ſerm. 121. diverſ. c. 7. & de Symbol. c. 1.

Pelag. l. 13. n. 9.

S. Ephr. adhort. 1. fol. 280.

Ibid.

Idem de reg. ſynax. c. 57. De humil. acquir. c. 32. In proverb. Paræn. 1. fol. 339.

curum & tranquillum esse locum bonis Regulis directum: quibus autem desit gubernatio, ut folia decidere. Alibi ait: Serva mandata, ô Monache, & Patrum constitutiones excole pietatis athleta: hæc enim faciens regni cælestis hæres designaberis. Serm ascet de vita relig.

Vult autem hic magnus Monachorum excultor ut Regula cuiusque cœnobij sit una certa. Unam nobis, inquit, Regulam deligamus, per quam DEO accepti, gratique esse possimus. Antiquos Patres ita vixisse dicit, qui iactis unius vivendi Regulæ fundamentis perfecti evaserint. Canonem, inquit, seu Regulam unam retine, sicut etiam sancti vixerunt Patres, qui ad 50. & ultra annos suum non mutaverunt Canonem ac Regulam. Non te jam duco ad priscos Philosophos, quorum Regulam magnæ perfectionis tibi pridem perscripsi. Essenos cogita quàm strictam Regulam habuerint. Inde te confer ad primos Clericos Christique discipulos, quorum Acta tibi Apostolica Regulam referent. S. Augustinus eam utcumque abolitam retraxit in lucem, & cœpit vivere cum suis Clericis secundum Regulam à SS. Apostolis constitutam; nec quemquam Clericũ aliter vivere permisisset, si ex eius arbitrio stetisset. Serm. 2. de advent. Dom. Epist. 8. Epist. 13. Act. 4. S. Aug. serm. 1. & 2. de cõvit. Cleric.

Cùm à S. Antonij ætate numerus Monachorum ac monasteriorum in infinitum multiplicaretur, Regularum monasticarum vix erat numerus. Certè Cassianns ait excepta Ægypto & Thebaide communem fuisse consuetudinem, ut qui erexisset cœnobium, id novis præscriptis Regulis rexisset, quod patet etiam ex Concilio Arelatensi III. in causa Abbatis Fausti Lerinensis, quo dicitur Regula fundatoris in omnibus custodiri. S. Honoratus is erat, habes ergo *Regulam S. Honorati.* Regulæ Theodosij fundatoris cœnobij prope Alexandriam mentionem habes in vita S. Euphrosynæ, quæ ibi sub Smaragdi nomine vixit. Summa huius Regulæ erat, *ut fratres in communi psallerent; iejunarent autem ut vellent.* In vita S. Mariæ Ægyptiacæ invenies *Regulam monasterij Abbatis Ioannis ad Jordanem.* Scribit etiam S. Gregorius in dialogis Romanum Monachum in monasterio *sub Theodoci patris Regula* vixisse. Et in epistolis conqueritur, quod aliqui de monasterio in monasterium pro arbitrio migrent, & *à proprij Abbatis Regula* discedant desiderio rei sæcularis. Cassian. lib. 2. instit. cap. 3. Baron. A. D. 426. In vitt. PP. lib. 1. Ibid. S. Greg. l. 2. dial. cap. 1. Idem l. 2. hist. 40.

In vitis PP. invenies *Regulam S. Epiphanij*, quam suis Mona-

Pelag. lib. 22. num. 6. Gannad. de viris illustr. in Vigilio Greg. Turon. lib. 10 hist. Franc. c. 29 Vita S. Fulgent. S. Hieron. ep. 27. P. Damian. vita S. Dominici.

Monachis reliquit in Palæstina, cum raperetur ad Episcopatum. Præscripsit & Cassianus suis cœnobijs, quæ apud Massiliam fundavit, Regulam, quam postea cœnobitis suis tradidit servandam S. Aredius. B. Fulgentius à Rege Thrasamundo in exilium actus ex proprijs sumptibus monasterium erexit, collectisque ultra 40. Monachis hanc eis præcipuè Regulam tradidit; *ut eis essent omnia communia: neq. enim debere, aut posse Monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit.* Regulam, quam S. Paula suis virginibus dedit, describit S. Hieronymus in eius vita. Regula S. Dominici Loricati cùm viveret in eremo Regionis Luceoli cum alijs decem & octo hæc erat, *ut numquam vinum biberent: numquam adipe alimenta condirent: unum in Dominica die, & quinta feria pulmentum sumerent: quinque per hebdomadem diebus in pane & aqua iejunarent: solis orationibus & manuum operibus insistentes non agriculturam exercerent; non prædia, vel aliquam substantiam præter unum saginarium possiderent, quo unus fratrum discurreret ad acquirendas, terendasq. fruges. Silentium tota hebdomade exceptâ Dominicâ servarent: nudis pedibus & cruribus in cellis manerent: quotidie per omnes horas Canonicas disciplinas scopis sibi invicem ingererent.*

Enoch. in vita S. Angeli. Ionas Abbas in vita S. Columbani.

Dura Regula inquis: sed scito hominis loricam ferre assueti. Quamvis non multò mitior sit S. Francisci si servetur ad litteram; nec S. Brunonis aut Francisci de Paula, vel Carmelitarum, quam acceperunt ab Alberto Patriarcha Hierosolymorum. Sanè B. Columbani Regula, *quam Spiritu sancto plenus condidit*, rigidissima est: nam etiam levissimas culpas castigat plagis, & quidem plurimis. Regula militum templi S. Salvatoris, & quam dedit B. Athanasius monialibus, etsi paulò mitiores sunt; habent tamen suam acrimoniam. Regulam S. Equitij, qui vixit ante S. Benedictum & Abbas fuit provinciæ Valeriæ non legi, sed absque dubio sat acerba erat, aliàs Gregorius Magnus, qui habitum monasticum ab Abbate Valentino Equitij discipulo accepit, & utique sub ea vixit, non dixisset discretiorem esse Regulam S. Benedicti.

S. Greg. l. 1. dial. cap. 3. In eius. vita. t. 2. concil. p. 2.

S. Antonij Regula præ alijs ad perfectionem sufficiat. Rogatus aliquando à fratribus, ut eis certam Regulam dictaret, hoc primum dedit mandatum, *ut nullus in arrepti propositi vigore lassesceret: deinde Sanctorum virtutes æmularentur.* Hanc ipsissimam Regulam B. Athanasius Palæstinæ Monachis obtulit,

S. Athan. vit. S. Anton.

scri-

Digitized by Google

scribendo eis vitam S. Antonij, sanctioris vitæ Regulam exactissimã, τοῦ μοναδικοῦ βίου νομοθεσίαν, ait S. Greg. Naz. ἐν πλάσματι διηγήσεως, Canonem vitæ monasticæ sub specie narrationis historicæ. hanc etiam S. Ephraim fratri cuidam præscripsit petenti normam vivendi. *Imitare*, inquit, *vitas Sanctorum, perfectorumq; Patrum & Fratrum, hunc in hac, alium in virtute alia: neq; supra modum tentes grandia, atq; excelsa, quæ perficere nequeas, neque rursus secteris vilia atq; abjecta, ut multiplicetur merces tua.* Et infrà: Bono igitur teipsum modo ac via sub discreta Patrum Regula custodi, atque guberna, & *Ne quid nimis*, ut perfectus in cunctis reddaris.

S.Greg. Naz. de S. Athan.

S. Ephr. hypomnist. fol. 275.

Hæc generalis primorum Monachorum Regula non poterat esse sine confusione, cùm non quivis veram discretionem comprehenderet, inter nimis ardua, & remissa, quo fiebat, ut in eodẽ cœnobio unus nimiũ remissè, alter viveret nimis rigidè, quamvis interim concorditer omnes in synaxibus, orationibus ac laboribus, quorum certam Regulam habebat quodlibet monasterium. Proinde necessè erat dari Regulas, quæ uniformitatem in cunctis præscriberent: nec uni soli, sed pluribus etiam monasterijs accomodatæ esse possent. Talem post Essænos Angelus Pachomio dictavit, quam plurima per Thebaidem & Ægyptum observarunt monasteria. Pachomiũ secutus est S. Ephraim, qui suis Syris verè auream tradidit vitæ normã per 91. capita distinctam, sub nomine, *De recta vivendi ratione*, in qua eos brevibus ac divinis doctrinis ad excellentissimam perfectionem ducit, commendans ante alia humilitatem, silentium, orationem ac temperantiam. Scripsit & aliam perfectionis Regulam *De vita spiritali* per capita 96. non minus pulchram.

Hunc sanctum virum in vestigio secutus est Magnus Basilius, qui cùm videret suos Monachos ex defectu certarum in omnibus Regularum remissius vivere, primò breviter per duos sermones asceticos, ut in Græco est, tam Monachis, quàm sacris virginibus in monasterijs degentibus Regulam vivendi præscripsit; sic tamen, ut maiorem velit esse in sanctimonialibus, quàm viris honestatem, & paupertatis studium ardentius: quietem quoque ampliorem, obedientiam accuratiorem, charitatem mutuam constantiorem, atque abundantiorem cautelam in progressu, in conversationibus, & partialibus familiaritatibus. Cùm verò hæ institutiones carerent argumentis ex

Scriptura desumptis, voluit vir sanctus hortantibus fratribus quibuscum versabatur, Regulas scribere fusiores, in quibus ex divinis paginis latius doceretur, quemadmodum Monacho vivendum esset. Quibus cùm nec sic de varijs particularibus casibus ambigentibus satisfieret, Regulas scripsit breviores compendiosissimè absolvens cuncta quæ occurrere possent dubitantibus. Ast cùm videret Virgines Deo sacras extra cœnobia viventes liberius ac solutius in publicum procedere, sensus incautius custodire, nuptijs interesse, pronubas agere, cum viris & semiviris eunuchis conversari, ijsdem oscula libare, & quod pessimum erat, sed consequens, rupto per sacrilegium voto maritos ducere, & vota negare, librum exaravit de Virginitate, quem S. Gregorius Naz. aliud esse dixit nihil, quàm Præcepta & Regulas, secundum quas his virginibus vivendum esset. Denique hic idem Magister & Legislator Monachorum hortatu fratris cujusdam edidit insignem tam pro solitarijs, quàm cœnobitis instructionem. Titulus est, *Constitutiones monasticæ.*

S.Greg. orat. funebri S. Basil.

Atque hæ S. Patris Regulæ, præsertim fusiores & breviores in tantam venerunt auctoritatem, ut in toto Oriente paulatim reliquæ omnes monasteriorum Regulæ abrogatæ sint solis Basilianis in locum succedentibus. Excelsa de his S. Theodori Studitæ censura est. *Confiteor,* inquit, *monasticum statum sublimem esse & excelsum & angelicū, qui & peccata omnia expurget absoluta vitæ perfectione, tunc nimirum si ex divini Magniq; Basilij asceticorum legibus plenè exigatur, & non dimidiata ex parte, ut solent quidam, qui proplacito aliqua desumunt, aliqua relinquunt.* Certè cùm Ecclesia in œcumenica synodo VII. A. D. 787. statum monasticum in partibus Orientalibus reformare vellet, Canones reformationis ex solis his Regulis desumpsit, utique instinctu Sabbæ Abbatis Studitarum, ubi hæc Regula exactè servabatur. Quinimò & Latina Ecclesia S. Basilij Regulam approbavit & assumpsit in concilio generali sub Innocentio II. Gregorius quoque Turonensis ait, eam in cœnobio S. Aredij in Gallia observatam esse, quam etiam S. Benedictus suis commendat. *Regula,* inquit, *S. patris nostri Basilij & Collationes Patrum, quid aliud sunt, nisi bene viventium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? nobis autem desidiosis & malè viventibus atq; negligentibus rubor confusionis est.*

Baron. A. D. 826.

In vita sancti Theod. Stud. A. D. 1139. c. 26.

S. Greg. l. 10 hist. Franc. c. 29.

S. Bened reg. c. 73.

Decen-

Digitized by Google

Decennio à morte S. Baſilij Mediolani baptiſmum ſuſcè- A. D. 388.
pit S. Auguſtinus. In Epiſcopatu præſcripſit Regulam caſti- S. Aug. epiſt. 109.
monialibus, quæ inter eius epiſtolas invenitur. Non hîc decî-
do quo pacto ad viros devenerit. Certum hoc interim tibi ſit,
eam in Eccleſia Latina cum S. Benedicti primas tenere, adeò ut cap. 2.
A. D. 1288. Mediolani in concilio decretum ſit ſecundum has
duas vitam debere inſtituere cunctos Religioſos. Approbata
eſt quoque ab Innocent. II. in Romano concilio, tantoſque A. D. 1139.
progreſſus fecit, ut hodie præter noſtrum Ordines 44. nume- Pennot. l. 2. hiſt. fin.
rentur, qui ſub eo militent præter Congregationes particulares.

Anno à virgineo partu 480. ortus eſt in Occidente S. Be-
nedictus. Hic ubi ſtatum monaſticum languentem invenit, Reg. c. ult.
erigere eum voluit novâ Regulâ diſcretione præcipua, ſermone
luculenta, ut Magnus Pontifex loquitur. Una hæc de princi- S. Greg. l. 1. dial.
palibus eſt, tantumque apud Occidentales Monachos invaluit,
quantum S. Baſilij apud Orientales, meritò proinde à ſuis ſæ- cap. 66.
pius legenda, ut auctor ipſe decernit, immò juxta Statuta A- A. D. 817. cap. 2.
quiſgranenſia memoriter ab omnibus diſcenda. Nec reperi,
qui eã vel leviſſimè carperet præter Græculos, quibus diſplicet,
quòd infirmis concedat eſum carnium, & itinerantibus femo- Baron. in append. t. 2.
ralia. Homines hypocritæ, qui in nobis tantilla deteſtantur,
& interim omni reverentia dignos exiſtimant ſuos Sarabaitas
fornicationibus innatantes, ſicut nec erubeſcant, nec metuant
docere publicè, *Tale eſſe fornicari, quale eſt quolibet pomo refici,* Clem. lib. 5. Strom. f. 589.
ut eis in faciem objecit F. Vmbertus S. R. E. Cardinalis &
Pontificius Legatus apud Conſtantinopolim. Scilicet iam olim
adeò verè & ad rem hanc appoſitè S. Clemens Alexandrinus di-
xerat: *Qui veram Philoſophiam vituperat, laudat iniuſtitiam, vitamq; cupiditatibus obnoxiam deprædicat:* quid enim aliud Re-
gula S. Benedicti eſt, quàm optimus modus Chriſtianè philo-
ſophandi?

Expandit hæc Regula ſuas alas à mari uſque ad mare, & tandem heroico auſu mare ipſum non uno in loco trajecit. Fermeque per eam contigit, quod per ſpicas Pharaonis: quia multarum Regularum aliarum pulchritudinem devoravit, dum cœnobitæ Monachi relictis ſuis in hanc demum conceſſerunt. Verumtamen id neque tam citò, neque uno tempore contigit, ut quidam arbitrantur. Nam ut dicam Italos ſtatim relictis ſuis hanc acceptaſſe, mihi non perſuadeo, qui novi S. Columba-

Digitized by Google

num non per aliam quàm suam rexisse postmodum cœnobium Bobiense. Deinde nemo nescit Monachatum S. Gregorij Magni: an autem is fuerit juxta Regulam S. Benedicti vehementer ambigo. Valentinus eum, ut audisti, in Monachum totondit, qui de schola erat S. Equitij sub Regula singulari. Denique in approbatione Regulæ B. P. Benedicti, quam tanti faciunt, S. Gregorius solummodò dicit *Legi*. Quòd si sub ea Monachatum duxisset, addidisset, *Et Monachus observavi.*

S. Greg. l. 2. dial. c. 3.

Privil. Subloc.

In Hispaniam transeo, quo dicunt venisse hanc Regulam per S. Æmilianum. Nascitur hic sanctus A.D. 474. eodemque anno quo S. Benedictus eremum ingreditur, nempe 494. in qua tamdiu permansit, donec propter sanctam conversationem à populo cognosci & frequentari cœpit. Ut igitur declinaret concursum, loca petijt secretiora, ubi mansit quasi in occulto per annos circiter 40. quando S. Benedictus vel jam mortuus, vel certè morti propinquus fuit. Et tunc reversus est ad locum priorem iterum se strenuè exercens quoad à Dydimo Tirasonensi Episcopo Ecclesiæ Vergegij præficeretur. Cuius disciplinam cum Clerici ferre nequirent, à sede pulsus est. Ad solitudinem ergo iam plenus dierum regressus Fraternitatem instituit, cui etiam ad finem vitæ præfuit cum esset annorum centum.

Braul. vita. S. Æmil.

Atque hunc aiunt Benedictinum fuisse, quo quæso probabili argumento? Regulam etiam S. Benedicti in Hispaniam primò intulisse, sed unde sibi notam aut acceptam? Denique abhinc eam ab Hispanis Monachis universim fuisse receptam: sed festina lentè. Nam A.D. 633. hoc est annis 59. à morte S. Æmiliani, Episcopi in concilio Toletano IV. videntur nihil scivisse de Regula hac: alioquin creationem Abbatum & officialium commisissent Abbati aut Fraternitati, ut exposcit Regula, non Episcopis: nec præsentes Abbates si Benedictini fuissent, ad hanc injuriam Regulæ siluissent. In sexto ibidem concilio A. D. 638. expressè habetur Monachos Hispanos tunc non uni, sed pluribus Regulis fuisse subiectos, & hæ ipsis præscriptæ erant ab Episcopis juxta concilium Oscense A. D. 598. ubi jubentur Abbates singulis annis convenire, ut ab Episcopis accipiant Regulam ducendi vitas, quousque parsimoniæ & sobrietati seipsos commendabiles reddant, quod prorsus fuisset supervacaneum, si iam habuissent S. Benedicti Regulam, in qua sufficientissimè hæc præscribuntur. Et cur se posteris temporibus

Can. 50.

Can. 5.

Cap. 1.

c. 39. 40.

ribus

Digitized by Google

ribus fatigaſſet S. Iſidorus & Leander in conſcribendis Regulis tam pro viris, quàm pro feminis, ſi S. Benedicti Regula univerſim erat in Hiſpania? Quapropter ut verum ſit in hanc Regulam omnes Hiſpaniæ Monachos conceſſiſſe, id ante milleſimum à Chriſto annum non accidit, alioqui neceſſe non fuiſſet in concilio Coyacenſi diœceſis Ovetenſis A. D. 1050. ſub anathemate præcipere, ut omnes Abbates ſe & fratres ſuos & monaſteria, & Abbatiſſæ ſe & moniales ſuas & monaſteria ſecundum S. Benedicti ſtatuta regerent. Quod nec ſic impletum eo anno videtur: nam ſequenti concilio Toletano XVIII. præceptum eſt Abbatibus, ut ſuis Monachis victum & veſtitum ſecundum Regulam S. Benedicti præberent. Quæ ſi tantò antè fuerunt, quid opus fuit mandare?

Solvamus in Angliam, ubi dicit Conſtantinus Caietanus Abbas Ordinis S. Bened. de monachatu S. Gregorij c. 5. p. 1. ab huius ſummi Pontificis obitu Monachos omnes Benedictinos fuiſſe. Obijt autem vir ſanctus A. D. 604. ſeptennio pòſt, quàm Auguſtinum ac Mellitum in eam inſulam miſerat de ſuo monaſterio, quod an tunc ſub Regula S. Benedicti fuerit mihi adhuc non liquet. Hoc autem verum omnino eſt, nec centum annis pòſt omnes Monachos Anglos ſub ea vixiſſe. Nam S. Wunibaldus Abbas Heidenhaimenſis natus eſt A. D. 700. atque à pueritia Monachus fuit in Anglia teſte Philippo Epiſcopo Eichſtadienſi in vita S. Willibaldi; nec tamen Ordinis S. Benedicti fuit; quia poſtquam S. Bonifacius eum Roma ſecum duxit in Germaniam, tunc primùm ei habitum & Ordinem S. Benedicti contulit eodem Philippo auctore. Nec exiſtimo S. Bonifacium ipſum Benedictinum fuiſſe cum adhuc in Anglia monaſticam vitam ageret. Ut quid enim B. Sturmium diſcipulum Caſſinum miſiſſet pro veræ vitæ Benedictinæ inſtitutione, niſi Regulam popoſciſſet? Religioſos ibi mores addiſcere, quid ſanctiſſimis Anglis fuiſſet opus?

Phil. in vita S. Wilib. c. 15.

In vita S. Bonifac.

De Venerab. Beda æquè ac de Bonifacio dubito. Etenim Alcuinus qui ei familiaris ex convictu fuerat, ut in Gallias venit, ad Monachos Wiorenſes in Angliam ſcripſit, ut docerent Regulam S. Benedicti, eamque converterent in linguam vernaculam. Si omnes Angli Monachi iam pridem erant Benedictini, ineptè monentur tam ſerò docere Regulam. Et quàm abſurdum eſt tantam multitudinem Monachorum, quorum pars

Alcuin. in ep. 23. t. 1. Antiq. lect. Caniſij.

maxima illo tempore laici, linguæque latinæ ignari erant, tam diu S. Benedicto militasse, & Regulæ vexillum ob defectum linguæ penitus ignorasse?

Trith. l. 2. vir illustr. cap. 33.

Sed affert Caietanus Aldhelmum Abbatem primò Maildubensem in Scotia iuxta Trithemium, deinde Episcopum Occidentalium Saxonum de S. Benedicto dicentem,

Primò qui statuit nostra certamina vitæ.

Verùm, esto Caietane, dicat hoc Aldhelmus de Nursiensi, non de Anglo Benedicto reformatore Monachorum eximio, qui obijt A. D. 703. At cur falsatur textus? Aldhelmus juxta omnia exemplaria non dixit *Nostra*, quod pro Caietano ex parte faceret sed *Nova*: quo nihil concluditur. Sed incredibile est, inquis, virum tantum in metro errasse. Gravius erravit. Lege librum eius de virginitate, & hos ac plures errores invenies.

Sigibert chrō.

Quid plures cœlicolas juvat in certamine nostro.
Ut bina seno cludam paradigmata nostro.
Cujus formosa species-
Sed manet in templi paradisi hactenus heros.
Quem DEUS ex utero sacravit matrice mundum.
Ut foret affatim-
Ædificet plantetq; restaurans sceptra polorum.
-Arbore sed procera signatum-

Quapropter, ut rursus verum sit Regulam S. Benedicti etiam in Anglia suppressisse Regulas Monachorum veteres reliquas, id ante annum Christi 1058. non evenit, quo electus est Nicolaus II. qui privilegium contulit monasterio S. Petri, quod S. Edvardus Rex fundaverat, ut imposterum semper Abbatem eligeret secundum Regulam S. Benedicti. Denique A. D. 1075. sub Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi habita est synodus Londoniensis, in qua primùm præcipitur generatim omnibus Monachis, ut teneant Regulam S. Benedicti. Imprudens præceptum, si antè à cunctis servabatur.

Anastas. in vita.

Baron. A. D. 1075.

Lustremus Galliam, cui S. Maurus sui sancti patris Regulam intulit A. D. 536. Ut autem dicam omnes statim Monachos in eam ibi jurasse, mihi persuadere non queo. Quippe S. Radegundis A. D. 557. quo sanctitate valde clarebat, vivebat cum Agnete Abbatissa sorore sua sub Regula, quàm S. Cæsarius ex Lerinensi Monacho Episcopus composuerat convenienter ex institutione SS. PP. ut Fortunatus testatur.

Sigebert. in chron.
Greg. Turon. l. 8. hist. Frāc. cap. 42.

Concipi-

Digitized by Google

Concipiente fide Christi Radegundis amore. Fortun. l.8.de Virginit. c.4.
Cæsarij lambit Regula quidquid habet.

Deinde Gregorius Turonicus, qui factus est Episcopus A. D. 574. ait plures tunc in Gallia Regulas fuisse, ut S. Basilij, Cassiani, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt. A. D. 614. S. Columbanus pulsus est ex Gallia, ubi sanè in cœnobio suo Luxoviensi iuxta propriam à se conscriptam Regulam vixit, quam descriptam habeo ex illustri monasterio S. Galli in Helvetia. Attamen haud diffiteor Regulam S. Benedicti citius in Gallia, quàm alibi, sese dilatasse. Quippe A. D. 567. iuxta tom. 1. conciliorum Galliæ, eius in concilio Turon. II. vestigium reperio, dum præscribitur Monachis duodenarius numerus psalmorum, quem tradidit planè S. Benedictus. Item A. D. 670. in concilio Augustodun. decernit S. Leodegarius, ut Monachi observent Regulam S. Benedicti. Eodem anno iuxta tom. 1. concill: Galliæ confert Adeodatus Papa privilegium cœnobio S. Martini apud Turonos, ut Abbas & Præpositus possint liberam loci & conversationis monasticæ habere dispositionem, quod sæpe nominatæ Regulæ perquam conforme est: id quod antehac erat penes Episcopos. Clarius privilegiũ obtinuit Fontanellense cœnobium A. D. 682. à concilio Rhotomagensi, ut Monachi ibi sibimetipsis ex gremio possent eligere Abbatem iuxta Regulam S. P. Benedicti, nec sub alia Regula viverent sub pœna anathematis, ut rectè dicatur in concil. Turon. III. A. D. 813. Regulam S. Benedicti olim in monasterijs conservatam. Quamvis, ut dixi, non in cunctis. Ab hoc ipso tamen tempore sic invaluit, ut vix in concilijs alterius amplius fieret mentio. Sic ipso eodem anno Rhemis est celebrata synodus, in qua nulla alia, nisi S. Patris est lecta Regula pro monastica directione. Accessit etiam Ludovicus pius, & convocatis per Imperium Abbatibus cum plurimis Monachis A. D. 817. universim decrevit, ut Ordo monachicus aliam Regulam non observaret, quàm S. Benedicti adjunctis constitutionibus Regulæ conformibus per 80. capitula. Testatur etiã scriptor vitæ huius Imperatoris, cum omnibus Monachis per Abbatem Benedictum præcepisse, ut viverent secundum Regulam S. Benedicti: quantum autem se tunc extenderit per Galliam, Germaniam, atque Italiam Imperium, quis ignorat?

Spondan. A. D. 574. Greg. Turon. sup. c. 29. Sigebert. in chron. Cap. 19. Cap. 25. Cap. 9. In concil. Aquisgr. c. 1. Vita Ludov. Pij.

Quamvis existimem Germanos hanc Regulam jam antè, operâ

operâ maximè S. Bonifacij, communiter observasse. Ita A. D. 742. sub hoc ipso sancto Episcopo Augustæ vel Ratisbonæ decretum est, ut & Monachi, & ancillæ DEI Monasteriales viverent juxta Regulam S. Benedicti. Inde altero anno Leptinæ, quæ olim erat civitas inferioris Germaniæ, convocavit Abbates, eisque similiter eam ipsam Regulam tradidit, quam & acceperunt. Et quia S. Othmarus suum monasterium regebat perseveranter legibus S. Columbani, Pipinus ipse Maior domus Franciæ ei persuasit, ac tradidit Regulam S. Benedicti A. D. 747. ut ex gestis S. Carolomanni patet apud Walafridum Strabonem. Deinde Moguntiæ A. D. 813. coivit diœcesis Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis, Rhemensis, & quidquid Episcopatuum per has provincias est, ubi Abbates omnes Episcopis promiserunt, se de cætero victuros secundum Regulam S. Benedicti, quantum humana permitteret fragilitas. Post quattuor exinde annos prodijt decretum generale Aquisgranense, de quo paulò antè, quod ibidem A. D. 836. confirmatum est. Et sic in Occidente expirarunt monachicæ Regulæ S. Basilij, Equitij, Cæsarij, Leandri, Isidori, Columbani, Virgilij Diaconi, de qua Gennadius, aliæque plures sepulturæ traditæ per Regulam sapientissimam S. Benedicti.

Binius ad concil. Leptin. A. D. 743.

Vide Binium.

Cap. 11.

Gennad. sup.

Cùm verò ab anno millesimo post Christi Nativitatem in Ecclesia plurimi Ordines religiosi exurgerent, qui relictis S. Augustini & Benedicti Regulis, sibi suisque conscribebant novas, multitudo confusionem peperit. Quare statutum est in Concilio Lateran. generali sub Innoc. III. ut qui voluerit religiosam domum fundare de novo, Regulam & Institutionem acciperet de Religionibus approbatis, id quod etiam in Concilio generali Lugdun. decretum est, A. D. 1274. eodemque tempore Salisburgi, & paulò pòst nempe A. D. 1288. Mediolani, ubi in specie definitum est, ut Abbates, Monachi, & reliqui omnes Religiosi viverent ex formula S. Benedicti & Augustini, atque hinc quamplurimi Ordines non aliam sibi Regulam, quàm horum duorum Patriarcharum desumpserunt, adjunctis subinde particularibus statutis.

cap. 13.

cap. 14.


Si quæris quid censeam de Regula Societatis IESU, quæ novissimè in terris apparuit? Sincerè dico, sapientissima est, in hoc maximè, quòd tam prona sit ad emittendum impurum sanguinem: alioquin cùm præ alijs Ordinibus in pulvere volvatur

Digitized by Google

vatur mundano, tabem & corruptionem facillimè contraheret. Atque hic eſt ille ſpiritus novus, quem Deus infudit S. Ignatio, liberrimæ ſcilicet diſpenſationis, cuius defectu, quàm nos frequenter vitiatus ſanguis infeſtat! Fratres etſi extremè mali ſint, apud nos tam facilem ejectionem non patiuntur.

EPISTOLA CXXX.

De Fundationibus Cœnobiorum, vbi de Acœmetis Monachis.



IOannes Wicleff damnati nominis hæreticus unus fuit inter primarios Monachomachos. Blatterabat inter alias impietates, *peccare eos qui fundarunt monaſteria.* Hinc eius ſectatores, noſtri hæretici obſequium ſe præſtare Deo autumant, ſi cœnobia diripiunt, accupant, detinent, deſtruunt, ac redditus in ſuos uſus convertunt. A quibus non longè degenerant hi, qui etſi horum nil faciant; attamen indignantur ac murmurant, quòd monaſteria numero ac divitijs quotidie augeantur. Quàm procul horum ſpiritus abſceſsit ab antiqua pietate, quando fideles inter ſummas divitias reputabant, ſi ſervos Dei ſuis opibus poſſent locupletare! Laudat Iulianum S. Hieronymus: *Extruis,* inquit, *cœnobia, & multus à te per Inſulas Dalmatiæ ſanctorum numerus ſuſtentatur.* Ioſippe, una Melania trecentas auri libras monaſterijs egenis in Libya diſtribuit, & alia vice 5000. Monachos latentes per triduum ſuſtentavit. S. Eberhardus Salisburgenſis Præſul tantas eleemoſynas monaſterijs elargitus eſt, ut toti Epiſcopio fieret onerosus. Fabiola Romana propter infinita beneficia Monachis præſtita vocata eſt *Monachorum ſolatium.* Quod enim monaſterium, inquit eius encomiaſtes Hieronymus, non illius opibus ſuſtentatũ eſt? Anguſta miſericordiæ eius Roma fuit: peragrabat ergo inſulas, & totum Etruſcum mare, Voſcorumque provinciam, & reconditos curvorũ littorum ſinus, in quibus Monachorum conſiſtunt Chori, vel proprio corpore, vel transmiſſa per viros ſanctos ac fideles munificentia circumibat.

Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. art. 31.

S. Hieron. ep. 34.

Pallad. Lauſiac.

S Paulin. ep. 10 ad Sever.

Radevic. l. 2. c. 73.

S. Hieron. ep. 30.

Si neſcis quàm pretioſa munera Gregorius IV. contulerit decem Vrbis monaſterijs, conſule Anaſtaſium Bibliothecarium. Verùm Leoni III. vix quiſquam comparandus eſt. Numerabantur hinc Romæ 48. Monachorum cœnobia, nec pauca Clericorum. Omnia hæc, ſi non ex toto erexit, aut reſtauravit, certè ingen-

Anaſtaſ. in vita Greg. IV. Idem in Leone.

Digitized by Google

tè ingentibus thesauris in vestibus, & vasis aureis atque argenteis donavit. In calicibus, patenis, thuribulis, canistris, ciborijs, coronis, gabatis, altaribus, seu rugis aut confessionibus, faris, id est lychnis, cerostatis, lucernis, cantharis, virgis, imaginibus, maximè Christi crucifixi, columnis, gammadijs, mensis, arcubus, aris & alijs similibus ad ornatum & necessitatem monasteriorum impendit auri libras 1436. & uncias 89. præter illas 216. libras, quas unà cum Carolo Magno obtulit: Argenti verò libras impendit 24677. & uncias 460. præter margaritas & incredibilem vim pretiosissimarum vestium, paramentorumque & velorum.

Quid dicis ad hanc plusquam regiam munificentiam? Crede mihi, tam auri quàm argenti librarum maior numerus esset, nisi vitiorum librorum intervenisset, quo non semel characteres numerorum videntur extincti. Carolus Magnus tot dicitur fundasse cœnobia, quot litteræ sunt in Alphabeto. Fructuosus quoque Braccarensis Archiepiscopus multorum monasteriorum Conditor ac Pater fuit. Gregorius Magnus septem ædificavit. Et ut ad nos veniam, in hac parte quid non præstitit noster S. Leopoldus? quid non expendit in extruendis, restaurandis, dotandis, ac lucupletandis nobilissimis monasterijs? Hodie multum est, si quisquam etiam de Orbis Principibus fratribus Mendicantibus cellam ædificat, in qua se postmodum alant ex eleemosynis fidelium. Absit ut immobilia bona ex hæreditate etiam debita relinquantur cœnobijs. Depauperabitur inde nobilitas; & inanissimè timetur, ne nobis contingat, quod olim Molismensibus sub S. Roberto. Hinc enim cum initio in tanta cum suis paupertate viveret, ut etiam necessaria deessent, misit ad Trecensem Episcopum pro subsidio. Miseratione commotus Antistes victum ac vestitum liberalissimè submisit. Quin & multi de nobilitate addidêre prædia, ita ut ex nimia bonorum corporalium abunduntia fervor fratrum spiritalis intepesceret, & contra S. Abbatem rebellarent. Sed nemo sit sollicitus: nam sicut Prælatorum est curare, ne census ampliores fiant seminarium luxuriæ; sic laicorum quoque est, si vel tantillum salis ex dialectica gustarunt, ex sententia particulari non inferre conclusionem universalem.

Octavius Strada in eius vita.
Ex concil. Tolet. X.
Greg. Turon. l. 10 c. 1. hist. Franc.
Ex Chron. Cisterc.

Iosippe, si Rempublicam monasticam ab initio Ecclesiæ ad hæc usque tempora altius consideras, poteris intelligere triplex

plex genus fundationum cœnobiorum. Noſtris temporibus ſi dotantur noviter erecta Collegia, id vel fit ex bonis fiſci, vel ex ſublatione bonorum monaſteriorum antiquorum; rarò aliter: plerumque nec dotantur; ſed ſumptus porriguntur in ædificationem; deinde quod extructum eſt conceditur Mendicantibus, unde unde ſe alant, ac proventus ſibi faciant. Sic facilè eſt Fundatorem eſſe. Olim non erat ſic; ſed qui ſumptus conferebat in ædificationem, ſuis nec prædijs nec loculis parcebat in annuam fratrum ſuſtentationem, & tanto ſe quiſque beatiorem reputabat, quanto copioſius cœnobium de proprio locupletabat. Ibi videbatur & apparere poterat Fundatorum devotio. Si tamen ad prima uſque tempora aſcendimus diverſam ab his rationem videbimus. Vix quidquam ibi facilius erat, quàm fundare cœnobia: cum ea ferme non merebantur nomen tuguriorũ, unde & facillimis ſumptibus ædificabantur, & Monachi non indigebant annuis redditibus, ſed proprijs ſe ſuſtentabant laboribus. Qui recuſabat indigere, debebat alacrius laborare. Liberum erat principiò ædificare. Sic Malchus ut in patriam conceſsit, ex altera parte hæreditatis cœnobium extruxit; ex altera pauperes aluit. Senoch incluſus nemine prohibente monaſterium ædificavit ex ruderibus in agro Turonenſi. Nullo obſtante idipſum fecit ſancta Paula, S. Vrſus tempore Alarici Regis Gotthorum, S. Patroclus & alij innumeri. Quorum multos extimulabat ambitio: nam qui erat loci Fundator, erat & collectæ Fraternitatis Rector, plerumque Magiſter, ut ait Caſsianus, antequam diſcipulus, ſic ut plerique nec locorum curarent Ordinarios. Quo factum eſt, ut eiuſmodi nimis liberæ fundationes à Concilio Chalcedonenſi, accedente etiam imperatorio decreto, aufferrentur. Quod ſi tamen cuiquam cœnobium erigere volupe eſſet; id faceret cum notitia Epiſcopi, ut ſtatutum eſt in Concilio Agathenſi, atque Epaunenſi: immò non modò cum notitia, verùm etiam cum obtenta licentia, ut tandem definivit Tridentinum.

S. Hieron. in vita Malchi.
Greg. Turon. in vita.
S. Hieron. ep. 27.
Greg. Turon. vitt. PP. c. 10. & in vita S. Patrocli.
Caſſian. l. 2. inſtit.
Can. 3.
A. D. 506. & 517.
Seſſion. 25. c. 3. reform.

Quoniam verò in Occidente potiſsimum Monachi vel incipiebant occupari in alijs, vel laboris manualis erant impatientiores, neceſſarium fuit in fundationibus monaſteriorum aliam iniri rationem, qua famuli Dei alerentur. Itaque in Concilio Aurelian. IV. deciſum eſt, ut qui fundare cupit Monaſterium, ſufficienter ei terras deputaret, in dotem ſcilicet ad ſuſtentandos Religioſos: dotis autem ipſius diſpenſatio minimè dependeret

A. D. 541. can. 33.

à Fundatore, sed ab Episcopo, ut colligis ex Concilio Moguntino A D. 888. Quod si Episcopus ipse vellet ædificare cœnobium, ex rebus Ecclesiæ non plus in dotem ei daret, quàm partem quinquagesimam, ne census Ecclesiæ nimium minuerentur, sicut habetur in Concilio Tolet. IX. in quo etiam omnibus Fundatoribus conceditur inspectio & cura locorum cum jure patronatus, quoad vixerint. Solebant etiam sibi nonnumquam reservare jus venandi in prædijs, quæ locis à se fundatis donaverant, ut legis in vita S. Domitiani. Sed hæc Canonistis ventilanda relinquimus.

A. D. 655. c. 2. & 5.

In vitt. PP. Ovid. l. 4.

Intêr omnes monasticas fundationes vix ulla prodivit nobilior Accœmetarum seu insomnium in urbe Constantinopolitana. Horum institutum erat juges diu noctuque Deo pervigiles laudes offerre. Non hora præteribat, quin fratres mutatis vicibus in officio divino occuparentur. Inventor huius angelici cultus fuit Alexander Abbas, & Magister S. Marcelli: ex cuius monasterio Ecclesia multos præclarissimos viros numerat, sic ut etiam Romani Pontifices fama cælestis huius institutionis commoti cultum hunc indefessæ laudis divinæ in Vrbe instituerent. Veluti Gregorius II. in monasterio secus Basilicam S. Pauli. Gregorius III. apud S. Stephanum, Laurentium, Chrysogonum. Paulus I. in cœnobio S. Stephani Papæ & Mart. à se nobiliter erecto. Hadrianus I. in pluribus cœnobijs, ac denique Sergius II. in monasterio à se erecto.

Surius in vita S. Marcelli.

Anastas. in vitis horum Pontt.

Baronius existimat Accœmetarum & Studitarum idem fuisse cœnobium. Verùm interest nosse *Studitas* fuisse quidem sectatos in officio divino institutum Accœmetarum, sicut ij, quos Romæ fuisse diximus; non tamen omnes Accœmetas in uno degisse monasterio: nam etiam Constantinopoli in plura dispersos esse notum est ex vita S. Marcelli, atque ipse Baronius in notis ad martyrol. 8. Febr. *Dienses* appellat *Acœmetas*, cum constet monasterium Dij, à Dio magnæ sanctitatis Archimandrita fundatum, diversum fuisse à monasterio tam *Acœmetarum*, quàm *Studij*, ut expressè indicant subscriptiones Abbatum in synodo œcumenica VII. ubi pro cœnobio *Studij* ponitur Abbas Sabbas, pro *Acœmetis* Ioseph, pro *Dieensibus* Antonius.

A. D. 459.

Ex Conc. Nicæn. 2. A. D. 787.

Erat autem *Fundator Studitarum* Studius Romanus, qui Consulatum gessit A. D. 454. quem idcircò à Deo meritus est juxta Suidam, quòd tam splendidum monasterium erexerit, in quod

Suidas V. Studius.

Digitized by Google

quod, ait Cedrenus, Monachos poſuit de ijs, qui *Acœmeti*, hoc eſt *inſomnes* dicuntur. Patronus loci erat S Ioannes Baptiſta. hîc floruit S. Plato, & Theodorus cæli luminaria, cum innumeris alijs, qui per aliquot ſæcula ſe pro muro hæreticis oppoſuerunt. Ex hoc ſub Ioanne Zimiſca Imperat. aſſumptus eſt Antonius ad Patriarchatum Conſtantinopol. ſicut & Alexius ſub Baſilio Porphyrogenito. In hoc abdicato Imperio Iſaacius Comnemus Monachum induit, in quod denique ipſum ex Imperio detruſus eſt Michaël Ducas. Cùm autem ſub Iconoclaſtis monaſterium beatiſsimi Dalmatij fugatis Monachis converteretur in equile, primatus tranſijt ad hoc Studij cœnobium, ut indicat ſubſcriptio ad generale Concilium VII. Et cùm A. D. 1204. occupata à Latinis Conſtantinopoli deſtructum eſſet, ab Andronico Palæologo ſplendorem ſuum denuò recepit; ſcilicet ne Primas Monachis deeſſet per Patriarchatum Conſtantinopol. Nam hoc te obiter noſſe volo, Monachos olim in Oriente ſuos habuiſſe Primates. Sic legis in ſubſcriptionibus Abbatum concilij V. ſub Menna A. D. 536. *Alexander Dei miſeratione presb. & Archimandrita monaſterij S. M. Dalmatij, ac Primas venerabilium monaſteriorum,* nempe *urbis Regiæ,* ut alibi eſt. Antiochenſium, ſecundæque Syriæ infinitorum Monachorum *Primas erat Archimandrita S. Maronis.* Exiſtimo autem primatus hos habuiſſe initium à tempore Concilij Chalcedon. in quo Monachi ſub jugum Epiſcopale ex toto miſsi ſunt. Qui cùm in tanta multitudine eſſent, ut ab unis Epiſcopis difficulter regi poſſent, Primates ex Abbatibus conſtituti ſunt, qui fatigatis Epiſcopis in diſciplina monaſtica conſervanda ferrent auxilium per ſuas provincias. In Occidente alia ratio Primatus inter Benedictinos invexit. Primas ipſorum Abbas montis Caſsini eſt, quòd hoc loco Ordo ſumpſerit initium. Si ad particulares provincias reſpicis, Primatem ſe in Germania Fuldenſis, in Gallia Cluniacenſis Abbas, in Hungaria S. Martini, non ex aliqua jurisdictione, ſed ſola monaſterij celebritate dictitat. Sed quanto melius fieret, ſi Primates hi converterentur in Generales & Provinciales.

Zonar. t. 3. annal. in Leone. In ſubſcript. conc. V. ſub Menna. Zonar. in Zimiſca. Idem in Baſilio. Idem in Comnemo. Et in Miachele.

Niceph. Greg. l. 6. hiſtor.

In conc. Nicæn. II.

❧ ✠ ❧

EPISTOLA CXXXI.

De Bonis temporalibus Cœnobiorum.



In conc. Constant. sess. 8. art. 32. & 44. Sess. 15. art. 9. Trid. sess. 25. c. 5. de regul.

QUidquid deliret Hus & Wicleff, Ecclesia semper tenuit, *monasteria dominium habere posse bonorum temporalium etiam immobilium paucis Ordinibus exceptis.* Eorum dispositio penes Prælatum est debetque esse fidelis & prudens, atque accomodata sacris canonibus; aliàs facillimè fieri potest, ut dispensator convertatur in dissipatorem, & incurratur ira Dei & Ecclesiæ. Rectè synedrium Cabilonense ait: Utatur Prælatus bonis monasterij, *non ut proprijs, sed ut commendatitijs: sunt enim pretia peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in commune viventium,* sine quorum consensu si vel alienãtur, vel ad nimis longum tempus locantur, contractus est irritus, & Prælatus ex decreto Salisburgensi à regimine & ingressu Ecclesiæ tamdiu suspensus, donec Ecclesiæ fiat restitutio. Unde meritò mandatur, ut sigillum Conventus non apud Prælatum, sed apud tres fratres maturiores, & fide digniores existat.

A. D. 813. c. 6.

A. D. 1281.

At quatis caput contemnens concilium particulare. Verùm noveris etiam Lateranense generale huiusmodi alienationes censere esse irritas. Oecumenicum item septimum decernit bonorum Ecclesiasticorum immobilium distractionem nullius esse momenti, ac distractorem talem abigendum de monasterio, ut qui malè dissipet, quæ non congregavit. In pluribus concilijs ad alienationem præter Capituli consensum, requiritur etiam Episcopi, si monasterium non sit exemptum. Ut ut tamen distracta sint, Abbas de sententia S. Ivonis in Benedictione tenetur ea recuperare, & in usus fratrum fideliter dispensare. Concilium œcumenicum VI. videtur etiam de mobilibus loqui, dum vult, ut res ad cœnobia pertinentes cœnobio serventur; nec ab ullo ex omnibus sæcularibus tradantur hominibus: quod enim semel Deo consecratum est, in usus profanos converti non debet. Stultum proinde decretum Anglicanum est, ut Rex suscipiat redditus omnium Abbatiarum & prioratuum vacantium in suo regno. Ecclesiæ enim non vacant, quamdiu DEUS earum Dominus vivit, licet administrator migraverit. Quapropter à sacrilegio excusari non possunt,

A. D. 1122. c. 22.

Can. 12. de reform.

Conc. Aurel. III. cap. 23. & V. cap. 13. Tolet. XVII. Salisburg. cit.

Ivo ep. 143.

A. D. 680. & seq. c. 49.

In conc. Clarendon. A. D. 1164.

qui

qui olim Abbatibus defunctis accurrebant, & ſub ſpecie viſitationis ac deſcriptionis bonorum rapaces manus immittebant in ea, tamquam relicta. Conc. Cabilon. circa A. D. 650. c. 7. & Claromont. 16. q. 7. cap. 2.

Joſippe ſi DEUS acerbè ullos, certè bonorum Eccleſiaſticorum inſidiatores, invaſores, ac poſſeſſores vindicat. Burchardus Epiſcopus Halberſtatenſis cùm diu multumque vexaſſet Meginherum Herveldenſem Abbatem propter decimas, quas cœnobium habebat in Saxonia; nec Abbas quidquam iure efficere poſſet, ubi ad mortem devenit, citavit Epiſcopum, ad tribunal Dei ſe ſiſteret intra paucos dies: ibi enim eſſe veriſſimum cognitorem ac vindicem rerum ſui monaſterij. Quid fit? Paucis diebus ab obitu Abbatis Epiſcopus dum ad ſynodum iturus conſcendit equum corruit, relatuſque ad cubiculum aſcitis ocyus presbyteris per DEUM obteſtatur, ut decimas cœnobio reſtituant omni lite in perpetuum præciſa. Sciant quoque cunctos talia tentaturos de cetero talia perpeſſuros. Et converſus ad Epiſcopos Magdeburgenſem & Hildesheymenſem tunc præſentes per omnia ſacra rogavit, ut iretur in Hervelt, ſibique delictorum venia impetraretur: ſe namque vocari ad tribunal DEI, immò rapi, quò rationem redderet de invaſione rerum alienarum. Nec mora: diſruptis miſerabiliter viſceribus expiravit. Uto quoque Archipresbyter eius, maximus incentor huius litis eodem anno ſubitanea morte peremptus, & à dæmone ſuffocatus interijt abſque ulla perceptione ſacramentorum. Lambert. chro. A. D. 1058.

Utinam expenderent exemplum hoc advocati, & juriſtæ cum alijs pluribus, qui ad nihil aliud intendunt, quàm ad jura & bona monaſteriorum quoquo modo carpenda, immemores DEI peculium ſe tangere. Leviſſima etiam DEO curæ ſunt. Scribit Abbas Heidenheimenſis ancillam ab hero ad molendinum miſſam ſubtractam ſibi farinulam reſarcire voluiſſe de farina monaſterij S. Wunibaldi, quàm caſu ibi invenerat. Res mira; ad tantillum ſacrilegium virtute DEI omnis ars & machina molitoris ita obſtupuit, ut reliquum frumentum nullo pacto molere potuerit, quouſque DEUS ac S. Wunibaldus multis precibus placarentur. Adelbert.

Miramur ſæpe adverſos belli ſucceſſus. Sed reſpice Joſippe noſtros milites. Graſſantur non minus in ſacra quàm profana, quo uno vincunt noſtros adverſarios. Non ſileo, inquit Ditmarus, quoddam miraculum temporibus Ottonis III. Ro- Ditmar. lib. 4. chron. fin.

mæ cæli-

mæ cælitus exortum. Nam cum Ducis Hermanni milites Monachorum S. Pauli prata vi sua comprehenderent, suppliciter ab eis rogati discedere noluerunt. Et continuò nubes variæ ascendunt, fulmina micant terrorem Dominicum monstrantes. Tonitru terribile protinus subsequitur, & ex eorum numero optimos quattuor occidens, ceterosque fugans, pauperes Christi in hoc mundo non esse contemptibiles ostendit. Quod in vindictam sacrilegis his militibus fuit furibundum cælum, hoc nostris sunt inimicæ phalanges.

Unicus calix aureus è monasterio S. Benedicti furto sublatus quàm atrocem pœnam in altera vita causavit Pandulpho Principi Capuano. A dæmonibus ferreis nexibus vinctus, & in cœnosum valde ac fœtidum, aspectuque terribilem lacum ad guttur usque demersus est. Duo nigerrimi spiritus retortis ex agrestibus vitibus factis, & per guttur connexis eum identidem mergebant ac retrahebant. Rogatus à puero, qui mirabiliter ad eum locum advenerat, cur tanta pateretur? respondit flens & eiulans: Licet, ô puer, pro innumeris sceleribus meis infinita mihi pœna præparata sit; nullam tamen ob aliam causam ista, quam cernis excrucior pœna, nisi propter aureum calicem, quem de monasterio S. Benedicti sacrilega ductus cupiditate abstuli, eique moriens etiam restituere neglexi. Sed obnixè te precor, ac per IESVM CHRISTVM Dominum, cuius ego infelix præcepta contemnens in hanc sum demersus voraginem mortis, obtestor, ut Capuam ad uxorem meam vel ipse pergas, vel nuncium dirigas, qui ei & tormenta quæ patior nuntiet, & ut calicem monasterio S. Benedicti reddat. Quot spoliatores templorum Pandulphus hodie socios habebit?

Leo Ostien. l. 2. c. 62. Chrō. Cassin.

Idem l. 3. cap. 45. & 46.

Iordanus eiusdem ditionis Princeps ex eodem cœnobio per suos milites cum depositam à Rosellanæ Ecclesiæ Pontifice pecuniam iussisset violenter aufferri, cæcitate à Deo percussus pœnas dedit sacrilegij. Clericus dum laminam argenteam monasterio S. Remacli subducit, à maligno spiritu obsidetur, & usque ad mortem torquetur. Paulò mitius Monachus eiusdem cœnobij castigatus à dæmone est, quod aureum anulum à Comitissa quadam Ecclesiæ donatum abstulerit. Quidam excurrens in vineā S. Audomari Episcopi, paucas inde furtiva manu sublegit uvas, reversusque ad socios pastores cum gaudio eas ipsis exhibuit. Rogatus ut aliquid de præda communicaret, manum

In vita S. Remacli. l. 2. c. 10.

Cap. 11.

Sur. in vita. S. Audom. c. 29.

Digitized by Google

manum in uvas immisi: Sed illico utrumque brachium ex integro contrahitur: os verò sic contorquetur, ut nec verbulum loqui potuerit. Miserabilis eventus docuit alios bona Ecclesiasticorum impiè non contingere. Ad monasterium S. Marcelli Accœmetarum confugerat facinorosus miles, quem cum inde Dux Ardaburius ad pœnam per suos milites conaretur extrahere, in fastigio templi crucifixi CHRISTI imago mirabiliter apparuit, de qua tanta in violatores asyli fulgura eruperunt, ut territi quantocyus aufugerint. Spondan. A. D. 466.

Abundè, ni fallor, ex his perspicere potes curam DEI pro bonis ac juribus cœnobiorum, quorum iniustos alienatores, subtractores, confiscatores, retentatores Ecclesia communiter appellat *necatores pauperum*. Quo titulo nescio an certior ad damnationem excogitari queat: Si enim ad cælum pertinet, qui pauperes pascit ac vestit, quo pertinebit, qui eosdem spoliat & occidit? Conc. Agath. cap. 4. Turon. II capite. 26. Aurel. V. cap. 13. Mogunt. A. D. 888. cap. 6.





ANTIQVARII MONASTICI EREMITORIUM.

EPISTOLA CXXXII.

A quo inceperit vita Anachoretica.

NVllus me totius cœnobij locus amplius delectat, quàm quod in horto habemus *Eremitorium*. Etiam in gelidissima hieme me calefacit & inflammat dum ante ipsum consistens contemplor angelicam antiquorum Anachoretarum conversationem ac studium. Mareotis, Nitria, Scithi, Marmorica, Oasis, desertum Chalcidis, & siquid simile mundo horret, cælo floret, mihi omni melle dulcius est. Vnde non semel cum S. Augustino exclamo: *Quis dabit mihi pennas, & volabo, & requiescam?* Et cum S. Hieronymo: *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur! O eremus familiarius DEO gaudens! Præ te mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Verissimè dixit B. Suatacopius ex Rege Moraviæ eremita: *Nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda.* Paucis absolvo: *Eremus hospitium est angelorum,* ut ait S. Isaac Monachus.

S.Aug in psal. 54. S. Hieron. ep. ad Heliodor. Idem.ep. 4. Ioan.Dubrau. De contempl. mundi. In vita S. Anton.

Magni Athanasij sententia est, ante tempora S. Antonij fuisse quidem, qui non longè à suis viculis separati ab alijs vixerint, ad interiora tamen solitudinum nullum præter Paulum

Theo-

Thebæum penetraſſe. Eiuſdem ſententiæ beatus etiam Hieronymus, & ex hoc Caſsianus eſt, & vulgus ferme omne, quod communiter *S. Paulum primum eremitam* nominat. Natus eſt A. D. 230. & cùm viginti trim annorum eſſet metu perſecutionis Decianæ ſeceſsit in eremum vivens dactylis uſque ad annum ætatis 53. inde pane à corvo accepto annis 60. obijtque nonagenarius eremita anno Chriſti 343. ætatis ſuæ 113. In hunc ergo ponunt Anachoreſeos incunabula. Sed mi Ioſippe, ut de Elia, Baptiſta & Moſe ſolitariæ vitæ typis potiùs quàm ſolitarijs taceã, an B. Mariæ Magdalenæ tricenariam Anachoreſin in deſerto vaſtiſsimo Galliæ pro fabula habendam eſſe exiſtimas? S. Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymitanus tam ante Decium, quàm Paulum vixit. Hic vel propter tædium calumniæ, vel amorem potiùs vitæ ſolitariæ relicta ſede migravit in ſolitudinem, ut nemo ſcire potuerit, quo devenerit uſque ad Gordium tertium ſucceſſorem, ſub quo iterum apparuit maiore cum applauſu hominum, τῆς τε ἀναχωρήσεως ἕνεκα, καὶ τῆς φιλοσοφίας, tum propter vitam anachoreticam; tum ob veram Philoſophiam, ut ait Euſebius. S. Gregorius Thaumaturgus præterea prius, quàm Decij rabies Chriſtianos ad loca deſerta pelleret, abſolutis ſub Origene ſtudijs urbanam vitam derelinquens, deſertum petijt, Deoque & ſibi ſoli vacare cœpit, non ibi de regnis curioſè inquirens, aut præfectorum acta deſpiciens, vel Reipub adminiſtrationes examinans contemptor mundi, ſuique terebat tempus. Hoc eius ſtudium, hic labor, hæc tota vita erat exercere virtutem, curiſque rebuſque relictis ſæcularibus velut alter Moyſes, niſi quod hic uxorem, Gregorius autem pro uxore ſolam virtutem ſibi copulaverit; pares tamen in hoc, quòd uterque vitam anachoreticam ſectatus inauditis miraculis claruerit. Quo loco demiror imperitiam interpretum, qui neſcientes ſignificationem vocis, ἐσχατιᾶς, pro *deſerto* poſuerũt *fines terræ*. Legiſſent S. Baſilium, qui cùm dixiſſet ſe eſſe ἐν ἐσχατιᾷ, paulò pòſt eam clarius exponens ἐρημίαν appellavit: nempe in eremo erat, quam ſatis laudare non poteſt.

S. Hier. prol. vitæ S. Pauli. & ep. 22. Caſſian. collat. 18. c. 6. A. D. 253. S. Hieron. ſup. S. Ambroſ. l. 3. offic. c. 1. Ex Breviar. Rom. 27. Iulij. Baron. A. D. 199. Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 9. 10. S. Greg Nyſſen. eius vita. S. Baſil. ep. 1 ad Gregor.

Primi Chriſtiani ut intellexerunt Chriſtum Dominum iejunio & oratione receſſus montiũ & ſilvarum ſanctificaſſe, eũ tamquam primum Anachoretam coluerunt, ac ſectati ſunt. Hinc ait Euſebius ſtatim ab exordio doctrinæ Chriſtianæ toto terrarum Orbe excitatas fuiſſe Eccleſias Domino Deo in urbibus, vicis, ſolitudinibus, ἐν ἐρημίαις. Interim verum eſt, perſecutores vitæ anachore-

Matth 3 & 14. Caſſian. collat. 10. c. 6. Euſeb. l. 4. præpar. Evang. cap. 1.

Digitized by Google


choreticæ non levem impulsum dedisse, ubi non unus Paulus; sed complures ad deserta loca fugientes non amplius redierunt. Quod verò tantò pòst is adhuc vivus repertus sit, singulare fuit, quo Deus Monachos, qui tunc in summo flore erant, ad perfectiora trahere voluit. Quapropter sicut Antonium patrem cœnobitarum, ob summam hujus studij promotionem, sic S. Paulum Corvinum dicimus primum eremitarum.

S. Dionysius Alexandrinus de persecutione Deciana loquens manifestè indicat Paulum Thebæum non paucos ad eremum comites habuisse. Quid dicam, inquit, de ijs, qui frequentissimi rabiem persequentium fugientes erraverunt in montibus & solitudinibus consumpti fame, frigore, bestijs, latronibus ac morbis? Chæremonem autem Episcopum Nilopolitanum nominatim ait, nec mortuum inveniri potuisse, licet ossa eius diu quærerentur. Eademque tempestate durante ad amicam suam solitudinem reversus est S. Gregorius Thaumaturgus, quando scilicet juxta Nyssenum plenæ erant eremi pulsis Christianis, sic ut quorumdam apud Sozomenum opinio fuerit hac occasione cœpisse vitam monasticam, dum hi profugi paulatim assueti solitarijs locis, in ijs sedes sibi statuerent. Denique per hanc ipsam occasionem S. Gordius in imperviam solitudinem recessit, ibique se diu exercuit nemini nisi Deo cognitus. Et quid multis? S Antonius ipse apud Paschasium fatetur: *Patres antiqui*, inquit, *egressi sunt in desertum*, quo utique Essænos tangit, quos jam pridem dixi Anachoresin ad secretiora loca fecisse, postquam in cœnobijs virtutibus exculti fuere. S. Onuphrij chronologiam tibi pro me afferrem, nisi aliunde crederem eum juniorem esse. Quidquid sit: hic magnus eremita etsi Paulo fortasse junior est; in studio tamen anachoretico quis scit, an sit inferior? Sæpe vidi juniores perfectione anteire seniores.

S. Dion. ep. apud Euseb. l. 6. hist. c. 42.
Greg. Nyssen. cit.
Sozom. l. 1. hist. c. 13.
S. Basil. hom. in S. Gord.
Paschas. c. 35. Epist. 13.
In vitt. PP. lib. 2.

EPISTOLA CXXXIII.

Quibus sancti Patres concesserint Anachoresin.


NOn loquor de his, Iosippe, quos novimus instinctu divino secessisse in solitudines prius, quàm perficerentur in cœnobijs. Absque his nostri majores ad anachoresin de facili neminem admiserunt, nisi virtutibus excultum atq; in actione perfectum. Senioris firma ac probata sententia est: *Qui vult habitare eremum*

Pelag. l. 10. n. 9.

mum

mum debet esse doctor, non qui doceri indigeat, ne detrimentum sustineat. S. Benedictus Anachoretas definiens ait esse eos, qui non conversionis fervore novitio, sed monasterij probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi securi jam sine cunsolatione alterius sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante sufficiunt pugnare. Eodem modo describit eos Hieronymus, eodem Cassianus dicens: *Secundum genus Monachorum est Anachoretarum, qui prius in cœnobijs instituti, jamq; in actuali conversatione perfecti, solitudinis elegère secreta.* Rectè proin' Gregorius Abbas Agaurorum Ioannicium instruens dixit: *Vita quieta seu solitaria convenit ijs, qui versati sunt in diuturniori ascessi, & prius didicerunt obedientiam & modestiam.* Prudenter quoque S. Simeon eremita ex vitis Patrum intellexit, nullum in eremo sibi bene posse præesse, qui non prius in monasterio didicerit subesse: nec perfectum aliquem fore in contemplativa, qui exercitatus non fuerit in activa. Quare S. Lautenus eremita secundum scripturarum divinarum normam nolens antè fieri magister, quàm discipulus, priusquam in eremum iret, tradidit se Laurentio Abbati Balmensi instruendum, veritus, ne contingeret sibi quod illi fratri, qui renuntians sæculo, & accipiens habitum Monachi statim reclusit se dicens, *Solitarius volo esse.* Quod audientes vicini seniores venerunt, & eiecerunt eum, & fecerunt circuire cellas fratrum, & pœnitentiam coram singulis agere & dicere, *Ignoscite mihi, quia non sum solitarius, sed adhuc initium Monachi nuper assumpsi.*

Reg. S.Bened. cap. 1.

S. Hieron. cap. 22. Cassian. collat. 18. c. 4.

Metaphr. in vita S Ioanniciј.

Everwin. in vita Sur. c. 3.

Libr vitt. PP. Occid.

Pelag. l. 10. n. 110.

Multi Iosippe, seducti sunt, qui temerè ante domitas passiones, obtentamque perfectionem se contulerunt in solitudines. S. Ephraim memorabilem huius rei narrat historiam de quibusdam fratribus Monachis, qui relictis suis cellis ac monasterio absque consilio, & contra aliorum voluntatem in terram desertam, infructuosam, atque inaquosam se contulerunt nequidquam fratribus ac patribus ipsos sæpe admonentibus, ne id facerent. Itaque cum in aridissimam solitudinem venissent, necessitate conclusi rerum temporalium, & ad victum necessarium, cum redire vellent ad cœnobium extricare se ex eremo non potuerunt. Valde igitur inedia, siti & æstu oppressi iacuerunt animum despondentes. Tandem inventi, cum frigore tantùm

S. Ephr. ep. ad Ioan.

Digitized by Google

non enecti essent, jumentis impositi ad loca habitabilia translati sunt: nonnulli tamen ibidem mortui cibus fuerunt ferarum ac volatilium: ceteri verò qui mortem evaserunt longis conflictati morbis didicerunt deinceps sequi consilia seniorum; nec ita facilè ab obedientiæ jugo colla subtrahere.

Petr. Damian. in vita eius. S. Romualdus veniens aliquando ad eremitam Venerium interrogavit eum, *sub cuius disciplina viveret?* Respondit Venerius, *sub nullius;* sed hoc se facere, quid sibi utilius videretur. Cui ille: Si crucem Domini portas, superest ut Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, & consensu à proprio Abbate suscepto revertere, ac sub eius dominio humiliter vive, quatenus sancti operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque obedientiæ virtus extollat.

Cyrill. in vita S. Ioan. Silent. Laura S. Sabbæ nonnisi speciem habebat vitæ solitariæ; nihilominus ad eam non admittebatur, qui non prius in vicino cœnobio monasticen accuratè didicisset: Nam semper Patres censuerunt astutissimo generis humani hosti non esse opponendos, nisi veteranos exercitatissimos, unde & Venetum concilium in Gallia decrevit, ne Monachis ad solitarias cellulas discessus concederetur, nisi fortè probatis post emeritos labores. A. D. 465. can. 7.

Magna & ardua res est vita solitaria, & si ex Regula agatur, nihil in hac vita similius est cælesti conversationi. Interim ex Ivone sciendum est, *Secreta silvarum, & cacumina montium beatum non facere hominem, si secum non habeat solitudinem mentis, sabbatum animæ, tranquillitatem cordis, ascensiones in corde,* sine quibus omnem solitudinem comitentur mentis acedia, curiositas, vana gloria, periculosæ tentationum procellæ. Sed ô sabbatum! ô tranquillitas! ô mentis solitudo, quàm paucorum es! Habuerint te primi eremitæ, alijque consequentibus sæculis: Cassianus tamen deplorat suo ævo primum fervorem in ijs defecisse. Causam conijcit in nimiam eorum multitudinem. Dum enim quilibet æstimabat numeros se perfectionis in cœnobio absolvisse, fieri non potuit, quin multi fallerentur portantes in corde nundinas perturbationum pro sabbato mentis. Accedebant distractiones ex comparatione rerum necessariarum, ex venditione laborum, susceptionibns hospitum. Paulatim etiam se insinuabat mollities in vestitu, mensæ relaxatio, tepor mortificationis, & super hæc omnia promptitudo naturalis ad remissiora. *Bos sub jugo subinde calcitrat.*

S. Ivo Ep. 192. Cassian. collat. 19. c. 6.

In

In carne non secundum carnem vivere, rigido cilicio membra jugiter vel lacerare, vel in tantum deformare, ut squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obducat, quotidie lacrymari, quotidie gemere, & siquando repugnantem somnus imminens opprimat, nuda humo vix ossa hærentia collidere, sitim frigidâ, famem pellere xerophagia, socium esse tantùm scorpionum & ferarum, pallere ora jeiunijs, & sua iam carne præmortuum esse arcta via, sed ex S. Hieronymo eremitarum est. Nusquam acriores cum hoste conflictus; nusquam fraudes subtiliores; nusquam ira satanæ ferocior quàm in eremis est. Quantis plagis laceravit S. Antonium: quantis terroribus concussit S. Wilhelmum: indesinentibus molestijs S. Ioannem Regis Dalmatiæ filium eremo exegisset, ni S. Ioannes Baptista subsidium tulisset. Iisdem machinis fatigavit Lupicinum & Romanum; sed hortatu feminæ ex fuga pedem retraxerunt S. Patroclus continuis lassatus tentationibus ad sæculum iam accinctus erat, cùm ei DEUS mundi furta, cedes, adulteria, fornicationes, aliaq; scelera & flagitia ostendere contra dæmonis suggestiones debuit, quibus visis permansit in proposito. Optimè monuit Abbas ille fratrem desiderantem eremum: *Fili*, inquiebat, *noli hoc cogitare; non potes sufferre talem laborem, & præterea tentationes diaboli, & versutias eius: & cum contigerit tibi tentatio, non invenies ibi qui te consoletur à perturbationibus inimici, quæ tibi illatæ fuerunt.* Utinam sincera hæc monita frater suscepisset: nam contra hæc secessit in eremum, è qua post sexennium incredibili astu à malo dæmone abstractus, & ad sæculum retractus est, ubi post expletam libidinem miserè perijt.

S. Hieron. ep. 22.

S. Athan. vit. S. Ant. Theobald. vit. S. VVilh. c. 19. Nicol. Sa[illegible] vit. S. Ioan. Greg. Turon. vitt. PP. c. 1 Idem vit. Patrocl & l. 5. hist. c. 10.

Pelag. l. 5. n. 24.

Iosippe Cassiano fidem perfacilè adhibeo, dum ait, in principio cum eremi magis ac magis Anachoretis implerentur, tantam in eremicolas dæmonum extitisse feritatem, ut vix pauci, & admodum stabiles atque ætate provecti tolerare habitationem solitudinis potuerint. Si enim diabolus adeò insanijt in primos cœnobitas ubi alter alterum iuvare potuit, quid putas eum egisse cum solitarijs? In ipsis cœnobijs, inquit idem auctor, in quibus commorabantur octo vel decem, ita dæmonum atrocitas grassabatur, & frequentes ac visibiles sentiebantur aggressus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes psalmis & orationibus seu lectionibus inhære-

Cassian. collat. 7. c. 23.

bant.

bant. Cumque illos ad soporem naturæ necessitas invitaret, expergefactis alijs ad eorum, qui dormituri erant, custodiam similiter excubiæ tradebantur.

Quamobrem ut eremitæ vita solitaria proficiat, induratus ad omnem inimici impetum esse debet, quod sine DEO haberi non potest. Unde bene S. Ambrosius: *Verus solitarius nec in extrema eremo solus est: nam quando iustus solus est, qui cum DEO semper est? Quando solitarius est, qui numquam separatus à Christo? Neq; enim primus Scipio scivit solus non esse cum solus esset: nec minus negociosus cum ociosus esset.* Sciverunt apud nos hoc plurimi, qui tametsi jugiter contubernio divino gavisi sint, verissimè tamen solitarij dicti sunt.

S. Ambr. l. 3. offic. cap. 1.

EPISTOLA CXXXIV.

In quibus præcipuè locis se Anachoretæ exercuerint.



NOn existimes, Iosippe, primos Anachoretas ad intimas statim eremos secessisse. Paulatim progressi sunt, rursumque tantumdem, atque hoc idem sæpius faciendo, sicut de B. Paulo narrat Hieronymus. Essæi quoque non confestim ad Oasin aut in Scithi recesserunt, sed ad lacum vicinum Mariam, quæ palus est Mareotica, & interiacet inter montem Nitriæ & Alexandriam ad plagam meridionalem per millia septuaginta. Locus est, ut ait Philo, aptissimus, tutusque simul & laudatus ob aëris temperiem: securitatem verò ei præstant villæ, vicique proximi: aërem autem temperat emissorium stagni exonerantis se in mare, & auræ numquam non ex alto aspirantes tenuiter, sicut crassiores feruntur è stagno, quibus permixtis temperamentum existit saluberrimum. Eorum habitacula erant admodum frugalia, parata contra æstum tantummodò & frigora, non contigua ut in urbibus: non enim placet id amantibus solitudinem; nec tamen longè remota; quia societatem diligebant, ut sibi possent invicem succurrere contra latronum incursus fortuitos.

In vita S. Pauli cap. 4.

Epist. 13.

Pallad. cap. 7.

Philo de vita contempl.

Progredientibus à Mareotidis palude perdiem unum ac dimidium versus meridiem mons Nitriæ occurrit. Non est famosior locus in omnibus Ægypti monasterijs, abestque ab Alexandria quadraginta ferè millibus. Traxit Nitriæ vocabulum ex nomine vici adiacentis, in quo nitrum colligitur, prospiciente hoc,

Pallad. sup. Ruffin lib. 1. vitt. PP. c. 21.

Digitized by Google

te hoc, credo, tunc jam divina providentia, ait Ruffinus, quod in illis locis peccata hominum tamquam nitro ſordes abluenda eſſent & abolenda. Et licet S. Ammon primus huius montis accola ſolitariam hîc vitam duxerit; conſequentibus tamen annis Monachi tanta frequentia eò confluxerunt, ut non iam ſolitudo, ſed quaſi Laura vel copioſiſſimum monaſterium eſſet. Cernebantur enim ibi loca fere quinquaginta, aut non multò minus vicina ſibi, & ſub uno patre poſita tabernacula, in quibus aliqui plures ſimul, aliqui pauci, nonnulli etiam ſingulares habitabant: & manſione quidem aliqui diviſi; animo autem & fide, & charitate conjuncti, & inſeparabiles. In vit. S. Pachom. & S. Auton. Ruffin. c. 25. 30.

Septem in hoc monte piſtrinæ erant, quæ non modo ſerviebant fratribus in eo habitantibus, verùm etiam Anachoretis per adjacentem ſolitudinem Celliorum diſperſis. Maxima quoque Eccleſia ibi erecta erat, & in ipſa Eccleſia tres plantatæ palmæ, ex quibus unaquæque habebat flagellum ſuſpenſum. Et unum quidem ad caſtigandos delinquentes Monachos: alterum verò ad puniendos latrones, ſiquando inciderunt: tertium verò ad corrigendos eos, qui fortè veniebant, & in aliqua delicta incidebant. Debebat autem qui criminis convictus erat apprehendere ſuam palmam, ac tergo plagas præfinitas excipere, ſicque dimittebatur. Prope hanc Eccleſiam poſitum erat Xenodochium, quo hoſpites toto tempore ſuſcipiebantur: nec ingrati erant, etſi per duos aut tres annos manſiſſent. Pallad. ſup.

Hunc montem propter ſplendorem nominis luſtravit S. Hieronymus. S. Paula quoque Romana cum acceſſit, & vidit ibi inter tot millia Monachorum Macarios, Arſenios, Serapiones tamquam terreſtres angelos: Erat inſuper ibi Arſiſius, Putuphaſtus, & Chronius, quos vitæ merita altius alijs extollebant. Aiunt quidam etiam Frontonem cum ſuis ibi habitaſſe, & quidem ante Ammonem: ſed hoc inter fabulas pono. Quomodo enim id latuiſſet ſcriptores vitarum S. Antonij & Pachomij? quomodo Ruffinum loci diligentiſſimum exploratorem? qui omnes uno conſenſu concedunt primas Ammoni ſanctiſſimo Monacho, cuius animam B. Antonius vidit in cælum pergere lætantibus in eius occurſum angelis A. D. 337. Et obſecro, quàm inane eſt, quod S. Frontonis fabulator ait: Nitriam eſſe eam eremum, in qua Iſraëlitæ murmurantes ceciderunt? S. Hieron l. 3. adverſ. Ruffin. & ep. 27. Pallad. cit. In vita S. Frōt

Hhhh Soli-

Solitudo hæc Israëlitarum, & Nitria tota Ægypto distant.

Cassian. collat. 6. A monasterijs Nitriæ, quæ per quinque milliaria in circuitu dispergebantur, sequebatur ingens solitudo pertinens usque ad Æthiopiam, & Mazices & Mauritaniam. Eius prima pars vocabatur Cellia, extendebaturque in longitudinem ad millia octoginta; altera erat Scete, vel Scythi, nam variè scribitur. Cellia dicta est à multitudine cellarum, quas solitarij magno numero (Palladius sexcentos numeravit) in illo deserto incolebant: Erant inter se magno intervallo disjunctæ, ut nullus potuisset procul agnosci ab altero, neque citò videri, nec vox audiri. Degebat autem in multa quiete, unusquisque per se inclusus, soloque sabbato & Dominico congregabantur in Ecclesijs, & se invicem excipiebant. Qui pane volebant vivere, ex pistrinis furnisque Nitriæ comparare debebant. Quemadmodum autem Essæorum perfectiores secedebant ad paludem Mariam, sic Nitrienses non prius dimittebantur ad Celliorũ recessus, nisi pervenissent ad fastigium Philosophiæ, ita ut semetipsos regere, solique ab alijs secreti habitare possent. Iis suo tempore presbyter præerat S. Macarius Alexandrinus, cuius cella cùm abesset à Scythi quadraginta milliaribus, intelligis utique eum in medio suorum fratrum Celliensium consedisse tamquã Regem. quamvis hic ipse etiam in Scythi & in monte Nitriæ suas cellas habuerit. Obijt A.D. 395.

Pallad. sup. & c. 32. & 69.

Sozom. lib. 6. hist. c. 30.

Idem c. 26. Pallad. c. 22. & 32.

Scithin alteram partem solitudinis à monte Nitriæ esse diximus. Ruffinus appellat Scithium, cuius iter nulla semita, neque terrenis aliquibus colligatur vel monstretur indicijs, sed stellarum signis & cursibus peragatur. Ait distare à monasterijs Nitriæ itinere diei ac noctis, si scilicet ad Occidentalem plagam te rectà conferas. Aqua ibi, inquit, raro invenitur, & sicubi inventa fuerit, odoris quidem dirissimi est, & quasi bituminea, sed saporis innoxij. Sunt ergo ibi viri valde perfecti (nec enim patitur tam terribilis locus, nisi perfecti propositi habitatores, summæque constantiæ) charitatis tamen inter se, & erga omnes, siqui fortè ad eos accesserint summum studium gerunt. Cassianus proinde non immeritò in hac eremo dicit inventam fuisse omnem perfectionem Sanctorum, Patresque probatissimos, inter quos eminuerit tam in theorica, quàm actuali virtute Abbas Moyses, & Serapion. Addidisset & sanctum Macarium Ægyptium primum huius eremi inventorem, & loci

Ruffin. c. 29.

Cassian. collat. 1. c. 1.

Idem collat. 15. c. 3. &

Digitized by Google

& loci presbyterum, qui defunctus est A. D. 391. cùm esset an- Ioan. Subdiac.
norum nonaginta, & Monachus sexagenarius. Potuisset ad- l. 3. n. 15.
jecisse & Alexandrinum, quem ibi cellam habuisse diximus, u- Pallad. c. 21. & 22.
bi aliquando à culice ictus cum saturatum obtrivisset, pœniten- Pallad. cit.
tia ductus ad paludem Scetios, quæ Moeris est, per sex admodū
menses nudus consedit in intima eremo, ut à multitudine culi-
cum ibi circumvolantium castigaretur, atque ita sanè ab ipsis
exceptus est, ut tamquam leprosus reverteretur, nec nisi de voce
agnosceretur. Post quod spacio novem dierum transmissa hac
solitudine venit ad sepulchrum Iannis & Mambris, qui per
magiam tempore Pharaonis restiterunt Moysi, quo viso rever-
sus est in Scithi. Non diu pòst itinere quindecim dierum per
eamdem solitudinem meridiem versus progressus est in Thebai-
dem, ut videret exercitia Tabennesiotarum; sed & Tabennen-
ses & pater ipsorum S. Pachomius ipse fateri debuerunt, se Sci-
thioticis inferiores esse ex unius Macarij exemplo. Accedit &
sententia S. Climaci dum quærit: *Cur quæso non tanta apud* Climac. grad.
Tabennesiotas, quanta apud Scithicam eremum fuère luminaria? 27. c. 2.
Qui intelligit, intelligat: ego enim id dicere nequeo, immò verò
nolo. Mihi hoc liquet, apud Scetenses fuisse majorem quietem,
vitæque austeritatem, quorum utrumque multum confert ad
vitæ sanctimoniam. Certè Abbas Achilles gravissimè semel
increpavit Abbatem Isaiam in Scithi, quòd panem, quem pro- Pelag. libel.
pter æstum glutire non poterat siccum, ex aqua salsa comederit. 4. n. 10.
Venite, inquiebat, *& videte Isaiam comedentem iuscellum in Sci-*
thi. Si jus manducare cupis, vade in Ægyptum. Alius parvu- Idem n. 12.
lum olei vasculum, quod ab Abbate Beniamin in condimen-
tum olerum acceperat, intactum exacto triennio eidem exhi-
buit. Hæc erant communia Scithioticis, rara apud Pachomia-
nos. Vt de eo taceam, quòd in tam horribilem vastitatem, in
qua vix belluæ cernebantur, non dimittebantur, nisi qui om-
nem perfectionem in cœnobijs apprehendissent.

Cùm autem loci huius tanta esset amplitudo, una Ec- Cassian. collat. 10. c. 2.
clesia tot, tantumque à se disjunctis solitarijs minimè sufficie-
bat. Habebat ergo quattuor Ecclesias cum totidem presbyte-
ris, à quibus eremitæ diebus constitutis sacra percipiebant. Ul- Pallad. c. 33. de Ptolemæo.
tra Scithin erat Climax, locus supra modum arduus, & propter
hoc, & aquæ defectum Monachis inhabitabilis. Ad occasum Ioan. Subdiac.
verò Oasis est & Ammoniaca Libyæ, loca desertissima, sed san- l. 5. n. 12.

S. Athan. apol. ad Constant. de sua fuga. ctis exulibus plus nimio cognita sub tyrannis ethnicis, & Arianis. Inde Marmarica solitudo ac Cyrenaica occurrit, mansiones sanctis Anachoretis non incognitæ. Sed revertor in Ægyptum.

Pallad. c. 23. Cassian. l. 5. instit. c. 24. Ex ea quà itur in Scithin mons Pherme se ostendit, in quo se exercebant ferme quingenti fratres referente Palladio. Diolcos quoque ex habitatione Monachorum nobile oppidum est ad unum ex septem ostiis Nili situm. Ibi plurima turba Monachorum erat, qui demum mittebantur ad locum sanè arduum ac sterilem intra Nilum & mare insulæ formam referentem, ut ducerent vitam anachoreticam. Ibi clarebat Archebius, qui per Idem collat. 11. c. 3. annos quinquaginta feminam numquam vidit. A Diolco progrediendo ad Ortum urbs est Panephysis, cui eremus adjacet, quam per terræmotum maris inundatio fecit. A qua cùm incolæ propter terræ salsedinem recederent, in ipsorum locum lætanter successerunt Secessores nostri.

Ioan. Subdiac. l. 3. n. 11. Exod. 15. Raythum à mari rubro non procul abest, locus nominatus à septuaginta palmis, ad quas applicuit Moyses cum populo dum migravit ex Ægypto. Etiam hunc locum Monachi postmodum occuparunt. Inde in vastissimas solitudines introitus est, in quibus multi agebant vitam solitariam, quorum sancta conversatio soli Deo nota erat, ut Ioannes refert Subdiaconus. Sup. n. 11. & 12. Ibi inter alia mons est interior S. Antonij, & cella S. Pauli simplicis, tredecim dierum spatio à monte Nitriæ.

Vita S. Anton. c. 32. Vita S. Pachô. c. 6. Pelag. l. 18. n. 19. & Pallad. c. 42. Euseb. l. 8. hist. cap. 18. Cassian. l. 10. instit. c. 24. & 25. Et collat. 24. c. 4. Nec regio vicina Thebaidis Anachoretis carebat. Ante S. Pachomium B. Palæmon intra deserti secreta jam Deo serviebat. Pòst inclaruit Pyoterius seu Pitirum in Porphyrite loco & monte per quam arduo à lapide ejusdem nominis ita dicto, quo Maximinus Tyrannus sanctos Confessores passim relegare solebat. Diversus autem hic locus est à Porphyrione, quæ pars erat eremi Scithioticæ, sicut & Calamus, in quo Moyses latro Anachoresin peragebat.

De deserto montis Sinai, eiusque inquilinis ipse facilè Sophron. in vita S. Mariæ Ægypt. c. 7. cognoscere poteris, sicut & de solitudinibus in Syria. Quanta vastitas eremi trans Iordanem est, per quam viginti dierum iter conficere debuit Abbas Zosimas, donec veniret ad S. Mariam S. Hierô. præfat. in Abdiâ. S. Basil. ep. 17. Ægyptiacam? Desertum Chalcidis B. Hieronymi delicium utique legisti. In Pontum veni, & specta S. Basilij Eremitorium. Mons est, inquit, altus, densa silva contectus, frigidis ac pelluci-

lucidis aquis ad ſeptemtrionale latus profluentibus. Ad huius infimam partem campus planus proſtratus eſt humiditatibus ex monte perpetuò pingueſcens. Silva verò circa illum enaſcens ſua ſponte facit, ut Calypſonis inſula huic loco comparata vix æſtimetur. Quid opus eſt referre reſpirationes è terra? aut auras è fluvio? Florum aut canorarum avium multitudinem miretur alius, mihi non vacat his adijcere animum.

In noſtra frigida Germania eiuſmodi deliciæ non naſcuntur, unde paucos inter eremitas vix habemus Sebaldum Nürenbergenſem, Bennonem in alpibus, Nicolaum in Helvetiæ montibus. Gallia etſi plures numeret; ad Ægypti tamen menſuram pervenire non valuit: neque enim tam ſpacioſa deſerta, nec eam vim ſoli habet ad proferenda ſolitariorum conſueta pabula. Caſſiani temporibus introducti ſunt in provinciam. Italia ijs fertilior eſt, ſic ut ex eius eremitis integri Ordines religioſi proceſſerint. Græcia denique etſi olim ſolitarijs ſanctis haud caruerit; hodie tamen ſchiſma jugumque Turcicum omnem veram pietatem evertit. Mons Atho quaſi germanus Nitriæ viginti duo in hodiernum diem retinet monaſteria ſub Regula S. Baſilij. Pendunt quot annis tributi nomine Turcarum Regi ex vineis & olivetis ſuis ſex millia aſprorum, noſtrâ monetâ Taleros 75. ſeu centum duodecim florenos cum dimidio, oppreſſis magna ſumma, ſchiſmaticis digna.


Chron. S. Sebaldi apud Gretſer. Regino in chron. A. D. 925.

Caſſian. præfat. in collat. ultimas.

Ioan. Lang. ad l. 1. Nicephr. cap. 38.

EPISTOLA CXXXV.

De Incluſis.



INcluſos, Ioſippe, vocamus eos Monachos, qui prope cœnobia aut vicos in ſingulares cellas ſe concludunt, ut DEO ſibique vacent. Horum inſtitutio perantiqua cum ſit, Collatori tamen non placet. Quartum eſſe dicit genus Monachorum nuper ex Anachoretis ortum; eorum ſcilicet, qui brevi tempore in cœnobijs degentes tepefacti antequam perficiantur ſingulares cellas ſibi extruunt. Sed fuerint ſubinde tales, ego de toto genere Incluſorum melius iudico. Si penitius eorum inſtitutum expendis, medium locum inter cœnobitas atque Anachoretas tenent, & inde traxerunt originem, quòd amore ſolitariæ vitæ idcirco ſe in vicino incluſerunt, quia ſolitudines ipſas vel non

Caſſian. Collat. 18. cap. 8.

habere vel non ferre potuerunt. Si quos tepor aut fastidium in
Æra 684. can. 5. clausas à communi vita subinde abstraxit, pro spurijs habeo. Sicut in concilio Tolet. VII. redarguuntur, & in monasteria retruduntur inclusi, qui elatione ducti antequam discerent docere populum attentabant. Statuitur proin ne de cetero ullus ad inclusi propositum aspiret, nisi prius in monasterio tam mores religiosos, quàm scientiam perdidicerit. Concilium
A. D. 465. can. 7. Venetum exigit ab ijs præter alia licentiam Abbatis, & emeritos labores, & ut clausa sit intra septa cœnobij, & inclusi sub potestate Abbatis.

Can 41. Exactissimè verò concilium œcumenicum VI. decernit, ut qui sive in urbibus, sive in vicis, in clausis (ἐν ἐγκλείστραις) solitariè velint vivere prius ingrediantur monasterium, & ea perdiscant, quæ ad hanc Anachoreticam conversationem requiruntur. Triennium integrum cœnobij Præposito in timore DEI subjaceant, & postquam in omnibus, uti decet, obedientiam expleverunt, examinentur à Præsule, utrùm sponte sua, & ex toto corde propositum hoc amplecti desiderent, & sic professionem huius instituti faciant. Nec sic tamen statim includantur; sed annum adhuc extra clausam permaneant, ut eorum intentio certius innotescat: sic enim demonstrabunt, quod non inanem sectentur gloriam, sed veram, vereque bonam quietem hanc. Quapropter elapso hoc tempore, si in proposito constantes extiterint, includantur; hac tamen lege, ut eis imposterum omnis regressus inhibitus sit, nisi propter utilitatem communem, vel urgentem ad mortem usque necessitatem: verùm ne sic quidem absque Episcopi benedictione egrediantur. Qui verò absque his causis ex suis habitaculis exire præsumunt, decernimus primò vel invitos sua clausura coërceri; deinde jeiunijs & alijs afflictionibus castigari: novimus quippe scriptum esse, quod nemo, qui manum suam misit ad aratrum, & retro convertitur, aptus sit ad Regnum Cælorum.

Qui his reguntur legibus, veri inclusi sunt, & ab Eccle-
Vita S. Anton init. sia recipiuntur, ac laudantur, & ornant eam. Videntur ex ijs orti, qui ante S. Antonium in privatis cellulis se hinc inde per
S. Ephr. paræn. 1. vicos ac villas exercebant, quorum non pauci fuerunt S. Ephra-
Evagr. lib. 1. hist. c. 10. imi temporibus. Evagrius quoque dum varia Monachorum exercitia recenset, ait esse, qui separatim se includant in ædiculas, quæ tantum habeant latitudinis altitudinisque, ut nec erecto cor-

cto corpore stare, nec se liberè inclinare possint. Qui non alij sunt quàm inclusi, cuius unius lapsum & pœnitentiam S. Chrysostomus ad Theodorum luculenter describit. S. Chrys. paræn. 1. ad Theod. lapsum c. 11.

Hoc vitæ genus incredibile est, quomodo sese per omnes Christianorum provincias diffuderit. Præsertim Gallia se ex ijs jactare potest. Ibi ex uno Gregorio Turon. habemus Caluppam, Patroclum, Hospitium, Eparchium, Iulianum, Prothasium, Friardum, Lupicinum, Leobardum viros magnæ sanctitatis. Greg. Turon. l. 5. hist. Fräc. c. 9. 10. l. 6. cap. 6. In vitt. PP. c. 2. 5. 7. 11. de glor. conf. cap. 110. S. Augustinus eorum etiam per Africam meminit, dum ait, ex Monachis fuisse, qui quandoque semetipsos ad multos dies incluserint victu secum illato, ut soli vacarent orationi quos ipse laudare satis haud possit. S. Aug. de oper. mon. cap. 23. Primordia hæc fuère perpetuorum inclusorum in illa Orbis parte. Germania nostra apud Fuldense cœnobium Annuchodum Scotum habet, Marian. Chrô. A. D. 1043. super cuius sepulchrum visa sunt luminaria, & audita psalmodia est. Super quem, ait Marianus eius conterraneus, ego decem annis inclusus super pedes eius stans cantavi Missas. Inde extractus post decennium iussu sui Abbatis & Archiepiscopi Moguntini Marianus hic est, & Moguntiæ denuò reclusus. Sigebertus ad A. D. 978. refert quemdam inclusum Othoni II. Imp. prædixisse omnes ante septennium morituros, qui Franconiæ vastationem adiuverant. Treveris S. Simeonem ostendit multis clarum miraculis. Sigeb. A. D. 1016. Franconia dedit S. Theobaldum Vincentiæ inclusum. Idem A. D. 1050. A. D. 1058. incendio Paderbona perijt cum duobus monasterijs, in quorũ uno clausus erat Paternus Scotus, qui malum hoc sæpe prædixerat, & qui cum flam̃as posset apertâ clausâ effugere, comburi maluit sperans à DEO mercedem martyrij. Idem. A. D. 1058. & Marian. eodem

In alias regiones me non immitto. Habes præ manibus Theodoretum, Moschum, Evagrium qui inter alios Barsanuphium memorat per annos quinquaginta & amplius nulli mortalium visum, nullo cibo pastum. Theodor. in Philoth. Moschus de Cyro. Evag. l. 4. hist. cap. 32. Si rogas, quid eius stomachus interea fecerit? respondeo cum corpore clausum fuisse. Sed hæc sunt mirabilia DEI, quibus ostendit institutum inclusorum sibi non displicere. Quo factum, ut viri etiam in dignitatibus positi propositum hoc non refugerint. Greg. Turon. hist. Franc. l. 2. cap. 37. Ut fuit S. Maxentius, qui cum sui monasterij Abbas esset, in clausa vixit, & vivens mira patravit. S. Salvius quoque Abbatiam reliquit, clausuram elegit, &, quod mireris, à sepulchro pervenit ad Episcopatum. Idem l. 7. init. Sigebert. in chron. A. D. 1078. illustris erat in S. Medardi cœnobio signis

& vir-

Digitized by Google

& virtutibus, abstinentia ac dono prophetiæ S. Arnulphus inclusus, quocum variè divina providentia egit: nam ex incluso Abbas, ex Abbate reclusus, & ex recluso jussu Gregorij VII. Episcopus Suessionensis effectus est.

Greg. Turon. sup. l. 6. cap. 29.

Dodech.chrō. A.D. 1136.

Sigebert. A. D. 640.

Revel. S.Brig. l. 4. c. 127. 128.

Quid? quod etiam feminæ se includi fecerunt. In monasterio S. Radegundis, cùm quædam Monialis divinitus vidisset defunctam sociam regalibus ornatam vestimentis Christo sponso præsentari, desiderio similis gloriæ recludi se mandavit. Domina Iutta soror Meginhardi comitis de Spanheim in monte S. Dysibodi 24. annis inclusa vixit, ac titulum sanctitatis obtinuit. Eius disciplinæ in clausura fuêre duæ Summet & Hildegardis. Treviris in eodem proposito vixit Doda uxor Arnulphi, qui ex Maioredomus Franciæ creatus est Episcopus Metensis, relictoque Episcopatu filio Clodulpho, solitariam vitam amplexus est, & sancto fine quievit. Denique in Revelationibus B. Birgittæ reperies Italiam multas habuisse probatæ vitæ reclusas, & quod mireris, invenies etiam similis propositi homines in nostro necrologio.

Greg. Tur. cit. l. 8. c. 34.


Robert. de monte in Chron. A. D. 1138.

Reperio etiam inclusum puerum, & quidem in antrum angustissimum undique quadratis lapidibus munitum Anatolium. Qui tamen quod contra seniorum voluntatem inclusionē imaturè extorserit, in proposito non stetit, fractus dæmonis exagitationibus vehementioribus. Ad extremum reclausum tibi Solodurensem exhibeo. Hic effractâ suâ clausâ post tredecim annos à morte Heinrici IV. Imp. processit in publicum, & se propter vultus similitudinem Henricum esse mentitus est. Qua cognita fraude conjectus est in monasterium Cluniacense, quod joco dedit speciem, quo dicebatur *Henricus IV. factus Monachus Cluniacensis.* Sic verè nulla vitæ professio ex omni parte sincera est.



ANTI-

Digitized by Google




ANTIQVARII MONASTICI

PRESBYTERIUM.

EPISTOLA CXXXVI.

Quid, & quot genera Clericorum.



Ontentum te fore tot Epistolis de monasticis antiquitatibus, Iosippe, sperabam; sed hæc spes confudit me. Impellis usque & usque me, ut etiam de Clericis tibi aliquid scribam; nec parcis decumbenti. En cedo tuæ importunitati, & tripes ad scribendum accedo. *Qui in ecclesiastici ministerij gradibus ordinati sunt, Clerici*, inquit sanctus Augustinus, *appellantur.* Causam appellationis aperit S. Isidorus dicens: *Cleros & Clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum, κλῆρος enim Græcè, sors Latinè vel hereditas dicitur. Propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent.* Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus & nomina sunt hæc, *Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.*

S. August. in psal. 67.

S. Isidor. l. 7. etymol. c. 12. c. clerus. dist. 20.

Act. 2.

Clericum, seu, quod idem est, de sorte Domini esse, non contemnenda dignitas est, præcipuè in majoribus gradibus. Hinc ante mille annos statutum est, ut siquis sæcularium quempiam Clericorum honoratorum in itinere obvium habuerit us-

In conc. Matiscon. II. A. D. 586. can. 15.

que ad inferiorem gradum honoris veneranter (sicut condecet Christianum) illi colla subderet, per cuius officia & obsequia fidelissima Christianitatis jura promeruit. Et siquidem ille sæcularis equo vehitur, Clericusque similiter, sæcularis galerum de capite auferret, & Clerico sinceræ salutationis munus adhiberet: Si verò Clericus pedes graderetur, & sæcularis veheretur equo sublimis, illicò ad terram deflueret, & debitum honorem prædicto Clerico, sinceræ charitatis exhiberet. Et hujus legis transgressor ad arbitrium Episcopi ab Ecclesia suspenderetur.

Ætas & vitia Clericorum nostris temporibus Clericatûs honori non parum derogarunt. Sanctis Patribus nostris olim ad ordinationem vis inferenda erat; nunc ambitiosissimè eò currimus omni vitiorum generi immersissimi. S. Chrysostomus postquam omnem perfectionem monasticam implevit, quantum gemuit, ut se audijt ordinandum? S. Augustinus ubertim flevit cùm populus ipsum raptò præsentaret seni Valerio. Quantum distamus ab istis? Plerique sanctorum cùm essent omnium hominum dignisissimi, à tanta excellentia tanquam à fulmine refugiebant. Quid nos? Si affectus commutarentur in pedes mille pedibus curreremus ad Episcopos adolescentiā vix egressi.

S. Chrysost. l. de sacerd. c. 3. Possid. in vita cap. 4.

Non eo inficias maiores nostros etiam pueros in Clerum assumpsisse; sed minorem: ad gradus digniores sæpè tardissimus concedebatur accessus. Legi Concilium Mopsuestenum anno XIII. Justiniani Imperat: celebratum. Quæstio erat, an seniores de Clero reminiscerentur Theodorum Mopsuestenum Episcopum in diptychis aliquando inter Episcopos positum fuisse. Ordine tertius qui introductus fuit, respondit: *Sexaginta novem annorum plus minus sum: factus verò sum presbyter ante hos tres annos.* Paregorius Archidiaconus dixit: *Annorum sum sexaginta sex: habeo verò connumeratus venerabili Clero annos 28.* & nondum erat presbyter. Similiter Ioannes Diaconus dixit: *Annorum sum 58. habeo verò connumeratus venerabili Clero 48.* & erat primum Diaconus. Sic Thomas Diaconus dixit: *55. annorum sum, Clericus factus ante annos 45.* Sic Ioannes Diaconus: *Annorum sum 65. in Clero 50.* Sic denique Paulus: *Sum annorum,* inquit, *56. plus minus: habeo verò in Clero 23.* En, obsecro, quam serò quondam allegebantur in Clerum

Digitized by Google

Clerum maiorem, quàm citò ad minorem. Erat inter hos Theodotus, qui cùm esset annorum 62. circiter, & tamen ait se in Clero ejusdem Ecclesiæ habere annos 55. Thomas quoque, *Sexaginta,* inquit, *annorum sum: habeo verò in Clero, licet peccator sum Domine, annos 55.* quinto ætatis anno adscriptus in Clerum. Quis, obsecro, non rapiatur aspectu tam venerabilis Cleri? quis coram tot canis capitibus non assurgat? An existimas tantam Cleri majestatem solùm Mopsuestæ fuisse? Minimè. Hoc ipso quod Presbyteri consecrabantur, seniores esse debebant, nisi maturitas morum suppleffet numerum annorum. Quàm voluissem vidisse Clerum Romanum, qui in oculis erat totius mundi. Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum Patriarcham scribit, suum Clerum constare Presbyteris 46. Diaconis septem, pro more primitivæ Ecclesiæ, totidemque Subdiaconis; Acolytis autem 42. Exorcistis, Lectoribus & Ostiarijs 52. Plures utique habuisset, nisi multitudo languentium, pauperum, ac viduarum redditus consumpsisset: alebat enim toto tempore mille quingentos. Quid hic Pontifex post Constantinum fecisset à quo Ecclesia Romana opibus in immensum aucta est? Euseb. lib. 6. hist. c. 35.

Tametsi autem status Monachorum semper magno in honore fuerit in Ecclesia; senatus tamen Clericorum, ait Alexander Papa, longè præeminet cœtui Monachorum, quod Patres in concilio Aquisgranensi dicunt evidenti auctoritate liquere. Nolint velint ex institutione sua laici sunt. Quapropter quod habetur. c. duo sunt. 12. q. 1. ex pseudoHieronymo laicos posse habere temporalia, ducere uxores &c. de illis laicis dicitur, quos S. Augustinus appellat *propositi inferioris*, quod verbum cùm sit relativum, utique dicitur ad laicos propositi superioris, quod tria vota inducit Monachorum, propter quæ in Ecclesia semper habuerunt maiorem venerationem ab illis alijs laicis. Certè S. Augustinus Renatum, quem in libris retractationum appellat *Monachum,* libro 2. de anima vocat *Laicum,* & quidem, ne quæratur effugium, pro eo ipso tempore. Sic S. Possidius dum in vita S. Augustini ait, Circumcelliones nec Clericis, nec laicis pepercisse, laicis utique connumerat Monachos, quia nemini de Catholica pepercerunt, maximè qui Deo singularius serviebant. Quod si quorundam loquendi more laici à Monachis distinguuntur, id nondum eos Clericis adæquat, sed dum-

In append. conc. Later. c. 6. A. D. 816. c. 115. Vita S. Chrysost. l. 3. c. 12. advers. vitup. vit. mon. S. August. l. de oper. monach. c. 22. Idem l. 2. retract. c. 56. c. 1. Possid. c. 10. Vide c. 10.

[Pennot. l. 1. c. 6. de Cann. regg.] taxat propositum superius insinuat. Quod totum propter Gabrielē Pennotum dico, qui multis conatur probare idcirco S. Augustinum [Possid. c. 4. & 28.] ante Presbyteratum Monachum non extitisse, quod ipsum Possidius, imò ipsus semet laicum tunc appellet. [S. Aug. l. de bono persev.]

Clerus ut nunc, ita & olim sub distinctis nominibus venit. *Primarius* in urbibus, præsertim in quibus erant Episcopi, vocabatur *Cardinalis*, hodie *Canonici Cathedrales* audiunt. In [Ioan. ep. 199.] Epistola S. Gregorij passim tibi hæc appellatio occurret. Ioannes VIII. ad Constantinopolitanos: Statuimus ut post hujus Patriarchæ (Photij) obitum nullus de laicis in Patriarchatus consecretur honore, nisi *de Cardinalibus Presbyteris & Diaconi-* [Epist. 10.] *bus* Constantinopolitanæ sedis. Ita Paschalis II. ad Didacum Episcopum Compostellanum. Cardinales, inquit, in Ecclesia tua Presbyteros seu Diaconos tales constitue, qui dignè valeant [Epist. 10. A. D. 1151.] comissa sibi ecclesiastici regiminis onera sustinere. Eugenius III. [Alex. ep. 52. A. D. 1179.] Arnoldo Archiepiscopo Coloniensi concessit privilegium, quod Alexander III. confirmavit, quo potuit in sua Ecclesia ordinare *Septem Cardinales Presbyteros,* qui induti dalmaticis & mitris ornati in festivis diebus Missas solemniter possent celebrare. [Ioan. ep. 83. & 89.] Hinc Papa Ioannes, de quo antè, non semel ait, *Presbyter car-* [Epist. 8.] [Anastas. vitâ Steph. & conc. Meld. A. D. 845. c. 54.] *dinis nostri.* Item *Ecclesiam* metropolitanam Bituricensem appellat *Cardinalem.* In vita Stephani VI. habes *titulos cardinales.* Imò Zacharias I. *Cardinales* Presbyteros omnes eos no- [Zach. ep. 7. c. 1. & 7.] minat, qui præerant Parochijs urbium, quos proinde opponit Presbyteris agrorum seu ruris. Illis autem concedit vestes pretiosiores: his vetat, ne in civitatibus celebrent præsentibus illis propter reverentiam. Denique Ecclesiæ in quibus erant [A. D. 1160.] *Clerici Cardinales* dicebantur *Cardinalia*, quemadmodum habes in conciliabulo Papiensi contra Alexandrum III. stetisse Cardinaliam S. Marcelli, & decem aliarum Cardinaliarum Clericos. Hodie vox *Cardinalis* substantivè accipitur, solumque tribuitur purpurato senatui ecclesiastico Romani Pontificis.

[Turon III. A. D. 813. c. 12. & 23.] Sicut autem Cardinalia à Cardinalibus Ecclesijs, sic *Episcopium* dicitur ab Episcopis, eratque habitatio olim Episcoporum. Presbyteri, inquit Concilium Turonense, antequam ordinentur, in Episcopio maneant, discant ibi officium suum, & ut mores eorum, & actus probentur. Item: Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopijs conversantur. Ab Ecclesia seu habitatione patriarchali *Patriarchium* descendit, unde

Patriar-

Patriarchium Lateranense non semel habetur in vitis Pontificum, ibi educabatur & instruebatur ab adolescentia Clerus Romanus magno bono totius Ecclesiæ. *Presbyterium* similiter à Presbytero est, ac significat nunc collegium Presbyterorum, ut habes apud Cyprianum, *Contrahere Presbyterium:* Sanctus Basilius ait: Habere se Presbyterum in suo Presbyterio, vas electissimum: nunc significat locum seu mansionem Presbyterorum. *Venerunt in Presbyterium*, ait S. Cyprianus. Alibi dicit; *de Presbyterio excidere*, de gradu scilicet Presbyteratus, quemadmodum ait *Diaconium* amittere. Quamvis à voce Diaconi etiam *Diaconia* dicatur. Cuius vocis frequens est mentio apud Athanasium Bibliothecarium. Benedictus II. inquit, omni Clero, monasterijs, *Diaconiæ*, mansionarijs dimisit post obitum auri libras triginta: Ioannes V. solidos mille nongentos: Gregorius II. duo millia, centum sexaginta. Paulus I. Sanctorum corpora per monasteria & Diaconias distribuit. Apud Cassianum quoque habes Theonam singulis annis decimas Diaconiæ persolvisse: cui diaconiæ præerat Abbas Ioannes. Nec aliud erat, quàm Hospitale cum templo in quo per ordinem eleemosyna distribuebatur pauperibus, ut liquet ex vita Hadriani I. Præfectus vocabatur *dispensator*. Sic ait Cassianus: *In Diaconiæ dispensatione succedere.* Eligebatur autem Præfectus seu dispensator hic à cunctis senioribus is, qui reliquos anteibat ætate, fide, virtutibus. Ita intelligis, quid sit quod apud Collatorem legitur, *Diaconiam* sanctis fratribus ad metalla damnatis à Valente *detulimus*, nempe eleemosynam de hospitalibus Ecclesiæ.

Anastas in vit. Steph. V. Paschal. I. Leon. IV.

Cyprian. epist. 46.

S. Basil. epist. 319.

S. Cyprian. sup. & ep. 49.

Cassian. collat. 21. cap. 8.

capite. 1.

cap. 9.

cap. 1.

Idem collat. 18. cap. 7.

Verùm ut ad divisionem Cleri revertar, constat ex concilio Aurelianensi, Clericos alios nuncupatos fuisse *civitatenses*, alios *parochianos*, quod illi in Urbibus, hi in Pagis residebant, qui in concilio Lugdun. dicuntur *Presbyteri forastici*, quibus non liceat celebrare, si præsentes sint *Presbyteri civitatis*. In constitutionibus Riculfi Episcopi Svession. vocantur *Presbyteri villiti*. Ex eodem fonte habemus *Decanos rurales*, oppositos Cathedralibus (quamvis & Canonicis Regularibus in cœnobijs & Monachis sui Decani sint) & *rurales Decanatus*. Clerici *sæcularis* nomenclaturam contra Clericos *religiosos* ante octingentos annos invenio in concilio Aquisgranensi. Nullus plebeius, vel *Clericus sæcularis*, inquiunt Patres, in monasterium ad habitandum

Aurel. III. A. D. 438. can. 16. & Arvern. A. D. 541. can. 14.

Lugdun. II. A. D. 570. can. 56.

A. D. 839. constit. 15.

A. D. 817. cap. 42.

dum recipiatur, nisi velit fieri Monachus. Qui autem illi fuerint, quos concilium Senonense appellat *Clericos Ribaldos*, maximè qui vulgò dicebantur, *de familia Goliæ*, magis cogito quàm scribo.

Sub Galtero Episc. cap. 13.

EPISTOLA CXXXVII.

An in primitiva Ecclesia fuerint Clerici sæculares.



NOn sum usqueadeò hebes, ut existimem statum Clericalē involvere religiosum; certus tamē sum, tempore nascentis Ecclesiæ Clericum non fuisse, quin & fuerit Religiosus, si Religionis essentiam in tribus votis consideres. Mi Josippe, quicunque jus Canonicum inspexerit mecum sentiet. Capite dilectissimis 12. q. 1. ex Clemente S. Petri discipulo dicitur Clero Ierosolymitano: *Communis vita, fratres omnibus necessaria est, & maximè his, qui DEO irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorū eorumq; discipulorum imitari volunt.* Unde consiliū dantes, vestram prudentiam hortamur, ut ab Apostolicis Regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes, & Scripturas sacras rectè intelligentes, quæ Domino vovistis, adimplere satagatis. Urbanus I. Papa creatus est post Christum natum 226. Is ait, in epistola sua; vitam communem adhuc vigere, maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est Clericos. Rectè: Cui enim portio DEUS est, ait S. Ambrosius nihil debet curare nisi DEUM, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc Religionis cultui, atq; huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, ut suis se abneget, qui servire DEO elegerit.

Clem. epist. 5.

c. scimus. 12. q. 1.

S. Amb. de fuga sæcul. c. cui portio. 12. q. 1.

c. Clericus. cit. S. Hieron. epist. 2.

S. Hieronymus docet Clericum vix esse Clericum, qui præter DEUM terrenum aliquid possidet. Clericus, inquit, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, verbi gratia, Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem,

Digitized by Google

pellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, nec accipio partem inter ceteras tribus; sed quasi Levita, & Sacerdos vivo de decimis, & alteri serviens altaris oblatione sustentor. Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequor.

Durior fermè Hieronymo Origenes est. Vis scire, inquit, quid intersit inter Sacerdotes DEI, & Sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit Sacerdotibus suis: Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis, *Ego sum pars vestra.* Observate ergo qui hæc legitis omnes Domini Sacerdotes, & videte quæ sit differentia Sacerdotum, ne fortè qui partem habet in terra, & terrenis cultibus ac studijs vacant, non tam Domini quàm Pharaonis Sacerdotes esse videantur. Ille est enim, qui vult Sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam, juri & non legi operam dare: Christus autem Dominus noster Sacerdotibus suis quid præcipit? audiamus. *Qui non abrenuntiaverit,* inquit, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Contremisco hæc dicens: meus enim primo omnium, meus, inquam, accusator existo: meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem; & eum qui non renunciat omnibus quæ possidet &c.

Orig. hom. 16. in Genes.

Luc. 14.

Evangelij verba hæc benè ponderans S. Augustinus initio sui Episcopatus noluit ordinare ullum Clericum, qui non in communi absque proprio viveret. Quos Clericos nos vocamus *sæculares, carnales* nominavit; & qui nobis *Religiosi,* ipsi *spirituales* erant. Quid est hoc, inquit, nisi quia præcepta summa quæ accipiunt spiritales, non accipiunt carnales; & de quibus gaudent spiritales, contristantur carnales? Liber iste fratres quid habet? *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quàm dulcis in ore Ecclesiæ? ab omnibus spiritalibus factum est. At verò carnali cuicumque dixeris, Fac hoc: facilius à te tristis recedit, sicut ille dives à Domino.

S. Aug. serm. 1. de com. vit. Cler. c. certè. 12. q. 1.

Idem enar. psal. 43.

Luc. 18.

Magnus Gregorius instituturus Ecclesiam Anglicanam quid ad Augustinum Episcopum scribat ex ipso audi: Quia tua Fraternitas, inquit, monasterij Regulis erudita, seorsum non debet fieri à Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore DEO nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conversationem,

S. Greg. respons. ad Aug. cap. 1. & 2. Habetur. cap. quia sup.

Digitized by Google

versationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex ijs quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quibus vides Josippe, quàm verum sit, quod S. Ivo Carnotensis magnus Cleri reformator ait, *In primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum, nisi de communi vita assumptus.*

S. Ivo ep. 213.

Vita comunis hæc à SS. Patribus tàm Græcis quàm Latinis Episcopis aut sedulò observata in ipsorum Ecclesijs, aut Clero rigidè inculcata, aut si laxata per negligentiam fortè erat, de novo introducta fuit. Clerus Romanus sub S. Cornelio scribit ad Carthaginiensem: *Antiqua apud nos disciplina, antiqua fides, antiqua severitas est.* Disciplina hæc, si, ut sunt humana, defectum forsan in tantillo patiebatur, aderant confestim tales Pontifices, qui eam ad pristinam sanitatem reducerent. S. Silvester quantus restaurator fuit vitæ religiosæ & Apostolicæ! De S. Gregorio Magno narrat Ioannes Diaconus, quòd Clerum Romanum ad eum statum reduxerit, qualis erat quem S. Lucas describit fuisse temporibus Apostolorum. Antequam S. Ambrosius ordinaretur, pullulare cœperat in Clero Mediolanensi avaritia, contra nominis institutum, ait Paulinus; nam Clerus sors, seu portio Domini est; illi verò portio sit Christus, cui nihil in sæculo est. Quid egit Ambrosius? & verbo & facto castigavit subnascentem hanc pestem. Lege libros officiorum & invenies eum non solùm auctoritate Apostolicâ docuisse Clericos despicere debere res terrenas, verùm etiam communem eum cum suo Clero duxisse vitam. Hinc illa verba ad dispensatorem rerum necessariarum: *Si quispiam gerat officium sacerdotis, aut dispensatoris, ut suggerat Episcopo, si quem positum videat in necessitate, quo iuvetur.* Denique mores suorum Clericorum, tamquam hominum Deo dicatorum, & partes corporis sui accuratissimè composuit. Noluit eos interesse sæcularium convivijs; aut visitare virgines vel viduas, incumberent potius libris & orationibus. Iocos verò & omnes levitates in ipsis adeò detestatus est, ut duos leviter incedentes gravissimis verbis corriperet: quin alterum etiam abijceret.

In epp. S. Cyprian. 30. & 31.

Pennot. l. 3. cap. 4.

Ioan. Diac. hist. l. 2. cap. 12.

Act. 4.

Paulin. in vita S. Ambr.

S. Ambr. l. 1. offic. cap. 36.

Etl. 2. cap. 15.
Sozom. lib. 7. hist. c. 24. fin.
S. Ambr. sup. cap. 27. & l. 1. cap. 30.
Et c. 20. & 23.

cap. 18.

Vidit hanc Apostolicam vitam S. Augustinus & æmulator existens, quam primum factus est Episcopus eundem in suum Episcopium initio, deinde per discipulos & concilia in totam Africam introduxit. Nam si in ulla, certè in hac provincia

Possid. in vita S. August.
S. Aug. serm. 1. de com. vit. Cleric.
In conc. Carthag. IV.

Digitized by Google

cia vita communis à beatis Apostolis instituta defecerat. Quippe iam S. Cypriani temporibus Clerus de proprio vivebat. Hinc sanctus martyr luctuosè conqueritur, Deum idcirco immisisse persecutionem Decianam, quod Episcopi fundis & argento, fœnori atque usuris incubuerint: Clerici verò singuli augendo patrimonio studuerint, obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent.

In Oriente & Ægypto Clerus constantior fuit in primævo instituto. S. Athanasij temporibus Clerus Alexandrinus perseveranter adhuc stabat in beati Marci vestigijs. S. Basilij Clerus totus fuit religiosus. Nec mirum: nam ipse dicit illis temporibus omnes Episcopos debuisse relinquere patriam & cognationem. Hinc S. Gregorius Naz: suum patrem Episcopum appellat pauperem, ut cui in Episcopatu nil amplius sit proprium. Idem Gregorius cum suo Clero regulariter vivebat in magna rerum abdicatione. Venerat quidam Iulianus ad ipsum missus à Valente Imp. ut de singulis capitibus censum nummarium exigeret Ad quem S. Gregorius: *Ego tibi, Iuliane, pro gratia, quam exhibuisti mihi præsentiâ tuâ, vicissim tibi gratiam redhibeo, offeroq; omnes pauperes, chorum scilicet Sacerdotum, & Philosophorum* (Monachos intelligit) *qui nullo vinculo terreno obligantur, & sola sua corpora possident, immò neq; hæc omni modo: qui nihil habent, quod Cæsaris sit, sed omnia illorum Dei sunt: hymni, preces, vigiliæ, lacrymæ, divitiæ spiritales: mori mundo, vivere Christo, carnem macerare, animam à corporis voluptatibus sublevare, hæ ipsorum opes sunt. His parcas velim.* Alibi suos Constantinopolitanos sic alloquitur. *Pro viribus sanè recreastis quosdam, qui altario serviunt, & pulchrè inopes sunt: quo fit ut imposterum facilius altari queant assistere, vobisq; qui vestra ipsis ministratis, sua vicissim redhibere. Turpe omninò, hoc si nos exigere cogimur, vos autem negatis, quod non ideò dico, ut in me fiat: bonum enim mihi magis mori, quàm ut quis gloriam meam evacuet, & absq; mercede contingat mihi prædicatio, si mercedem hîc recepero.*

S. Greg. Naz. de S. Athan. S. Epiphan. hæres. 68. n. 4. S. Basil. epist. 183. & 319. S. Greg Naz. orat. 2. Idem in sua vita. Et orat. 9. Idem orat. 28.

S. Epiphanius, qui cum B. Hieronymo vixit, claris verbis docet sua ætate Clerum in urbibus vixisse cum Episcopis in Ægypto. Regebat Imperium Theodosius senior, sub quo Ecclesia valde florebat. Præ cæteris inter Episcopos sanctitate fulgebant cum Epiphanio, Acacius, Flavianus, Diodorus, Zenon ex Mo-

S. Epiph. sup. Sozom. l. 7. hist. c. ult.

Theodoret. l. 5 hist. c. 28. Sozom. lib. 8. c. 3.

nachis assumpti, quos ait Sozomenus Clerum ad summam virtutem ac zelum instituisse. Nullus tamen par erat sancto Chrysostomo, qui mox ut Episcopus creatus est, se convertit ad reformandum Clerum, volens omnimodis, ut secundum Regulas ab Ecclesia Clericis præscriptas vitã agerent, & prout decebat formam exprimerent verorum Clericorum. Quod cùm aliqui negligerent, ab Ecclesiæ sanctuario ejecti sunt. Id quod non modò præstitit in urbe regia, verùm etiam per integram Thraciam in sex Episcopatus distributam. Progressus deinde ulterius totius Asiæ, Pontique Clerum per undecim diœceses simili reformatione ad vitam apostolicam reduxit, odia iniquorum nec tantillum curans

Fol. 606. 621.

Æra 704. can. 18.

Et quod fortasse mirum tibi videatur, integer Clerus non solùm in urbibus cum Episcopis, sed etiam in villis ac pagis erat, quibus loco Episcopi Presbyter præerat. Ita legis in apologia secunda S. Athanasij, Ischyram sancti viri calumniatorem excusationẽ sycophantiæ suæ attulisse tam coram Presbyteris & Diaconis vicorum; quàm urbis Alexandriæ. Sanctus item Basilius in epistola 192. salutat Clerum universum, τόν τε κατὰ τὴν πόλιν, ϗ τὸν ἐπὶ τῆς παροικίας, tam *civitatensem* quàm *parochianum*, seu *parochitanum,* ut loquitur concilium Emeritense, in quo de Clero rurali sic decernitur. Quidquid unanimiter dignè disponitur in sancta Dei Ecclesia, necessarium est, ut à parochitanis Presbyteris custoditum maneat. Sunt enim nonnulli, qui Ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, & solicitudo illis nulla est habendi Clericos, cum quibus omnipotenti Deo laudum debita persolvant officia. Proinde instituit hæc sancta Synodus, ut omnes parochitani Presbyteri juxta .t in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & officium sanctum dignè peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & domino & Presbytero suo, atque utilitati Ecclesiæ fideles esse debent. Quod si inutiles apparuerint, ut culpa patuerit, correptione disciplinæ feriantur. Si quis Presbyterorum hanc sententiam minimè custodierit, & non adimpleverit, ab Episcopo suo corrigatur, ut plenissimè custodiat, quod dignè jubetur. Concilium hoc Innocentius III. confirmavit, quo intelligis in toto terrarum Orbe priscis sæculis Clerum non aliam duxisse

Innoc. ep. ad Petrum Compostel. episco.

xisse vitam, quàm communem; ac Græci vocant *cœnobiticam*.

Quando autem hoc apostolicum institutum in hoc aut illo loco expiraverit, & pro vita religiosa sæcularis in Clero subrepserit, quis dicat? Certum est, id citius in una quàm in altera diœcesi contigisse, prout vel plebs parcior erat in subministrandis necessarijs Ecclesiæ ministris, vel hi ipsi negligentiores in disciplina religiosa servanda. Non sine causa S. Cyprianus Africanæ plebi exprobrat, tunc, inquit, id est sub Apostolis, domos & fundos venundabant, & thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant: at nunc de patrimonio nec decimas damus. Sic in nobis emarcuit vigor. Quid mirum proinde, si subtractis decimis, unde ministri Ecclesiæ alebantur, Clericorum collegia maximè in pagis & minoribus oppidis minuebantur, aut omnino cessabant, ut vix uni oblationes fidelium sufficerent? Subodoror etiam avaritiam Presbyterorum in pagis ex allegato concilio Emeritensi: hoc ipso namque, quod tanto rigore ipsis demandanda fuit plurium Clericorum in unum collectio, cœperunt soli & sæculariter vivere sub sat amplis redditibus. Deinde senescente paulatim sociali conversatione consenuit etiam disciplinæ vigor. Cathedrales præcipuè Ecclesiæ abundabant opibus, quibuscum ferme conjungi solet luxuria, & tædium disciplinæ sanctioris. Nonne antecedentibus sæculis ex hac sola causa communis & religiosa vita in cardinalibus Ecclesijs spiritum & vitam amisit, & introducta est sæcularitas in Canonicis? *Hac fuit iniquitas illorum temporum, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium.* Atque hæc vitia SS. PP. jam olim notarunt in Clero. S. Hieronymus quàm mordaciter perstringit ad Nepotianum quorundam Clericorum avaritiam, luxum in vita ac vestitu, ac turpem familiaritatem cum feminis? Ad Eustochium de Presbyteris quibusdam & Diaconis ait: *Habentes curam de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humilior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cùm videris, sponsos magis existimato, quàm Clericos.*

S. Cyprian. de unit. Eccl. fin.

Ezech. 16. S. Hieron. ep. 2.

Idem ep. 22.

An arbitraris, Iosippe, cum tam profanis moribus diu posse consistere vitam religiosam? Ante Hieronymum S. Gregorius Nyssenus iam pervidit in Clero talia sæcularitatis rudimenta, alioqui non monuisset dicens: Si cuiusdam Sacerdotis vitam

S. Greg. Nyssen. in vita Moysis.

Digitized by Google

contemplatus fueris, invenerísque eum buccis splendentibus, & rosas odore fundentem, & ut multorum mos est, purpura & bysso radiantem, lautísque mensis adgaudentem, vináque non nisi defecata bibentem, unguentis primis se ungentem, & quæcunque alia videntur dulcia, suaviaque gustui, & vitæ huic affectantem, de hoc rectè illud Evangelij pronunciaveris, Fructum video; sacerdotalem tamen arborem ex his fructibus non agnosco: quippe diversi Sacerdotum fructus ab his sunt: nam illi temperantiam, hi delicias sapiunt: illi à terrena humilitate non assolent pinguescere; in hos autem multa voluptatum plaustra convehuntur.

At existimo eiusmodi vitam voluptuariam in Clero potissimum initium accepisse, cum Oriens tot hæresibus scatere cœpit, ubi non dubito magnam cladem illatam fuisse religiosæ professioni Clericorum. Scimus priori sæculo emergente Luthero & asseclis, quantum detrimenti acceperit vita monastica in nostra Germania. Vt minima datur occasio ab ociosis & tepidis Religiosis, libertas summâ aviditate arripitur. Sicut autem videmus apud nos statum religiosum non ad internecionem fuisse deletum: quin multos tanto cordatius se malis temporibus opposuisse, aut ex torpore surrexisse, sic olim etsi successivè in quampluribus locis vita communis Clericorum cessaverit; nunquam tamen defuerint, qui eam vel constanter tenuerunt, vel zelo Apostolico restaurarunt. Prima laus huius rei debetur S. Augustino, cuius soboles in hunc usque diem felici propagatione perennat.

Ad extremum, Iosippe, nosse debes Clericos olim in illa sua vita communi, non modò adstrictos fuisse ad paupertatem; verùm etiam ad continentiam & obedientiam religiosam. In Regula quippe canonica sicut dicitur, *Et non dicatis aliquid proprium*, sic & statuitur, ut Clerici se tam à tactu, quàm ab affectu contineant feminarum. Denique dum legis *Præposito tamquam patri obediatur*, habes præceptum regularis obedientiæ, quam etiam à Nepotiano religioso Clerico exigit S. Hieronymus. *Esto subjectus*, inquit, *Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe*. S. Ambrosius ait, *à vero deviare, qui Episcopo non obediat*. Et S. Greg. Naz. dum laudat S. Basilium docet obedientiam Clericorum requiri ex Regula & ordine spiritali: Sed finio sat longam epistolam lætus, quod me Deus inter eos Clericos collocarit, quos ipse primus instituit.

12. q. 1. c. nõ dicatis.

32. q. 1. c. nec solo.

S Hier. ep. 2. S. Ambr. l. 2. offic. c. 24. S. Greg. orat. 12.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXVIII.

De Clericorum Continentia.

I nosti, Iosippe, quid status religiosus sit, facilè intelliges Clericos religiosos in Ecclesia primitiva, quamdiu vitā communem duxerunt, habuisse perpetuum votū castitatis. Agedum ab ipsis Sanctis Apostolis incipiamus. *Hos* ait Eusebius *coniugibus lege concessis renunciasse, naturales voluptates calcasse, ad filios & nepotes non respexisse: scilicet immortales non mortales filios desiderabant,* id quod ait ipsos docuisse omnes qui communem vitam ducebant in gradu excelsiori ab laicis: nempe ut nec sobolem, nec nuptias, nec possessiones, opesvé requirerent, sed huic uni rei dediti essent, ut procrearent, atque educarent, non carnales, sed divinos ac spiritales filios, quod inquit observasse omnes Sacerdotes & Episcopos ab Apostolorum temporibus usque ad suam ætatem ultra trecentos annos. *Episcopum,* ait, *oportet esse unius uxoris virum,* priscis illis ex antiquo testamento potius dictum est: Apud Christianos enim qui DEO consecrati sunt, vacantque DEI cultui & ministerio, his necesse est, ut de cetero nuptiali commercio abstineant. Ceteris dicitur *Honoratum coniugium, & thorus immaculatus,* qui se DEO non consecrarunt.

Eufeb. lib. 3. demonstr. evang. c. 7. fol. 118.

Idem l. 1. c. 8. & 9.

1. Tim. 3.

Hebr. 13.

Inter antiquissimos scriptores sunt Origenes & Tertullianus. Ille eum apud nos docet sacrificium offerre debere, qui manibus sit purior. Iste verò tradit ordinem Clericorum â plebe differre castitate. Fallitur proinde Socrates & Sozomenus, dum aiunt in Cōcilio Nicæno intercedente Paphnutio permissum fuisse usum coniugum ijs Clericis, qui eas ante Clericatum duxissent. Interfuit enim Concilio huic Eusebius & tamen scribit Sacerdotes & Episcopos ex more vixisse Apostolorum, qui post ordinationem â copula abstinuerunt. Certè Magnus Basilius non solùm ex S. Paulo, verùm etiam ex ipso Concilio Nicæno demonstrat Presbyteros ἀγάμους & cælibes esse debere: cælibatûs autem honestatem in eo esse, ut quis â nexu mulieris abstineat. Unde Paregorium Presbyterum septuagenarium gravissimè obiurgat, quod contra Canones pristinam secum uxorem habeat, mandans ut ex ædibus eam in virginum cœnobium ablegat, ne nomen Dei blasphemetur propter illicitam il-

Orig. l. 3. cont. Celsum.

Tertull. exhort. ad castit. cap. 3.

Socrat. lib. 1. hist. cap. 8.

Sozom. lib. 1. hist. cap. 22.

Euseb. sup.

S. Basil. epist. 193.

Digitized by Google

Idem in c. 3. Eſaiæ. fol. 899. lam cohabitationem. Presbyterum proinde vult eſſe ἀπείρατον γυναικὸς ut loquitur, hoc eſt, expertem feminæ: idque probat ex ipſa caſtitatis profeſſione, quam in ſuſceptione Ordinis ſacri faciebant: nam utitur voce ἐπαγγελίας, (Epiſt. ſup.) quæ promiſſionem, ſeu voti nuncupationem ſignificat. Sub Conſtantino Magno, qui & ipſe Nicænæ ſynodo interfuit, vivebat in Palæſtina Ioſephus ex Apoſtolo Iudæorum Chriſtianus & Comes. (S. Epiphan. hæreſ. 30.) Hic defunctâ coniuge abſque mora tranſivit ad ſecundas nuptias, ne viduus raperetur in Clerum: Quid obſecro te, Comes Ioſephus timuit, niſi quod ſcivit Clericum uxoratum, Clericum eſſe non poſſe? Si enim Clericatus ſublimior uxorem tunc temporis admiſiſſet, vivente primâ uxore in perpetuo timore fuiſſet, ne contingeret ipſi, quod verebatur ei poſſe contingere ipsâ defunctâ.

S. Epiphanius, qui Ioſephum hunc familiariter noverat, (Idem in expoſit. fid.) inter gradus Eccleſiaſticos eminentiſſimum eſſe dicit Sacerdotium, quod ait maximè conſtare ex ordine virginum; quod ſi non ex virginibus, certè ex Monachis ut ſit neceſſe eſt: ſi Monachi non ſufficiunt, addantur Continentes, vel à vivis, vel à defunctis uxoribus, ita tamen ut non niſi monogami ſint: Eum enim, qui ſecundis nuptijs deditus fuit, neque in Epiſcopatum, neq; in Presbyteratum, aut Diaconatum, vel Subdiaconatum fas eſt recipere. (Idem hæreſ. 48. n. 9.) Quid autem per monogamos intelligat, in ſuo panario explicat, ubi ait ex Apoſtolica lege Sacerdotium adminiſtrandum eſſe vel à Virginibus, vel monogamis, ijs videlicet, qui ſolutâ monogamiâ continentiâ profiteantur ἀπὸ μονογαμίας, ἐγκρατευομένων. (Hæreſ. 59. n. 4.) Alibi dum locum illum S. Pauli, unius uxoris virum, explicat, clariſſimè docet, Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum non modò bigamum eſſe non poſſe, ſed etiamſi uxor cuiuſpiam adhuc vivat, ipſo in ſacris ordinibus conſtituto non poſſe matrimonij uſibus eſſe deditum. Atque hoc ita obſervari in Eccleſia, ubi ſacri Canones vigent. Quod ſi in locis quibuſdam aliter fiat, ut Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri coniugibus miſceantur, id & contra Canones fieri, & nonniſi ex eiuſmodi Clericorum ignavia, & negligentia, vel quod tantus ſit populus Chriſtianus, ut Clerici continentes pro ſufficientia haberi nequeant. (1. Cor. 7.) Cum enim, inquit, Apoſtolus, etiam coniuges ad tempus iuſſerit abſtinere, ut orationi vacarent, Clericus qui orationi ſemper vacare debet, cōtinens utique nunquam non eſſe debet. (S. Ivo. ep. 213.) In quo conſentit S. Epiphanio B. Ivo Carnotenſis

tenſis Epiſcopus, demonſtrans non ſolum ex concilio Nicæno Clericos abſque uxoribus eſſe debere, verùm etiam ex ratione, quod videlicet Clericalis militia ad hoc ſit inſtituta, ut pſalmodiæ & hymnodiæ quotidianum offerat Sacrificium, quod quomodo fieri poſſit, ſi plus uxori debeat uxoratus Clericus placere. Addit deinde, fidelium oblationes non niſi caſtis eſſe relictas. Concil. Nicæn. can. 3.

S. Hieronymus contra Iovinianum non minus ſanè atq; alij Patres Sanctum Apoſtolum interpretatur dicentem, Epiſcopum eſſe debere unius uxoris virum. Matrimonia, inquit, etiam hodie multi Sacerdotes habent; ijdem tamen opera nuptiarum non exercent. Unius, ait, uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non habeat. quod repetit clarius in Apologia ad Pammachium dicens: Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici: Eiuſdem ſententiæ S. Ambroſius â Clericis caſtitatem non minus exigens, quàm terrenarum rerum abnegationem. S. Hieron. l. 1. contr. Iovinian. In fin. S. Ambr l. 1. Offic. cap. 50.

Poſt hos vixit Socrates hiſtoricus. Hic de re hac ita ſcribit: In Theſſalia ipſe novi eam invaluiſſe conſuetudinem, ut ibi qui Clericus ſit, ſi cum uxore, quam cum eſſet laicus ducebat, poſtquam Clericus eſt, dormierit, Clericatu abdicatus ſit: ſiquidem omnes inſigniores Clerici & Epiſcopi per Orientem â prioribus uxoribus ſe continent: quamvis ad id nulla coacti lege faciant, cum plures Epiſcopi ſint, qui tempore Epiſcopatus ex legitimis ſuis uxoribus filios generarint. Theſſaliæ autem conſuetudo retinetur etiam in Helladia ſeu Græcia, Theſſalonicæ, & in Macedonia. Socrat. lib. 5. hiſt. cap. 22.

Fateor Ioſippe, ſicut religioſa vita in Clero, ſic & caſtitas defecit maximè per Orientem. Niſi Clerici quidam cum uxoribus vixiſſent, S. Gregorius Naz. minimè diceret, ſuâ ætate Græcum vulgus maluiſſe Sacramenta ſuſcepiſſe â Sacerdotibus continentibus, quàm uxoratis. Nec S. Baſilius pœnam ſtatuiſſet in Presbyteros ex ignorantia matrimonium cōtrahentes, quemadmodum & S. Ambroſius arguit quoſdam incontinentes animarum paſtores in locis abditioribus liberos procreãtes, qui in ſui defenſionem producebant Levitas antiqui teſtamenti. Tranſgreſſoribus numquam caruit Eccleſia, maximè in hoc noſtro propoſito, ubi Græcia primas tenet, unde in concilio œcumenico ſexto Clerici in maioribus conſtituti & matrimonium S. Greg. Naz. orat. 40. S. Baſil. ep. 2. ad Amphiloch cap. 27. S. Ambr. ſup. Can. 3.

Can. 12. monium ineuntes non nisi ad modicum tempus suspenduntur ab accepto Ordine. Turpe est quod ibi dicitur: *Episcopi abstineant ab uxoribus, non quod illicitum sit coniungi, sed quod scandalosum.* Quod Socrates dixerat, nullâ lege Clericos adstringi ad continentiam, hoc tot Episcopi dicunt, coniungi non esse illicitum. Quid igitur iuxta Patres suprà memoratos constituerunt & fecerunt Apostoli? quid ipsorum discipuli? quid iussit concilium Nicænum? quid ipsa ratio præscribit Religiosis, ut de legibus Ecclesiasticis hinc inde in Concilijs taceam? S. Hieronymus disertis verbis ait: *Episcopus si deprehensus fuerit filios procreasse, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Sed ut dixi, defecit religiosa in Clericis vita, & consequenter ei annexa castitas, ut necesse fuerit Clericis cælibatum novis legibus ab Ecclesia inculcari, quas Græci subantes ad Venerem recipere postremis temporibus noluerunt.

S. Hieron. contr. Iov. sup.

Ecclesia Latina suos Clericos in sacris Ordinibus constitutos semper abstraxit à feminis, etiam postquam sæcularis vita in Clerum irrepsit. Concilium Agathense ante undecim sæcula celebratum iussit punire Presbyteros, & Diaconos si reverterentur ad uxores pristinas. Eâdem mente Patres in Concilio Antisiodorensi A: D. 578. vetant Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos in eodem lecto dormire cum pristinis coniugibus. Concilium Toletanum VIII. ad perpetuam cogit pœnitentiam in cœnobio peragendam Subdiaconos, si suas Subdiaconissas secum servent. Et quid me Canones scribendo fatigo? si plures cupis lege Distinctiones Juris Canonici, & luce clarius videbis Patres nostros à Clericis maioribus semper exegisse votum castitatis. Quod ne fortè impellentibus tentationibus carnis frangerent, omnem occasionem à Clericis summâ diligentiâ amoverunt. Hinc S. Ambrosius junioribus Clericis prohibet visitare domos viduarum & virginum, nisi comite seniore, vel etiam ipso Episcopo, cum eiusmodi visitationes nil fermè aliud generent, quàm suspiciones, scandala, lapsus, aut ut minimùm tentationes. *Abscondat quis ignem in sinu suo & non comburetur?* Quod si dicas ait S. Basilius, te ex his confabulationibus nil sentire in carne tua, tum vel expers es naturæ viri, vel ita passionibus & cupiditatibus obrutus, ut instar phrenetici morbum haud sentias. Porro esto te nil sentire in carne tua, unde autem scis nec illam ex tuo accessu tentari? Rectè proin docet S. Isidorus Pelusi-

A. D. 506. can. 9.

Can. 21. A. D. 653. can. 5.

Dist. 27. 28. 31. 32.

S. Ambr. l. 1. Offic. c. 20.

Proverb. 6.

S. Basil. in c6. stit. mon. c. 3.

Digitized by Google

plurisota Clericos debere à congressu feminarum abstinere, & quidem magis quàm Anachoretas; ab his enim tam facilè scandala non oriuntur. Si tamen, inquit, cùm illis loquendum est, id fiat oculis humi deiectis, & cùm socio teste, ut præscribit Concilium Carthaginiense. S. Isid. lib. 2. epp. 284. Carthag. II. A. D. 397. can. 25.

Et quoniam non ignotum erat Episcopis, clericos extra vitam communem viventes non facilè posse carere ministerio feminarum; numquam tamen eis concedere voluerunt extraneas, quibus gigni posset suspicio. Per extraneas autem intellexerunt omnes, quæ non esset aut mater, aut soror, aut avia, aut amita, vel neptis. Ita Concilium Arvernense decernit, ne extranea mulier, vel ancilla pro servitio ingrediatur cubiculum, aut cellarium Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi. A concilio Toletano truduntur in monasterium Clerici, qui nolint extraneas dimittere. Easdem prohibet concilium Ilerdense, Toletanum II. Turonense II. Concilium Oecumenicum VI. Cabilonense, Rhemense, in cuius statutis dicitur: *Clerici luceant sicut stellæ, & perpetuæ claritatis in firmamento Ecclesiæ. Non sint ebrij, nugaces, sæcularibus immixti, nec mulieres alloquantur aut domi retineant.* Cōc. Arvern. A. D. 541. can. 16. Turon. II. A. D. 567. can. 11. London. I. A. D. 1125. Can. 16. Tolet. VIII. can. 5. Ilerd. cap 15. Tolet. cap. 3. Turō. sup. Oecum. 1. 5. Cabil. c. 3. Rhē. A. D. 813. c. 22. Statuta synod. Rhem.

Quid, amabò dixisset hæc synodus de concubinarijs Clericis, quorum summi Pontifices in jure nec Missam volunt audiri? Omnes feminæ à Rhemensibus Clericis ablegantur etiam non extraneæ. Nec id novum est: Fecit id antea concilium Aurelianense, & Braccarense; fecit id S. Augustinus, intra cuius domum feminarum nulla umquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua DEO serviens multo tempore usque in diem obitus sui Præposita ancillarum DEI vixit. Sed neque patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter DEO serviebant: quas personas Sanctorum Episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit suspicio; tamen quoniam illæ personæ sine alijs necessarijs, secumque manentibus feminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ aforis intrarent, de ijs posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, & illos qui cum Episcopo vel quolibet Clerico fortè manerent, ex illis omnibus feminarum personis unà commorantibus, aut adventantibus, tentationibus humanis posse perire, aut certè malis hominum suspicionibus pessimè c. nullus. & c. præter. dist 32. Aurel. III. A. D. 538. cap. 4. Et V. A. D. 549. can. 3. Braccar. III. A. D. 675. c. 4. S. Aug. vita Possid. c. 26.

Digitized by Google

ſimè diffamari: ob hoc ergò dicebat, *numquam debere feminas cum ſervis Dei etiam caſtiſſimis in una domo manere.*

Turon. II. can. 14.

Propter quod nimium molliter concilium Turonenſe concessit Epiſcopo gyneceium, ſi Epiſcopam haberet. Longè melius concilium Aurelianenſe ſancivit, ne Clerici aut Epiſcopi etiam propinquas ſecum haberent; cum quarum ancillis & pediſſequis non rarò illi delinquebant. Synodus autem Foroiulienſis idcircò conſanguineas ab ædibus Presbyterorum excludit, quòd earum velamento externæ aditum ſibi quærant: unde ſi quis Clericus forſan egenas cognatas habeat, concedit quidem concilium, ut ijs benefaciant, ſic tamen ut in alijs domibus habitent. Horrendum ſanè eſt quod habetur in ſacris comitijs Moguntiæ habitis A. D. 888. in quibus penitus ab ædibus Clericorum omnes feminæ eliminantur, etiam ſorores, eò quòd cum his quoque filios procrearint. Quare moti Angli Epiſcopi decreverunt, ut Canonici Archidiaconi, Presbyteri, Decani, juramento promitterent, ſe nullas ſecum mulieres habituros. Si quis jurare detrectabat, hoc ipſo officium aut gradum amittebat. Tantam ſollicitudinem continentiæ Clericorum Eccleſia habere debuit ab eo potiſſimum tempore, ex quo Clerus vitam communem ac Religioſam deſeruit. In omnibus penè Eccleſiaſticis Conventibus notatam reperies eorum incontinentiam. In promptu cauſa tot lapſuum eſt: *Non vitatur occaſio.* Omnia vitia ut trucidentur, requirunt congreſſum: ſola libido vincitur fugâ.

Aurel. III. ſup. — A. D. 791. c. 4. — Cap. 10. — Conc. Londō. A. D. 1108.

EPISTOLA CXXXIX.

Qui, & cur quidam Clerici nuncupati ſint Canonici.



NOn eſt recens commentum, ut quidam de Clero dicantur *Canonici,* olim omnes Clerici hoc nomine gaudebant, maximè cùm vita cōmunis adhuc inter ipſos vigeret. De Audio Hæreſiarcha S. Epiphanius ait: Si quem vidit ex Clero, ſive Epiſcopum, ſive Presbyterum, ſive alium quempiam τῶ κανόνος de Canone, ſeu Canonicum. S. Baſilius B. Dionyſium appellat *Canonicum.* Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Circumſpice,* ait, *Canonicorum præſentiam.* Si cauſam vocabuli quæris, te noſſe oportet Canonem nil aliud, quàm

S. Epiph. hæreſ. 70. n. 1. S. Baſil. ep. 1. can. ad Amphiloch. S. Cyrill. in procatecheſi.

Regulam

Digitized by Google

Regulam ſignificare; & Canonicum, eum, qui ex Regula vivit, quem inde communiter dicunt Regularem. Vnde quia Clerici juxta certas Leges & Canones ab Eccleſia præſcriptos vivebant, *Canonici* dicti ſunt, illi potiſsimum, qui Canones Eccleſiæ primitivæ obſervabant: nam eos, qui melioribus Canonibus relictis nonniſi laxiores arripiebant viventes ſæculariter, nec amplius in communi, quomodo juxta antiquiſsimum ſtylum nominabo *Canonicos?* Sint tamen; verùm, ut dixi, ſecundum Regulas & Canones laxatos: non enim nego id omne dici Canonicũ poſſe, quod conformat ſe ſuæ Regulæ, ſic dicimus *Canonica electio, canonica profeßio, & inſtitutio, & ἀκανονίστως* S. Baſilio, quod repugnat Eccleſiæ Regulis; ſicut canonικῶς, quod ijs fit conformiter. Vnde S. Gregorius ad Epiſcopum Felicem ſcribit, ut Diaconi, & religioſæ perſonæ vivant diſtrictè & canonicè. Quid quod Eccleſiæ decreta & ſanctiones non ſemel dicuntur *Canonica Regula!* Sic præcipitur in Concilio Tolet. XI. ut omnes qui mancipantur Ordinibus, Canonicis Regulis, nempe ſynodalibus conſtitutionibus teneantur adſtricti. Et Gregorius III. per epiſtolam S. Bonifacio concedit, ut ſecundum *Regulam Canonicam* Epiſcopos in Germania ordinet. Concilium quoque Cabilonenſe vult ut ſervetur *Regula Canonica*, quà nullus Patronus abſque conſenſu Epiſcopi cuiquam Presbytero committat Eccleſiam. Tandem Clerus Leodienſis expoſtulans cum *Papa* Paſchale II. Quid, inquit, dignum morte aut excommunicatione fecimus contra Regulam Canonicam Eccleſiæ? Quamobrem rectè vocari poteſt Canonicum, quod ad ſuas leges fit, maximè in rebus Eccleſiaſticis, in quibus vox hæc præcipuè invaluit, ſic ut etiam S. Cæſarij *Regula* dicatur à Gregorio Turon. *Canonica*, atque id fieri *ex Ordine Canonico*, quod in ſacris ex diſpoſitione fit Epiſcoporum, ut habes in concilio Pariſienſi.

S. Baſil. epiſt. 61. & can. 10. ſup.

c. quoniam 12. q. 1.

A. D. 675. can. 10. & Emerit Æra. 704.

Epiſt. 5.

Cap. 41.

Greg. Turon. lib. 7. hiſt. Franc. cap. 39.

Nihilominus cùm ad Clerum venimus, eos per excellentiam olim ſemper nominavit Canonicos Eccleſiæ uſus, qui in congregationibus vivebant religioſè, non tamen monachicè. Habetur apud Burchardum & Ivonem Canon ex concilio quodam Toletano, qui vult ut Clerici, qui ſe fingunt habitu & nomine Monachos eſſe, & non ſunt, omnimodis corrigantur, atque emendentur, ut vel veri Monachi ſint, vel Canonici. In concilio Arelat. præcipitur Epiſcopis, ut provideãt qualiter Canonici, nec non & Monachi vivere debeant. Et ne plures ſuſcipiantur

A. D. 829. c. 7.

Burchard. l. 8. c. 7.

Ivo p. 7. c. 31.

A. D. 813. c. 6. & 8.

Digitized by Google

in monasterio Canonicorum, atque Monachorum, seu etiam puellarum, quàm ratio permittit. In Turon III. dicitur: Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopijs conversantur. Et: simili modo & Abbates monasteriorum sollicitè suis provideant Canonicis. Nam ut hoc etiam non ignores, antequam sæcularitas in Canonicos irreperet, Clerici aliqui vivebant religiosè vel cum suis Episcopis, & vocabantur *Canonici Cathedrales;* vel extra Episcopium in monasterijs aut sub Abbate aut Præposito, vel etiam Presbytero, & dicebantur *Canonici monasteriales* aut *Cœnobitales,* ut habes in vita S. Marcellini Traiectensis. Amborum institutum appellabatur *vita canonica, Ordo canonicus, institutio, professio canonica &c.* Convictus ipsorum, *Congregatio canonica;* & monasteria, *Canonia,* ut reperies in epistolis Gregorij VII. & appendice concilij Lateranensis sub Alex: III. Tam Cathedrales quàm monasteriales eiusdem Ordinis erant, id quod ipsi fatebantur: nam cum Herimanus Bambergensis Religiosos Clericos de monasterio S. Iacobi aliquando ejecisset, id non modò expulsi, sed etiam Clerici sive Canonici maioris Ecclesiæ, nempe Cathedrales, ægrè ferentes quod non sine magna sui Ordinis iniuria id egisset, recurrerunt ad Papam, ut ait Schafnaburgensis. Monasteriales tamen plerumque, ultimis præsertim temporibus, vivebant sub disciplina sanctiori atque arctiori. Vnde Hadrianus in theatro suo ait: Matisconæ in Gallia præter Canonicos Cathedrales fuisse alios in Ecclesia D. Stephani instituti sanctioris, quos Regulares vocant. Inter varias quoq; epistolas apud Gretserum habetur, fratrem quemdam Canonicum Traiectensem apud S. Martinum propriam præbendam possedisse inter Cathedrales Canonicos, attamen illinc migrasse clam in Episcopatum Trevirensem, ut ibi in monasterio quodam Regulam S. Augustini sub vita arctiore profiteretur. Triennio abhinc pœnitudine ductus propter monasterij paupertatem, cibi & vestitus penuriam, denique corporis quoque infirmitatem remeavit Trajectum, præbendamque suam repetijt. Itaque Canonici Traiectenses trium vicinorum Episcopatuum, scilicet Monasterienses, Leodienses, & Mindenses Canonicos consuluerunt, quid facto opus esset? Qui unanimiter responderunt, dictum fratrem fugitivum non esse, cùm ab ijs discesserit intentione vitæ arctioris: Transfugam autem idcirco esse, quod amplexus Ordinem arctiorem denuò respiciens retrò profugerit unde exierat.

Cap. 23. & 24.

In conc. Arelat. & Turon. sup. Aquisgr. c. 115. & 121. Greg. ep. 27. Append. p. 50. cap. 29.

Lambert. Schaffn. A.D. 1075.

Apud Binium In conc. Matiscon. I.

Digitized by Google

Hic noli mirari Iosippe quòd hi Canonici institutum Regularium censeant Ordinem arctiorem, diversumque à suo: Nam ut taceam, quod sic dicatur Ordo Lateranensis, Cluniacensis, cùm nonnisi reformationes fuerint, Cathedrales dictarum Ecclesiarum illis temporibus absque ullo penitus Ordine vivebant. Quis enim Ordo, ubi præbendarum proprietas, carnis voluptas, & vita quædam sæcularis est? Legantur illæ epistolæ, & invenietur præter nomen, & habitum, & habitationem communem nihil Religionis fuisse apud illos Canonicos. Ex adverso apud Monasteriales pulchra facies vitæ religiosæ erat, cuius impatiens frater ille abijt retrorsum.

Dolendum est Canonicum Ordinem in cathedralibus Ecclesijs ad tantam tandem pervenisse ruinam, ut relictâ paulatim vitâ religiosâ mirabili mutatione sæcularitatem induerit. Quod nuper in Clericis tibi ostendi, ut nominari inceperint sæculares, hoc iam vides in Canonicis ut nova conjunctione itidem sæculares dicantur. *Quo pacto,* inquit S. Damianus, *Canonicus nisi sit Regularis,* hoc est Religiosus! Omitto recensere Ecclesias cathedrales, quæ communem ac religiosam vitam agebant in longa tempora per regna Italiæ, Galliæ, Hispaniarum, Siciliæ, Daniæ, Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Ægypti, per Africam, Orientem & Indiam, quas ordine nominant Augustinus Fuinensis, Trullus & Pennotus, ad solam te duco Germaniam nostram. In hac reperio Ecclesias cathedrales ultra 40. quæ olim vivebant vitam Apostolicam. Magdeburgensis primas tenet, quam Ionnnes de Nigravalle Regularem fuisse dicit. Sequitur Moguntina, quam Bruschius scribit ad sæcularitatem defecisse circa tempora Willigisi primi Archiepiscopi, qui obijt A. D. 1011. sed fallitur: nam Marianus Scotus cathedralem Canonicorum habitationem adhuc A. D. 1081. vocat Episcopale monasterium, & inter epistolas m. SS. S. Hildegardis, quæ post Willigisum floruit, reperiuntur epistolæ Canonicorum Mogunt. ad eandem sub hac epigraphe, *Conventus fratrum de domo &c. Conventus fratrum de sancto Martino.* Denique ex epistola II. apud Gretserum suprà allegatum manifestè constat illius Ecclesiæ metropolitanæ Canonicos adhuc fuisse Religiosos tempore Henrici V. Friderici F. qui in Imperatorem electus est A. D. 1190. Quo eodem tempore rexit sedem Coloniensem Philippus Religionis, divinique cultus observantissimus, sub quo Canonici sui adhuc religiosè vivebant

Petr. Damian. lib. 5. epp. 9.

Aug. Ticin. in propugnac. Ord. cān. p. 3. cap. 5. Trull. de cān. regg. l. 1. c. 30. Pennot. lib. 2. de ijsdem. In Cathalogo. In Episcopis Spirens. in Balderico. In hist. Mogunt. Serar. l. 1. c. 18. & l. 5. in Ioan. II.

Petr. Merssæus de Phil. 42. Episcopo.

Digitized by Google

Molan. l. 1. de cann. c. 14.

bant, ut patet ex litteris ipſorum ad Canonicos Trajectenſes, quas affert Molanus, unde nec credo ſub tam religioſo Archiepiſcopo frena vitæ ſpiritualis laxata fuiſſe.

Numero 70. Theodoricus 71. Trith: chron. Hirſaug. A.D. 977.

Sequitur metropolitana Eccleſia Trevirenſis, quæ cùm in canonico inſtituto vacillare cœpiſſet, Henricus Archiepiſcopus Reformator egregius ſuos Canonicos ad priſtinam diſciplinam ſtrenuè excitavit: verùm nactus malum ſucceſſorem; ſub quo Religio iterum intepuit, & Canonici remiſsiores facti, ſe rebus & negocijs ſæcularibus immiſcere cœperunt. Non tamen ideò ſtatim abjectâ regulari vitâ, ut vult Trithemius, deſierunt eſſe Regulares: nam in epiſtolis apud Gretſerum reperio, eos adhuc ſub Paſchale II. qui obijt A. D. 1118. vitam duxiſſe communem.

Hundius in Conrado l. 1. metropol.

Salisburgi Canonici Apoſtolicam vitam abjecerunt ſub Matthæo Langio, qui electus fuit A. D. 1519. quod equidem de tanto Antiſtite & Cardinale ſatis mirari non poſſum. Mirum quod in hunc uſque diem feſtum S. Auguſtini in pallio celebrent Archiepiſcopi. Ei ſubſunt immediatè Epiſcopi Chiemenſis, Gurcenſis, Seccovienſis & Lavantinus, quorum Eccleſiæ cùm ſint Cathedrales, & Canonici Regulares; Epiſcopi tamen ipſi è ſæcularibus Canonicis aſſumuntur.

Ioan. de Nigravalle. Choppin. in monaſt. lib. 1. tit. 3.

Nimis prolixus forem, ſi ita de reliquis Germaniæ cathedralibus Eccleſijs diſſerere vellem. Ergo breviter religiosè communem vitam duxerunt Canonici Aiehſtadienſes apud Gretſer: l. 1. obſervat. in vitam S. Wilibaldi c. 17. Aquiſgranenſes & Argentinenſes ex epiſtolis ejuſdem Gretſeri, Molano in natalibus Belgij 28. Ianuarij. Ioanne, & Pennoto, qui dum ait Argentinenſes A. D. 830. ad ſæcularem vitam tranſijſſe, teſte Renato Choppino, fallitur; quia ex dictis epiſtolis notum eſt, & Aquenſes & Argentinenſes ſub Paſchale II. qui itidem Canonicus Regularis fuerat, adhuc vixiſſe regulariter. Sequuntur Baſileenſes, quos auctor Annalium Colmarienſium adhuc A. D. 1258. ex eo innuit fuiſſe Religioſos, quod ipſorum templum cathedrale vocat *Monaſterium.* De Bambergenſibus conſtat ex Lamberto A.D. 1075. de Brandeburgenſibus ex procœmio libri conſtit. Bened: XII. & Trullo de Conſtantienſibus ex ſynodo Mogunt: Sub Sifrido Archiepiſcopo A. D. 1071. quam in operibus Gretſeri reperies, in qua Canonici *Fratres* appellantur. De Friſingenſibus ex Othone Friſing. l. 5. Chrõ. c. 24. Hamburgenſes ab initio Regulares, id eſt Religioſos fuiſſe do-

cet

Digitized by Google

cet Albert. Kranz. in sua metropoli lib. 4. c. 1. Nec minus Leodienses ex epistolis Gretseri, & alijs apud Pennotum. Atq; illæ ipsæ epistolæ sub Paschale II. scriptæ inter Regulares numerant Mindenses, & Monasterienses. Metensibus Regulam dedit S. Godegrandus Episcopus circa A. D. 765. quam abjecerunt sub Walone cũ vita religiosa, quorum pessimum exemplum imitati sunt Nemetenses, seu Spirenses sub Balderico Episcopo ut Bruschius refert. Sicut & Paderbornenses, quos idem auctor ait, observantiam regularem mutasse cupiditate vitæ liberioris in sæcularium Canonicorum statum sub Episcopo Barnardo, qui fuit electus A. D. 1225. Passavienses quoque regulariter olim vixisse auctor est Ioan: de Nrigravalle. De Ratisbonensibus aliàs tibi scripsi, quomodo ex ignavia vitæ religiosæ à S. Wolfgango in pristinum fervorem excitati sint. Virdunenses duxisse verè vitam Apostolicam sub tribus votis probat contra Molanum Pennotus. Restant Wormatienses, quos à religiosa vita ad profanam migrasse circa millesimum Christi annum Bruschius in Balderico Spirensi commemorat.

Ios. Mauburn. in venator. cann. regg. l. 2. p. 5. c. 30.

Ex Belgis habemus Atrebatenses, Cameracenses, Daventrienses, Gröningenses, Harlemenses, Insulenses, Iprenses, Mechlinienses, Morinenses, Trajectenses, Tungrenses & Vltrajectenses, apud Pennot. ex classicis auctoribus.

Pennot. lib. 2. cap. 38.

Præter hos Episcopatus, ad Germaniam de jure pertinentes restant adhuc viginti tres, quos in Attlante minori Gerardi Mercatoris invenies. De ijs in specie non possum proferre sententiam, an & quando, & quousque religiosè vixerint: attamen existimo de his omnibus verum esse, quod ait Trithemius de maiori Ecclesia Trevirensi. In hac, inquit, hoc tempore (nempe A. D. 967.) sicut in ceteris antiquis Ecclesijs Canonici secundum Regulam eis præscriptam in communi vivebant, unam habentes mensam, unam bursam, unumque commune Dormitorium, sicut hodie inter nos juxta normam nobis propositam conversamur. Quod idem Bruschius in Theodorico Moguntino asserit. Canonici, inquit, olim in claustris (ita vocabantur Monasteria seu Collegia cathedralium Canonicorum) simul omnes habitabant, in uno Dormitorio dormiebant, & in uno Refectorio reficiebantur, quo facilius possent ad Horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & de conversatione sua admoneri, & doceri. *Fratres gaudebant appellari non*

Trith sup. A. D. 967.

domini.

domini. Hæc docet Turonense Concilium c. 22. Aquisgranense c. 143.

Ita est Josippe, ita est. Cùm enim à religiosis Germaniæ Apostolis plerique Episcopatus fundati sint, quis dicat eos in Collegas & Clericos Cardinales assumpsisse homines sæculares, & neophytos? Quàm firmis argumentis tibi opus esset mihi persuadere S. Bonifacium ad Ecclesiam cathedralem Herbipolensem promovisse Canonicos sæculares, cùm ad reliquas omnes, quas erexit assumpserit Regulares, etiam Monachos nigros adhibens quando deerant apti Clerici? Unde non ignotum est historiarum peritis nomen *nigrorum Canonicorum*, ad distinctionem *alborum*, hoc est *Clericorum religiosorum.* Augustæ Præpositura est S. Gregorij, fundata â Waltero Episcopo 1135. Constans fama est eò positos esse Canonicos cathedrales, qui nolebant consentire cum reliquis in vitam sæcularem. Idem de Nussiensi Canonia tradit Molanus, quod eam ædificarint pro se Canonici Colonienses, qui cum reliquis statum religiosum mutare recusabant. Sanctitas passim cedere debebat, ubi impia libertas cum amica proprietate semel pedem figere cœpit. De tot Ecclesijs & Canonicis cathedralibus quid hodie superest præter inane nomen? Mirum, ni & hoc abjecerunt. Olim ex Episcopis regularibus passim prodibant Canonici sancti: hodie si de bono Canonico sæculari fama sanctitatis aliqua mussitat, præ summa admiratione à nonnullis exclamatur, & ad valvas omnino adscribitur, Canonicus, & sanctus! Quod absit tamen, ut de omnibus Canonicorum Collegijs sentiam ego, sciens in pluribus Provincijs & Canonijs sæcularibus splendida Ecclesiæ fulcra nostro tempore consistere.

Ex concil. London. A.D. 1100. cap. ult.

Molan l. 1. de cann. cap. 14.

EPISTOLA CXL.

De Regula Canonicorum antiquorum.



Mihi non admodum placet affectus quorundam in suum Ordinem religiosum. Vestigant & protrudunt quidquid in eius laudem facere vel levissimè videtur absque debita pensiculatione. Sum & ego per Dei gratiam Canonicus Regularis, & magni facio hunc antiquissimum & Apostolicum vivendi modum: falsitatibus tamen non delector. *Omnes*, inquiunt, *tam cathedrales,*

Digitized by Google

drales quàm Monasteriales Canonici, qui à temporibus S. Augustini regulariter vixerunt, huius sancti Patris Regulam, quam hodie tenemus, observarunt. Atq; hanc, non aliam intelligi, cum Canonicæ, vel Sacerdotalis Regulæ fit in concilijs & scriptoribus mẽtio. Iosippe, confiteor, omnes Canonicos Religiosos à temporibus non solùm S. Augustini, verùm etiam Apostolorum eiusdem fuisse Ordinis, & Regulæ, & quidem si ita placet audire, Canonicæ. Eam S. Augustinus non à se, sed ab Apostolis accepit: Eam ostendit auditoribus suis in sermone de cõmuni vita Clericorum: Eam describit Lucas in Actibus Apostolorum, & Gratiani decretum, maximè in causa 12. q. 1. ubi Clericis vita communis præscribitur. Ex his Canonibus *Regula Canonica* dicitur, ut nuper ostendi, & nos *Canonici. Ideò*, inquit Ivo, *Canonici appellati estis, quod Canonicas Regulas vos velle observare ceteris arctius devovistis*: nam & reliquus Clerus nõ Religiosus observat suos Canones, sed laxos & laxè; nos strictos, etiam qui ad comunem vitam pertinẽt, & strictè, unde propriè Canonici. In omnibus, inquit, concilium Moguntinum, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta SS. PP. & nihil sine licentia Episcopi sui vel Magistri agere præsumant, in unoquoque Episcopatu: Et ut simul manducent, & dormiant, & in suo claustro maneant, & singulis diebus manè primò ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam *secundum Canones* suis Magistris exhibeãt.

S. Aug. serm. 2 de comm. vita Cleric. Act. 4.

Sup. ep 139. Ivo epist. 69.

A. D. 813. c. 9.

Si hi Canonici nostram S. Augustini Regulam habuerunt, quid ni dicitur, ut secundum illam obediant suis Magistris? Verum est, & hæc *Canonica Regula* nominatur, sed cum addito, *S. Augustini*, quam lego in tomo eius operum primo, & inter epistolas invenio. Ita Robertus loquitur de S. Norberto, quod 40. Clericos cum multis laicis docuerit facere professionem secundum Apostolicam institutionem, & secundum *Canonicam Regulam S. Augustini.* At hæc Regula, non est illa generalis Canonica, nec inter omnes Canonicos omni tempore fuit inventa, etiam post Augustinum, sicut illa, quæ nunquam non fuit à prima Clericorum Regularium institutione saltem secundum præcipua. A. D. 813. celebratum est concilium Rhemense, in quo ad reformationem Canonici Ordinis non S. Augustini

S. Aug 109. Robert. de monte in chron. A. D. 1123.

Cap. 8. & 9.

Digitized by Google

Regula lecta est, sicut pro Benedictinis S. Benedicti, sed *Sancti Canones*, ut quisque Canonicus legem vitamque suam non ignoraret, quod omnimodis, aiunt Patres, expedit, sicut in decretali legitur Innocentij. Sed quia perdifficile erat cuique omnes Canones nosse, idcirco Ludovicus Pius Imperator convocatis Aquisgranum Episcopis per Imperium consilium dedit, ut sacros Canones ad vitam Canonicam pertinentes in compendium redigerent, quo consuleretur & labenti memoriæ, & multitudini librorum. Imperatoris verba sunt: Ut quia Canonicorum vita sparsim in sacris Canonibus, & in SS. Patrum dictis erat indita, propter simplices quosque, minusque capaces, aliquam ex eisdem sacris Canonibus, & SS. Patrum dictis institutionis formam, pari voto, parique consensu Episcopi excerperent, per quã patenter Prælatorũ & subditorũ vita mõstraretur, quatenus Canonica omnes qui censentur professione, per viam propositi sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia devotius unanimes atque concordes existerent. Placuit supra modum consilium Regis, cœperuntque excerpere ex sacris Canonibus quidquid ad rem videbatur facere composito libello per 145. capita, qui postmodum dictus est *Excerpta Patrum*, & non modò à Cathedralibus, verùm etiam à Monasterialibus Canonicis tamquam summus thesaurus in pretio est habitus, unde in vita Gerhohi, qui fuit Canonicus in cœnobio Raitenbuech, dicitur. *Nec satiabatur illis diebus dulcedine illa mirabili, quam inveniebat legendo in Excerpto de dictis Sanctorum, de vita Canonica, quo & eatenus pro Regula usi fuerant fratres sui.*

A. D. 816.

Apud Iacob Gretser.

Cap. 15.

Ad hæc Excerpta ablegati sunt Canonici in altero concilio Aquisgranensi A. D. 836. quo dicitur: *Canonici secundum id, quod continetur in libro, qui est de eorum vita collectus, religiose conversentur.* Si Augustini Regulam habuerunt, cur non ad eam sunt remissi? Post undecim annos coacto Moguntiam concilio Rabanus pulchrè admodum docuit, quo pacto vivere debeant Canonici, sed nec verbulo Regulam S. Augustini citavit. Quamobrẽ cùm in altero Moguntiaco concilio dicitur Episcopis, ut visitent monasteria Canonicorum, utrum religiosè circa clausuram disposita sint, sicut *in sancta Regula* præscribitur, per sanctam Regulam nil aliud quàm Canones intelliguntur: cum hac de re nihil in S. Augustini contineatur, sed in Canonibus, ex quibus postmodum Excerpta collecta sunt, in quorum

A. D. 847. c. 13.

A. D. 813. c. 20.

Digitized by Google

quorum c. 117. de claustri & clausuræ dispositione decernitur.

Porrò sicut catalogus Canonicorum Cathedralium in Calendarijs hinc inde demonstrat eos quondam vitam duxisse communem: ita ijdem catalogi insinuant non obscurè eos à principio non observasse Regulam S. Augustini. Officium *Scholastici, Custodis, Cellarij* vitam socialem indicat, sicut & dignitas *Præpositi, Decani, & Senioris*: sed quod ibi absit *Presbyter*, de quo toties in Regula mentio fit, quid aliud innuit, quàm priscos Canonicos eam non habuisse, alioquin præcipuam dignitatem ex eadem non omisissent. Si dicant per *Presbyterum* intelligi *Episcopum*, redarguit eos Regula feminarum, in qua manifestè Episcopus à Presbytero distinguitur. Breviter ergò Iosippe, Canonicorum Regula prima & antiquissima ac perpetua fuerunt Canones ex sacra scriptura, documentis & constitutionibus SS. Patrum collecti, præter quos si etiam Regulam S. Augustini assumpserunt, tanto melius fecerunt, sive sederint cum Episcopis in Ecclesijs Cathedralibus, sive in monasterijs sub Presbyteris, Abbatibus, Præpositis aut Prioribus.

EPISTOLA CXLI.

Cur quidam Canonici dicti sint Regulares.



NAsutuli quidam putant eos inaniter garrire, qui nos dicunt *Canonicos Regulares*, cùm Græcè idem sit *Canonicus*, quod Latinè *Regularis*. Si ita placet, arguant hi vocabularij etiam summos Pontifices & Concilia, quòd Ecclesiæ sanctiones ac decreta appellent *Regulam canonicam*, quod secundum ipsos esset *Regula regularis*. Grammaticales hæ nugæ sunt: nam sicut suam emphasin habet vox *Canonica*, dum dicimus *Regula canonica*, sic suam quoq; habet vox *Regularis*, dum *Canonicos Regulares* nominamus. Ecce mysterium tibi dico: cum adhuc Canonici maximè Cathedrales, sub solis Canonibus Ecclesiasticis saltem tolerabiliter viverent, *Canonici Regularis* nomenclatura nondum nota erat. Postquam verò Canones cœperunt segnius observari, & vita religiosa Canonica, in Ecclesijs Cathedralibus potissimum, ad mores profanos declinare, inventi sunt inter eos, qui forti animo maluerunt perseverare in vita verè Apostolica, quàm cum socijs aut remissius, aut omnino tandem sæ-

Ludov. vives ad l. 1. S. Aug. de Civit. c. 15.

Sup. ep. 139.

Epist. 140.

 culariter

culariter vivere. Morum corruptioni magnum ostium aperuit absentia Episcoporum, qui propter officia externa plus commorabantur in aulis, quàm Episcopijs. Accedebant perpetua Ecclesiæ schismata, aliæq; turbæ cum detestabili Simonia ac luxu vitæ, ex quibus seminibus ipse intelligis nonnisi pessimos fructus nasci solere. Nihil tamen vitæ religiosæ maiorem cladem inferebat, quàm vitium proprietatis; quod magis ac magis succrescens invasit tandem & corrupit ipsa Religionis vitalia in compluribus Ecclesijs Cathedralibus.

Miror in ipsis Patrum excerptis, adeoque in Regula Canonicorum verba hæc, quæ non leve scandalum minus attentè legentibus generare possunt. *Quamquam Canonicis, quia in sacris Canonibus illis probibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & iustitia habere, quod Monachis, qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inbibitum est; tamen in cavendis vitijs, & amplectendis virtutibus eorum & Monachorum distare non debet vita. Monachi namq; qui Evangelicum præceptum sequentes distractis atq; renuntiatis patrimonijs sua Christo dedère, meritò de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale, ut quia tanto mentis desiderio cælestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea quæ contempserunt minimè redire qualibet necessitatis causa compellantur. Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosius Ecclesiæ sumptibus, quàm Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licitè utuntur rebus, indigere.* 1. Cor. 7. *Vnusquisq; enim, ut ait Apostolus, proprium donum habet ex DEO.*

En mi Iosippe, quo tempore maximè reformati sunt Canonici, poterant *dare & accipere, proprias res habere* etiam privatim, & patrimonijs uti. Et nisi scriptum esset *cum humilitate*, hoc est, cum humili mentis resignatione, verè non possem eos censere Religiosos. Quam restrictionis particulam cum his diebus non adverteret quidam Præpositus Bavariæ, pertinacissimè asseruit, totum Ordinem canonicum tunc temporis intercidisse, in ejusque locum surrexisse eum quem vocant Canonicorum Regularium, ad quem etiam suum monasterium, ut opinabatur, reformavit. Quasi verò illo ipso tempore Ordo Apostolicus non etiam extra Cathedrales Ecclesias in cœnobijs fuerit, & quidem in florenti statu, ut ostendi cp. 125. &

quidem

Digitized by Google

quidem ex hoc ipſo concilio, aut nullus Canonicus etiam cathedralis extra Imperij fines firmus in propoſito ſteterit: nam etiam hoc te noſſe oportet, Ludovicum Imperatorem Aquiſgranenſe Concilium (ubi hæc ſcripta ſunt) pro ſuis ſolùm provincijs, & potiſſimum pro reformatione Canonicorum Cathedralium indixiſſe. Ut ut tamen ſit, per illam nimis liberalem conceſſionem Epiſcoporum, & minus integram Monachos inter & Canonicos diſtinctionem non decrevit proprietatis ſerpens contagio, ſed potius paulatim vires accepit, dum ceſſante humili reſignatione introivit in canonicam profeſſionem vita ſæcularis in qua non ſolùm patrimonia, ſed & bona eccleſiaſtica poſſidentur, ut aliæ res propriæ. Quod cùm viderent Canonicorum cathedralium multi ſpiritu Dei inflammati redierunt ad ſemitas antiquas, apprehendentes inſtitutum vitæ arctioris, in qua juxta priſcos Canones neque res Eccleſiæ, neque aliæ poſſidentur ut propriæ, vitam ſuam inſtituentes vel ipſi inter ſe ſimul, vel cum canonicis Monaſterialibus acceptâ paulatim Regulâ S. Auguſtini, in qua ex prima vita Apoſtolica expreſsè dicitur, *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia: ſic enim legitis in Actibus Apoſtolorum.*

Ejuſmodi autem melioris notæ Canonicos illis iam temporibus extitiſſe excerpta ipſa ſignificant, ut taceam quæ ex Gerhoho Reicherſpergenſi alibi commemoravi: Dicunt enim: *Porrò ſi tales fuerint, qui nec ſuas, nec Eccleſiæ velint habere poſſeſſiones, horum neceſſitatibus providentiſſima gubernatione de facultatibus Eccleſiæ debent ſubvenire Prælati, attendentes illud Proſperi, Qui habet aliquid Eccleſiæ, cum omnibus nihil habentibus commune habeat.* Erat ergo, ut vides, ſchiſma inter Canonicos in Eccleſijs Cathedralibus per Imperium, dum alij laxius, alij ſtrictius vivebant; quæ tamen voluntatum diverſitas nondum uſque eò procedebat, ut Fraternitatem ſtatim dirimeret, aut Contubernium, ſed manebant principiò conjuncti quoad una pars in alteram invaleſceret. Et verò ſubinde fiebat, ut ſtrictiores in ſententiam & ſimilem converſationem pertraherent laxiores; plerumque tamen contrarium accidebat, ſic ut meliores paulatim moriendo deficerent, vel ſecederent ad Canonicos Monaſteriales; vel de novo ſibi Canonias extruerent, ad quod accipiebant eam partem reddituum, quæ eos in Eccleſijs Cathedralibus contingebat; aut à fidelibus adjuvabantur, aut e-

Epiſt. 125.

Proſper l. 2. vit. contempl. cap. 12.

Epiſt. 139.

Ibid. in fin.

Digitized by Google

tiam, quod mireris, ab ipsis Cardinalibus Canonicis quantumvis in proposito perseverantibus, id quod constare tibi partim potest ex epistolis Gregorij VII. partim ex fundatione prima monasterij Diessensis in Bavaria, quæ facta est à Rathardo Canonico Augustano, qui vixit octavo sæculo.

Greg. VII. l. 3. epp. 17. 59. & l. 5. ep. 9. Brusch. in Episcopis August. in Hautone. Miræus de cann. regg.

Et ab hoc tempore usque ad sæculum duodecimum quamplurimam Canonicorum cœnobia erecta sunt, ut ex Auberto Miræo cognosse poteris. Ita DEUS ter Optimus quo tempore deficiebat vita religiosa in Ecclesijs Cathedralibus, eam longè fæcundius suscitavit per cœnobia. Tantopere enim florebat vita Canonica vel de novo tum cœpta, vel ex antiquitate reformata, ut beatum se crederet, quisquis pro eo instituto fundare monasterium potuisset. Ducebant vitam supra modum asperam, sic ut Monachis etiam rigidissimè viventibus in exercitijs spiritualibus nequaquam cederent, quo factum est, ut nominari cœperint *Canonici Regulares,* quasi dicas *CanonicoMonachi,* seu *Canonici Monachizantes:* miscebant enim Monachicam conversationem Clericali professioni in tantum, ut vix à sagaci dignosci potuerit, ecquæ professio in ipsis prævaleret. Hinc mirum non est dum toties à scriptoribus etiam peritis Monachi dicuntur. Nam illis temporibus stylo Ecclesiastico aliud nihil erat *Regularem* quàm *Monachū* esse, ac *Regulariter vivere* quàm *Monachicè vivere,* id quod non modò liquidum est ex verbis concilij Aquisgranensis suprà dum dicitur, *Monachis, qui secundum Regularem institutionem arctiorem ducunt vitam,* verùm etiam ex fragmento concilij Tarraconensis apud Gratianum dicentis, *Sub habitu regulari, vel Clericali religiosissimè famulentur.* Item ex concilio Arelatensi A. D. 813. *Qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi, ut secundum Ordinem Canonicum vel Regularem vivere studeant.* Ex concilio quoq; Parisiensi A. D. 756. *Ut quisq; Episcopus habeat in sua parochia tam de Clero, quàm de Regularibus vel Sæcularibus ad corrigendum.* Et: *ut monasteria tam virorum, quàm puellarum secundum Ordinem regulariter vivant.* Et infrà: *Trudantur in monasteria sub Ordine Regulari, aut sub manu Episcopi sub Ordine Canonico.* In concilio Dingolfingensi A. D. 772. adempta est Monachis cura Parochialis, *quam neutiquam,* inquiunt Episcopi, *ut statui suo congruam probare potuerunt, neq; ex Canonibus, neq; ex decretis Patrum, neq; ex regulari vita ipsorum.* In concilio Cabilonensi

Cap. 115.

c. dictum est. De consecrat. dist. 5.

Cap. 6.

Cap. 3. & 5.

Cap. 11.

Cap. 22.

bilonensi A. D. 813. dicitur, *Omnia monasteria Regularia in his regionibus secundum Regulam S. Benedicti se vivere fatentur.* Et: *Sacerdotes degradati conijciantur in monasterium sive Canonicum, sive Regulare.* Eumdem modum loquendi habes in concilio Moguntiaco sub disciplina Canonica vel Regulari. Et post: *Præcipimus ut unusquisque Episcopus sciat per singula monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos in monasterio suo habeat, & hoc omnino ambo pariter provideant, ut si Monachi fieri voluerint, Regulariter vivant: sin autem; Canonicè vivant omnino.* Cap. 39. A. D. 813. 20. & 21.

Ex quo loco dilucidè apparet, A. D. 813. quo hoc concilium celebratum est, Canonicos in monasterijs sub Abbate viventes nondum vocatos fuisse *Regulares*, sed eis hoc nomen tum primum accessisse, cum accessit Monachica austeritas inchoata per secessores ab Ecclesijs Cathedralibus: hactenus enim vocabantur aut *Monasteriales* Canonici vel *Cœnobitales*, aut simpliciter *Canonici*, ut aliàs ostendi, & patet ex concilio Turonensi II. A.D. 567. vel *Canonici Clerici* ad distinctionem Clericorum sæcularium, ut habes in concilio Moguntino A. D. 813. vel *Clerici religiosi* ex concilio Lugdun. II. A.D. 590. Unde & *Clericalis Religio* in concilio Parisiensi A. D. 829. vel absolutè *Clerici*, cum necdum essent alij quàm Religiosi. Epist. 139.

Ipsorum monasteria sunt antiquissima, & ortum ex eo traxerunt, quo diximus in Ecclesia primitiua Clerum integrum non solum cum Episcopis in primarijs urbibus, sed & in vicis quoque & Oppidis minoribus fuisse. Quin memini etiam in maioribus civitatibus præter Episcopi Clerum cardinariũ Collegia fuisse Clericorum in Ecclesijs minoribus, unde & dici cœperunt *Collegiatæ*. Sic tradit S. Epiphanius B. Athanasium primum Alexandriæ fuisse, qui propter urbis amplitudinem plures Collegiatas Ecclesias cum suo quamque Clero instituerit. Quãvis non deerant interim, qui præter hæc Religiosorum Clericorum Collegia seu cœnobia ex instituto pro ijsdem monasteria fundarint, sicuti S. Maximus Episcopus Vesontionensis, qui sub Caio Papa A.D. 284. electo Clericis cœnobium ædificavit, in quo viverent ad normam Apostolorum. Epist. 137. S. Epiphan. hæres. 68. & 69. Append ad vitt. PP. Occid. in Maxim.

Erant autem principiò hæc cœnobia sub magisterio *Presbyteri*, ut passim constat ex Gregorio Turonensi, & nominatim ex concilio Emeritensi A. D. 666. Dein cum Presbyterorum numerus in eodem loco augeri cœpit, Superior *Abbas* appellatus est.

S. Greg. Turon. l. 2. de mirac. S. Martin. c. 28. & 39. Ei l. 3. c. 24. & l. 1. c. 28. 53. 61. Et in vit. S. Nicetij.

Cap. 22.

Cap. 24.

A. D. 829. c. 37.

Cap. 18.

Cap. 1. & 2.

tus est. Ita S. Gregorius Turon. B. Aredium Clericorum Lemovicensium Antistitem nunc Presbyterum, nunc Abbatem indigitat. Et in concilio Moguntino A. D. 813. jubentur Clerici vagi, qui neque sub Episcopo, neque sub Abbate vivunt, constringi. In concilio Turonensi III. similiter jubentur Abbates monasteriorum, in quibus Canonica vita antiquitus fuit, solicitè providere suis Canonicis. In Synodo Parisiensi eodem modo monentur Abbates Canonicorum, ut sint forma suis Canonicis, ne Clericalis Religio vituperetur. Rogarunt etiam Episcopi Regem Ludovicum, ut Abbates tam Canonicos, quàm Regulares severè moneret, ut colerent œconomiam diligentius. Utrique Abbates tam Clericorum, quàm Monachorum instruuntur denique in concilio Aquisgranensi A. D. 836. Ut scias non omnes Religiosos sub Abbatibus degentes Ordinis fuisse S. Benedicti temporibus antiquis, sicut nec hodieque sunt, quamvis apud Canonicos Religiosos extra Congregationes (ubi aut Abbas aut Prior præest) hac ætate ut plurimum regnet *Præpositus*, quod videtur initium habuisse ex accepta S. Augustini Regula, qua dicitur, *Præposito tamquam Patri obediatur*.

Verùm ut ad propositum revertar, tametsi renovati Canonici in omni conversatione, habitu & tonsura Monachicum præseferebant rigorem ac schema, ut inde Regulares nominarentur; nequaquam tamen officia Clericorum cum linea veste deponebant addicti more Monachorum soli choro & quieti, ac lana vestiti, sed positis eorum Collegijs vel in villis vel urbibus ex antiqua traditione curam simul exercebant pastoralem, quam adeò Canonico suo Ordini annexam esse sciebant, ut non absq; indigna iniuria, sicut S. Ivo loquitur, ab eo posset avelli. Quos enim primitiva Ecclesia alios Parochos habuit? Defectus, desuetudo, refrigerans charitas, fervensque cupiditas, ait idem S. Doctor, alios subintroduxit. Conabatur quidem Episcopus Lemovicensis eis adimere hoc jus & potestatem, sed primò retusus est ab eodem Carnotensi Episcopo dicente longè rectius Lemovicensem fecisse, si omnes Sacerdotes ad Regularem vitam invitasset quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium custodiam, quibus tanto plus displiceat aliena malitia, quanto longius discesserint à sua, eoque securius alicui credi correctionem vitæ alienæ, quò maiorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ.

Ivo epist. 69.

Idem epist. 213.

Epist. 69.

rigendæ.


Digitized by Google

gendæ. Deinde à summi Pontificis decreto in concilio Picta- A. D. 1109.
viensi, quo sancitum est, ut Canonici Regulares jussu sui Episcopi, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, & mortuos sepelire licenter possent. Eat nunc nescio quis è Bavaria Præpositus, & ex Ordine Canonico efficiat contemplativum: hoc ipso namque dum se Regularem *Canonicum* pronuntiat, quid loquatur ignorat.

Sed hîc ad finem non taceo, quod sæpe mihi objecisti in meam, ut putabas, contumeliam, si Canonicus Regularis es, inquiebas, ostende ex hoc postremo opera tua: Regularem namque esse, nec Monachizare, inanis appellatio est. At mi Iosippe, quid dices si respondero nostro ævo omnes Clericos & Presbyteros religiosos, nisi simul sint Monachi, communiter appellari Regulares, sive ex Regula secundum quam vivunt, sive quod mutata sit acceptio vocis *Regularis*, idemque significet, quod *Religiosus* contra morem veterem? Deinde, cum scribam antiquitates, quis prohibet me ad antiquitatem salva professione redire, & pro *Regulari* Canonico dici *Monasterialem*? Certè in antiquissimo nostro Necrologio quod ab annis quingentis defunctorum Fratrum nostrorũ nomina continet, vocem Canonici *Regularis* usque ad proximè præteritum sæculum nusquam reperio, sola vox *Canonici* nomini proprio apponitur sive pro nostri, sive pro aliorum cœnobiorum Ordinis nostri fratribus, quo ipso suspicor Canonicis Monasterialibus non adeò gratum semper fuisse *Regularis* cognomen, cùm voluerint potius inter Clericos, quàm Monachos recenseri, quod nomen *Regularis* antiquitus inferebat.

EPISTOLA CXLII.

De Regula S. Augustini.



INsanit, Iosippe, qui Regulam, quam nos, & tot alij religiosi Ordines observamus, S. Augustini esse negat. In hoc est controversia, utrùm eam viris tradiderit, aut solis feminis?

Certè Bellarminus censet, eam solis feminis esse præscriptam per Epistolam 109. tomo secundo operum S. P. nostri. Et revera sic esse videtur. Lege obsecro sermonem quinquagesimum de diversis, & invenies S. Augustinum iam senem non

Bellarm. in catal. script. eccl. in Augustino.

Digitized by Google

aliam cum suis Clericis Regulam vitæ habuisse, quàm quæ in Actis Apostolorum continetur. Hanc vivendi formam etiam Presbyter in monasterio observabat teste Possidio. *Et cœpit vivere,* inquit, *secundum modum & Regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* Nulla uspiam mentio Regulæ alterius. Si quid Actibus Apostolicis deerat, quod ad vitam clericalem expressius requirebatur, id tanquam viva Regula S. Pater ipse supplebat. Et certè per singula in Possidio legimus, quomodo vitam suam cum Clero suo transegerit. Præterea Clerus omnis per Africam suos habebat Canones & Leges ex concilio Carthaginiensi, instigante potissimum S. Augustino præscriptas, quas si neges S. Patrem ad unguem observasse, injuriam ei facis, ut qui alijs tradiderit, quod ipse non implevit. Confer jam istos Canones cum nostra Regula, & judica in utronam vita clericalis melius ordinetur. Regulam non in memoriam tibi refrico, sed nonnullos Canones ex illo tibi concilio ostendo: Ibi habes ut Episcopus non longè ab Ecclesia hospitiolum habeat: ut vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide & vitæ meritis quærat: ut pro rebus transitorijs non litiget provocatus: ut nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet: ut sine concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet: ut nullius causam audiat sine præsentia suorum Clericorum, aliàs irrita sit sententia: ut rebus Ecclesiæ, tamquam commendatis, non proprijs utatur: ut nulla sit donatio, vel venditio aut commutatio rei Ecclesiasticæ, absque conniventia & subscriptione Clericorum: ut denique, quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur.

Possid. c. 5. vita S. Aug.

Carthag. IV. A. D. 398.

Can. 14. 15. 19. 20. 22. 23. 31. 32. 34.

Ad Clerum, quod spectat, ibi decernitur. Ne Clerus barbam aut comam nutriat: Ut Professionem suam in habitu & incessu probet: & nec in vestibus, nec in calceamentis decorem quærat: Cum extraneis mulieribus non habitet: Per plateas & andronas nisi certa & manifesta officij sui necessitate non ambulet: Ut ab officio degradetur, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat: Ut privetur stipendijs, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigilijs deest: Ut agens negligentius removeatur ab officio: Ut artificiolum discat, & litteras; absque officij tamen sui detrimento: Ut invidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoveatur: Ut accu-

Can. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.

accusatores fratrum excommunicentur: Si se emendaverint, ad communionem quidem, sed non ad Clerum recipiantur: Ut maledicus, maximè in Sacerdotibus, cogatur ad postulandam veniam: quod si noluerit, degradetur, neque umquam ad officium absque satisfactione revocetur: Ut scurrilis & verbis turpibus jocularis ab officio retrahatur: Ut jurans per creaturas acerrimè objurgetur; si in vitio perstiterit, excommunicetur, qua eadem sententia feriatur, qui cantat inter epulas: Ut minor habeatur, qui tempore jejunij absque inevitabili necessitate jejunium rumpit: Ut denique non ordinetur, usurarius, seditionarius, aut suarum injuriarum ultor.

57.
60.
61.
62.
63.
67.

Dic jam, Sodes, quid his Canonibus (quos omnes sanctũ Augustinum adimplesse possem vel ex ipsomet, vel ex Possidio ostendere.) ad vitam clericalem ordinandam, adjunctis Apostolicis Actibus, melius inveniri poterit? Quæ continentur in Regula versa & reversa. quanta reperies, quæ magis conveniant feminis, (exceptis quæ cum his Canonibus conveniunt) quàm viris quà Clericis. Quid nobis cum faciendis indumentis, stramentis, operimentis & cingulis? Quid cùm lavandis vestibus? Et quid ibi pro viris cum Episcopo habitantibus Presbyter facit? *Præposito,* inquit, *tamquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Totum pro sanctimonialibus est hoc, quæ supra Præpositam habebant Presbyterum, quo, maximè in spiritualibus regebantur. De quo habetur in Concilio Carthagin. III. ut inconsulto Episcopo virgines non consecret. Clerus qui cum Episcopo habitabat Presbytero non indigebat Rectore: sufficiebat enim ad hoc ipse Episcopus, cum Præposito rei domesticæ. In monasterijs autem Clericorum, extra Episcopium Presbyter quidem præerat, sed Præposito tamquam Patri nemo tenebatur obedire, cùm Pater esset Presbyter, erat ergo alius Præpositus, alius Presbyter, alius Episcopus. Si ad hoc probandum non sufficit Regula Monialium, in qua non semel hæc distinguuntur, lege Canonem 45. Concilij Chartag. III. in quo expressis verbis habetur, ut postulentur ab Ecclesijs, quæ Præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris. Quamquam etiam & Presbyter & Episcopus apud S. Augustinum nomine Præpositi, tamquam voce generali, non semel veniat, sed huc id nihil facit.

A. D. 39. can. 36.
Epist. 109. S. August.

Si autem quæris quomodo Regula S. Augustini ad nos

perveneritʔ respondeo per accomodationem & translationem ad viros: nam facilè quæ ipse ad feminas dixit, ad viros transferri potuerunt, & pleraque id etiam patiebantur, præsertim cùm tã dilucidè ibi comprehendebantur essentialia Religionis. Quando autem hæc translatio facta sit, quis mihi dicatʔ Antequam deficere vita Apostolica in cathedralibus Ecclesijs cœpit, & Canonici nominari Regulares, pauca reperio de hac Regula. Et licet tempore Gerhohi Reicherspergensis, qui vixit undecimo sæculo, Regulares Canonici in cœnobijs faciebant professionem secundum Regulam S. Augustini; nesciebant tamen plerique quæ esset illa Regula, sed utebantur Excerptis, donec eam Româ ferret Gerhohus. Atque hæc ipsa Excerpta Anno Domini 816. pro Canonicis omnibus in Imperio fieri non fuisset opus, si tam vulgata illa S. Patris Regula extitisset. In Turonensi Synodo: A. D. 813. si Regula hæc tam nota fuit, quid ni dicitur, ut Abbates suis Canonicis victum & vestitum secundum Regulam tribuant, pro eo quod dicitur, juxta quod poterit Abbasʔ Idem brevius mandari potuisset in Concilio Moguntino eodem anno, pro eo, quod Canonici ad Canones Ecclesiæ amandati sunt. Denique S. Marcellinus Trajectensis Canonicus erexit cœnobium S. Thomæ pro Canonicis Monasterialibus, in qua (nulla facta mentione Regulæ S. Augustini) ordinavit conversationem, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ fuit inter Apostolos, & Christi discipulos, in quibus nullus eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia, & distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat.

Can. 24.

Can. 9.

Ex proprio Cann. regg. de S. Marcell. 15. Iulij.

Quo tempore autem Regula Romam venerit, ubi erat, antequam esset alijs in locis Imperij, mihi incertum est. Dicunt quidem Gelasium S. Augustini discipulum eam ex Africa attulisse, post sui Magistri obitum: at hoc si verum est, oportet non longè â morte sancti Patris Regulæ transmutationem esse factam, & quidem ab ipsius discipulis: sed hæc ipsa res incerta est: mirum enim (si tamdiu fuit) in concilijs nusquam eius fieri mentionem, sicut Regulæ S. Benedicti, cùm non rarò fuisset occasio: Postquam verò Canonici *Regulares* dici cæperunt, non semel eius habetur memoria, ut A.D. 1139. in cõcilio Romano, & A.D. 148. in Rhimenensi, & 1288. in Mediolanẽsi. Et omnino existimo huic ipsi Regulæ non exiguũ splendorẽ collatũ esse â S. Nor-

Pennot. l. 3. c. 50.

Surius 6. Maij c. 3.

Digitized by Google

Norberto, qui eam ab ipſo S. Auguſtino accepit, cum hoc dicto: *Ecce habes Regulam, quam ego ſcripſi, ſub qua ſi bene militaverint Confratres tui filij mei, adſtabunt ſecuri in extremi judicij terrore.* Conſtat proinde certum eſſe Regulam Canonicorum Regularium eſſe verè S. Auguſtini, & ab eo ſcriptam, ſed utrùm eamdem ſuis Clericis tradiderit, id verò non conſtat, ſicut certum eſt eam traditam fuiſſe Sanctimonialibus.

EPISTOLA CXLIII.

De Habitu Canonicorum Religioſorum.

PAtres & Concilia, Joſippe, luxum veſtimentorum maximè in Clero tolerare numquam potuerunt. In Regula noſtra non gratis præcipitur. *Ne ſit notabilis habitus noſter, nec affectemus placere potius veſtibus, quàm moribus.* S. Hieronymus quàm mordaci ſtylo perſtringit Clericos propter veſtium luxuriem? Hugo de S. Victore Canonicos Regulares in ſpecie vehementer admodum exagitat ob vanitatem ac ſuperbiam veſtium. Hinc ſapientiſſimè Canonicus Ordo in excerptis monetur, ut intus habeat indumenta virtutum; neque Religionis dignitas exterius dehoneſtetur: exterior proinde cultus non ſit ſuperfluus & immoderatus, ut illorum, de quibus S. Hieronymus epiſtola ad Euſtochium ſcribit, quorumdam ſui Ordinis fuiſſe. Humilitas ergò religioſiſſimè demonſtretur tam in actu, habitu, inceſſu, quàm in ipſa etiam equitatione.

S. Hieron. ep. 3. & 22. Hugo l. 2. de clauſtro animæ c. 18. Conc. Aquiſgran. c. 124. A. D. 816. Epiſt. 23.

Quare Canonici plus velint ſancta converſatione, eximijſque moribus, quàm ornatu veſtium fulgere. Adijcitur ab exemplo S. Auguſtini, ne veſtis plus juſto ſit cultior, nec inſolita atque deformis, cum in horum utroque aut electionis, aut certè ſimulationis noxa pateſcat. In Concilio Agathenſi ſtatuitur: *Ne Clerici in veſtimentis & calceamentis quid aliud habeant, quàm quod Religionem decet.* Unde ex decreto Matiſconenſi Clerici in indecente veſte, aut armis deprehenſi, à ſeniore ita coërcendi ſunt, ut triginta dierum incluſione detenti, aqua tantùm, & modico pane diebus ſingulis ſuſtententur. *Veſtimenta igitur, & calceamenta,* inquit Synodus, *induenda, quæ Religionem deceant.* Benedictus XII. in Bulla, qua Regularibus Canonicis veſtes præſcribit, tranſgreſſores ita jubet puniri,

Ex Poſſid. in vita. A. D. 506. can. 5. A. D. 581. can. 5.

ut ceteri â similibus arceantur, & eiusmodi indecentiores vestes
Cap. 3. inter pauperes distribuantur.

Nominatim verò in concilio Romano A.D. 743. præcipitur, *ne Presbyter, aut Diaconus indumento utatur sæculari, sed tunica Sacerdotali: nec in plateis, urbe aut in via sine operimento incedat, nisi sit constitutus in longo itinere.* Arma portantes ex Toletano concilio IV. retruduntur in monasterium, & amittunt Ordinis sui gradum. In concilio oecumenico VII. religiosissimè dicitur. Omnis mollities, & corporis ornatus â Sacerdotali statu, & ordine alienus est. Ergo Episcopi vel Clerici splendidis & insignibus vestibus se ornantes emendent se aut puniantur, sicut & qui odoriferis unguentis utuntur. Si repe{riantur qui derideant eos, qui honestè vestiti sunt, corrigantur: superioribus enim temporibus viri sacrati moderato & honesto habitu utebantur: sed nec ex sericis texturis variatum quis vestimentum habebat: neque in fimbrijs adjecta erant alieni coloris additamenta: audierunt enim ex scriptura. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

Æra 671. can. 44.

A. D. 787. can. 16.

Matth. 11.

Æra 627.

Purpura cumprimis â concilio Narbonensi sub Reccaredo Rege proscribitur. *Nullus Clericorum*, inquit, *vestimenta purpurea induat*, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore, quia purpura maximè laicorum potestate præditis debetur, non Religiosis. Quod si quis non observaverit, velut transgressorem legis coërcendum. Tametsi autem Clericis in dignitatibus constitutis Papa Zaccharias concedat vestes præclariores; subjungit tamen eos in secreto servare debere propositum sui cordis: *non enim nos*, inquit, *honor commendat vestium, sed splendor animarum.* Qua de causa Eugenius Papa omnibus tam Episcopis, quàm Clericis prohibuit coloris multiplicitatem in vestibus; singulariter autē pannos & vestes coloris rubri & viridis vetuit Cardinalis Diaconus Guido Legatus Apostolicus per Galliam. Item Innocentius III. in concilio Lateran. III. cum Frisingensi, quod sub Nicodemo Episcopo A.D. 1440. celebratum est, quo etiam cingula & monilia auro & argento splendentia abrogata sunt, cum Mitris caudatis, quod tegumentum capitis erat.

Zach. ep. ad Pipin. cap. 1.

In conc. Rhē. A.D. 1148. can. 2.

In constitut. Guidon. A.D. 1215. cap. 16.

Constit. Bened. XII.

Tunicam Benedictus Pont: jubet esse rotundam per circuitum, & non fissam; nec longitudine nimia aut brevitate notandam,

notandam, idque pro Canonicis Regularibus: quamvis etiam in concilio Palentino tunicæ virgatæ aut bipartitæ prohibitæ sint, & quidem Clericis minoribus. Et quia tunicis addebantur præter manicas ordinarias consutitiæ, quæ vel ad cubitum pendebant, vel à tergo colligabantur, eas decreta Patrum abjecerunt, ut in concilio Lateran. paulò antè allato, item in constitutionibus Guidonis invenies, sicut & in concilio Constantiensi, ubi expressè proscribuntur *manicæ ad cubitum pendentes* cum vestibus nimis longis, ac retro fissis, & in lateribus cum fœdraturis ultra oram excedentibus etiam in fissuris, idque convenienter constitutioni Benedicti, qua ait: *Ab eisdem quoq; Canonicis in eorum vestibus ligatæ manicæ non portentur, nec in apparenti consutitiæ, vel quomodolibet botonatæ.*

A. D. 1388. subr. 3.

A. D. 1414.

Ad colorem tunicæ quod attinet, is pro diversitate locorum & temporum diversus est. Post Deorum Sacerdotes apud Plutarchum in Pompeio & Catone minore, & Cœlium Rhodig. l. 3. c. 12. primi Clerici tunicas ferebant candidas, unde & Apostoli vocabantur *viri dealbati.* Clerus quoque S. Basilij incedebat in vestibus candidis. Et licet S. Hieronymus Nepotiano Clerico dicat, *ut pullas vestes æquè ac candidas devitet*, unde & alibi tibi scripsi, tunicas Clericorum illis temporibus ut plurimum fuisse castanei vel violacei coloris; albæ tamen tunicæ â Clericis non ubique fuêre depositæ, unde non semel legimus *Canonicos albos* ad distinctionem *Monachorum nigrorum*, qui subinde in Ecclesijs Cathedralibus pro Canonicis erant, & in hodiernum usque diem Regulares Canonici candidas gestant tunicas. Quamvis præter albas etiam portare queant nigras, vel quasi nigras, & violaceas ex Bulla Benedicti; sic tamen, ut in uno eodemque cœnobio color sit uniformis. Olim in Gallijs & alijs Italiæ locis suppara seu tunicas gestabant griseas, ut imagines & Pennotus ostendunt.

Trull. l. 1. de cann. regg. c. 12.
In comparat. S. Basil. & Ephr.
S. Hieron ep. 2.
Epist. 46.
Turpin. in vita Carol. magni cap. 13.
Conc. Lond. c. ult A.D. 1200.

Pennot. in notis ad S. Aquilin. & Bernard.

Post tunicam immediatè vestis linea sequitur, semper propria Clericorum ab ipsis Apostolis, ne ad Sacerdotes Isidis veniam de quibus Herodotus l. 2. De Sancto Iacobo fratre Domini expressè scribit ex Egesippo Eusebius, quod sindonem, seu lineam portarit, qua postmodum indutus B. Euphrosynus Episcopus Pamphiliæ Romam venit. S. Cyprianus ad locum supplicij ductus exuit se lacernum birrum, quem indutus erat, complicans & posuit ad genua sua: De hinc tunicam, seu ut acta

Euseb. lib. 2. hist. cap. 23.
In hist. S. Silvestri.
Pontius vitâ S. Cyprian.

Digitized by Google

ſecunda habent, Dalmaticam tulit, & Diaconibus tradidit; Et ſtans in linea expectabat ſpiculatorem. Ariani calumniabantur S. Athanaſium, quaſi ab Ægyptijs *lineas veſtes* (*tunicellas* ait Sozomenus) pro Clero ſuo exegerit in tributum. S. Hieronymus quoque ſcribit Clericos *amictu lineo* fuiſſe veſtitos. Non abſque amictu lineo incedere, inquit, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt: nam aliqui habitum hunc tamquam ſplendidiorem ex humilitate deponebant. S. Auguſtinum præterea cum ſuis Clericis conſtat tuliſſe *veſtem lineam:* unde & ait: *Nemo det byrrhum, vel tunicam lineam, niſi in commune.* Loquitur de hac veſte uſuali Leo IV. in homil: de cura paſtorali, adhortans Presbyteros, *veſtimenta,* inquit, *nitida ſint: nullus in Alba, qua in uſu ſuo utitur, præſumat Miſſas cantare.* Item Riculfus Sueſſionum Epiſcopus conſtitut. 7. A. D. 889. *Nemo illa Albâ utatur in ſacris myſterijs, qua in quotidiano vel exteriori uſu induitur.* Denique in vita S. Odonis dicitur: *Canonicorum,* ut ſolebat, *dealbatus adfuit chorus.*

Socrat. lib. 1. hiſt. cap. 23. Sozom. lib. 2. hiſt. cap. 21. S. Hier ep. 2. & 48.

S. Aug. ſerm. 50. de diverſ.

Ex omni proinde antiquitate liquet Clericos tuliſſe veſtem lineam, quæ quia Canonicis Regularibus in Profeſſione datur, ipſorum magis propria eſt, & nullo tempore deponitur. Ex conſtitutione Benedicti *Superpelliceum* vocatur, & longiores manicas habet, id quod ad chorum, quàm id quod extrà portatur; longitudo tamen eadem eſt, nempe *ad mediam tibiam, vel circa.* Pro diverſitate locorum forma non uniformis eſt; nam quibus non amplæ, ſed ſtrictæ manicæ ſunt, *Rochetum* ſeu *Romana camiſia* dicitur, & portatur communiter ab Italis, & Windeshemenſibus: Noſtræ *cotta* in Choro undique per circuitum clauſæ ſunt & ſine manicis: *Sarrocia* tamen, ut lineam vocamus, ad latus aperta ſunt, & non niſi ad quattuor digitos infernè clauſa, ſine manicis, referentia collobium. Cum foras imus *parva*, ut loquimur, *ſarrocia* accipimus undique aperta, qualia damus Novitijs: Latitudo non excedit quattuor digitos, & ut ſcapulare Monachorum hinc inde dependet; non tamen ſine plicis. Auctores *faſciam* appellant & *baſtam.* Incommoditas, opinor, hanc variationem intulit. Quippe noſtris anteceſſoribus incommodum erat in ſuperpelliceo per integrum diem & negotia, tam amplas manicas habere, unde vel amputarunt omnino manicas extra Chorum, vel conſtrinxerunt, & nata ſunt vel *Rochetta* vel *Sarrocia.* Deinde cum in

Pennot. ſup. & l 3. hiſt. c. 69.

clauſis

clausis Sarrocijs longius ambulare, vel equitare æquè onerosum esset, aperuerunt infernè Sarrocia, & in compendium redegerunt angustiæ, feceruntq; *fascias*. Nihil ex his omnibus suam amittit essentiam, quia lineam vestem cuncta referunt, & repræsentant non alium Religiosum, quàm Canonicum Regularem. Quamvis Papa imperet, ut una eademque forma servetur inter Canonicos unius ejusdemque Ecclesiæ. Bened. XII.

Clerici prioribus sæculis pallijs non multum utebantur. Eorum loco erant *cappæ, byrrhi, chlamydes* aut *tabardi talares*. Sic habemus in Concilio Ravennat. III. Prælati, Sacerdotes, & alij in dignitatibus, ac Canonici Cathedrales in sacris per civitates incedentes, decentem habitum portent, videlicet *cappas vel clamydes*. Sacerdotes extra Civitates & Suburbia & alij in sacris saltem *tabardos talares* portent: in Ecclesia verò utantur *cappis nigris*, vel saltem *cottis albis*. Quòd si quis contrà horum aliquod fecerit, pœnam decem solidorum Ravennat. incurrat ipso facto, quam si non solverit infra mensem, & monitus semel fuerit, sit excommunicatus. Si Religiosus fuerit, per mensem iejunet bis in hebdomada in pane & aqua comedendo publicè coram fratribus, quando alij fratres reficiuntur: Si abhinc infra mensem non inchoaverit hanc pœnitentiam, sit excommunicatus si vel semel monitus fuerit. A. D. 1314. rubric. 3.

Magni fiebant cappæ hæ à personis Ecclesiasticis, sic ut Ecclesia non semel prohibere debuerit, ne Primates & Archiepiscopi in cōsecratione Episcoporū, & Episcopi in consecratione Abbatū, in compensationē negotij cappas exigerent, aut acciperent. Nec mirū: erat enim extimus habitus & omniū oculis subjectus, inde, ut eò decentior esset, sumptibus non parcebatur. In Concilio Luodunensi generali Gregorius X. legit litteras suorū per Græciā Legatorum coram omnibus Prælatis existentibus in cappis suis, ait Binius. Et Matthæus Paris de Ottone Legato Apostolico in Concilio Londinensi scribit, quod præsederit indutus Pontificalibus, scilicet *Superpelliceo*, & desuper *cappa chorali, pellibus varijs furrata, & mitra*. Episcopi & Archiepiscopi tam pretiosas habere cappas licitè non potuerunt. Nam ecce tibi concilium Sabinense. Episcopi & Archiepiscopi *succas lineas* in publico; & cùm eos equitare contigerit, nullatenus *tabardos*, sed *cappas & cappellos* suæ dignitatis deferant congruentes: Cappis aut sericis vestibus non utantur. Et Concilium To-

In conc. Rom. A. D. 1099. & Pictav. 1109. A. D. 1274. A. D. 1237. A. D. 1311. c. 6. A. D. 1347.

Digitized by Google

letan: Episcopi portent *cappellos rotundos*, & in superiori laneos non sericos, cum nigra & non alterius coloris fodratura.

Color capparum apud Monachos, etsi Canonici fuerint, non poterat alius esse quàm niger. Ita Galo Legatus Papæ per Gallias constituit. *Monachi*, inquit, *cappis sumptuosis, & non nigris de cetero non utantur.* Item Concilium Londoniense: *Illud præterea dignum adjectione videtur*, inquit, *ne Monachi, aut Canonci nigri, vel Moniales nigra cappis coloratis utantur, sed tantum nigris.* Apud Clerum poterant eius esse coloris, cuius erat tunica. *Statuimus*, inquit, Benedictus Pont: *quod Canonici* (Regulares) *cappis, & vestibus albi, blavi, nigri, seu quasi nigri coloris dumtaxat utantur.* Nec aliter judicandum est de toto Clero, quem similes tunicas portare videmus. Violaceas plerumque Episcopi etiamnum portant: Papa in rubra pingitur.

Constit. Galō. A. D. 1200. c. ult.

Cappis in longitudine sua mensura est, sicut & tabardis, & chlamydibus. Tam brevitas, quàm longitudo nimia culpatur à Papa Benedicto. Vsum, inquit, seu verius abusum manticarum, seu tarbardorum, notabilem habentium brevitatem Canonicis penitus prohibemus. Cappas quoque non nimia longitudine vel brevitate notandas portare debent. Et Concilium Toletanum. Clericus deferens tam longum tabardum seu *Supertunicale*, ut terram contingat, puniatur. Nec ferant mantellos seu chlamydes nimis longas. Iusta longitudo ad umbilicum est in cappis. Tabardi & chlamydes genua contingunt.

A. D. 1324.

Manicas cappis insuere vetitum est. *Cappas*, inquit Innocentius III. *manicatas Clerici ad divinum officium intra Ecclesiam non portent; sed nec alibi.* Et Guido Cardinalis: Prohibemus ne Sacerdotes de cetero cappis manicatis utantur: & specialiter Archidiaconibus, & Præpositis, qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas. Idem decrevit Odo Parisiensis Episcopus tempore Gregorij VIII. Sacerdotes, inquit, non habeant Capellanos habentes cappas manicatas, sicut nec ipsæ personæ debent habere. Æstimo cappas justo longiores fuisse, adeoque inhabiliores ad officia manuum, inde adjectas manicas, per quas manus commodius extenderentur, quod postmodnm occasionem præbuit, ut longitudo nimia à cappis per decreta tolleretur. Quamvis nonnulli cappis manicas ociosè adjecerint per aëra volantes, sicut de manicis tunicarum dixi. Hinc legis *cappas alatas*, quas Odo Episcopus similiter rejecit á Presbyteris.

In conc. gener. c. 16. Constit. Guid.

Cappæ

Digitized by Google

Cappæ aliæ *apertæ*, aliæ *clausæ* erant; Canonici Regulares apertas habent. Præcipimus, inquit Benedictus, quòd in Ecclesijs, Monasterijs & alijs locis Religionis præfatæ, in quibus Canonici cappas à parte anteriori apertas de panno laneo consuevêre deferre, quæ in quibusdam locis *Cappæ de Choro*, seu *Capellæ* vulgariter nuncupantur ipsas honestas portare debeant locis & temporibus consuetis. Deferant etiam cappas hujusmodi à Festo omnium Sanctorum usque ad Festum Paschæ, infra septa quarumcumque Cathedralium Ecclesiarum Religionis ejusdem, ac Monasteriorum, & aliorum locorum immediatos Superiores ipsius Religionis non habentium, in quibus Monasterijs, sive locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus, licet hactenus ipsas ibidem non consueverint deportare. De
cappis clausis decernit concilium Oxoniense. Omnes Decani, A.D. 1222.
inquit, & Presbyteri, & Archidiaconi cappis clausis utantur. Item Officiales Episcoporum & Archidiaconorum, cùm fuerint in Consistorio. Similiter Concilium Londinense: Clerici A.D. 1237.
cappis clausis utantur in sacris Ordinibus constituti, maximè in Ecclesia, & coram Prælatis suis, & in Conventibus Clericorum & ubique in parochijs suis, qui cum animarum cura Ecclesias susceperunt. Denique etiam in Concilio Aquisgran: præcipitur A. D. 817. c. 61.
Monachis ne cappas disconsutas, præter villosas, habeant.

Cappis est annexum *Capputium*, quod ex constitutione Benedicti honestum esse debet, eiusdemque coloris cum cappa *seu mantello,* nisi ex contrario privilegio. Infra Ecclesias, claustrum, Capitulum, Refectorium, ac Dormitorium Canonici Regulares eo non debent caput contegere ex jussu dicti Pontificis. Eius ergo loco *almutijs*, seu *armutijs*, quæ prisci *Mafortes*, seu *Maphorium* dicebant, uti debent, honestis, atque eiusdem coloris cum cappis, quæ sint oblonga ad aures, ut decidit concilium Ravennate, quamvis nos nostra Statuta ad Al-
mutia non adstringant, sed aut *birreta* concedant, aut pileos, A. D. 1314. rubr. 3.
quod & facit dictum Concilium cum Salisburg. sub Pilgrino, A. D. 1386. c. 6. 7.
quo mandatur, Ne Clerici intra aut extra Ecclesiam incedant absque capputio capitis, bireto, capello, vel pileo. Frisingen- A. D. 1440.
se ait: *Pirretum capite gestent cum caputio humeris superimposito.*
Monachis pileus non conceditur, cum suas cucullas habeant ex A. D. 1200.
Concilio Londoniensi.

Hoc tempore neque apud Clerum neque apud Canoni-

 cos

Digitized by Google

cos Regulares, ſi quaſdam Congregationes excipias, capparum uſus quotidianus eſt. Foris *pallijs talaribus* utimur, quæ etiam â noſtris ſtatutis nobis conceduntur, ſi cappas ſeu mantella geſtare nolimus. In Eccleſia, quando magnæ feſtivitates occurrunt, cum Canonicis Cathedralibus loco capparum ex panno, *forcaturas* (quæ & ipſæ in quibuſdam Bullis vocantur Almutia) geſtamus *de pellibus griſeas*, ut Papa concedit: alij *nigras* portant. Antiquis pro cappis *Birrhi* vel *Birrha* erant, ut ex S. Cy-

Pallad. c. 93.

priano & Auguſtino iam dixi. Lego etiam Birrhum inter veſtes S. Athanaſij. Erat autem aliud *ſimplex* pro æſtate, aliud *lacernum* pro hieme: lacerna enim contra tempeſtates reliquis veſtibus ſuperinijcitur: Si rigebat, erat culpabile in Epiſcopis, *& veſtis ſuperbia* dicebatur. Hoc tamen inter Birrhum & cappas intereſt, quod cappæ non portabantur ab hominibus ſæcularibus: Birrhi autem communes erant, ut oſtendit S. Auguſtinus tam Clericis quam ſæcularibus.

Sulpit. dial. 1. cap. 14. Caſſian. l. 1. inſtit. cap. 7. S. Aug. expoſit. pſal. 130. & ſerm. 18. V A. cap. 10.

S. Paulus loco Byrrhi aut cappæ ferebat *penulam*. quæ erat habitus ſubſtrictus humeros ſolùm tegens, unde & Zonaras ait; *veſtis in penulæ modum inciſa*. Serviebat maximè contra tempeſtates & frigus. Hinc Eucherius Lugdun. dicit *penulam eſſe lacernam deſcendentibus clavis*. Penulati theatrum ingrediebantur Romani Senatores non niſi mortuo Imperatore; in curiam tamen ſemper. Qua de cauſa S. Ambroſius ait, idcirco Beato Apoſtolo penulam fuiſſe, quia Romanus civis erat, à patre Senatore Tarſenſi progenitus, in qua civitate fuerit curia. Sed pace tanti Doctoris dixerim, penulati non ſolum Senatores Romani incedebant, ſed, teſte S. Auguſtino, etiam Magiſtri in ſcholis, immo & ſervi, unde *Penula ſervilis*, & quod plus eſt, viri quicumque. Hinc Tertullianus arguit quoſdam, qui poſitis penulis orandum eſſe dicebant. Vin' plura? Seneca ait, *Culcitra in terra iacet, ego in culcitra ex duabus penulis: altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt*. Sic penula ſerviebat ad omnia, ſed præcipuè, ut dixi, contra tēpeſtates, qua de cauſa B. Apoſtolus eam â diſcipulo ſibi afferri voluit, hodieque peregrinantes ad ſacra loca procul poſita geſtare ſolent penulas ſcorteas. At per hoc ſatis eſt oſtendiſſe ab Apoſtolorū temporibus Clericos Religioſos nō ita adſtrictos fuiſſe ad ſuam veſtē lineam, ut illicitū fuerit præter hanc aliā adijcere. Tēpore Sancti Bonifacij pro pallijs & palliolis, byrrhis & penulis utebantur *caſulis*. Sic habes in concilio Auguſta-

Zonar. in Caracalla. S. Eucher. l 2. Hebr. nominum cap. 10. Zonar. in Cōmodo. S. Ambr. in 2. Timoth. c. ult. S. Aug. lib. 1. Conf. cap. 16. Tertull. de Orat. cap. 12. Senec. ep. 87. 2. Tim. 4.

Augustano A. D. 742. Decrevimus quoque ut Presbyteri vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei. Portabant hanc vestem olim & Monachi, ut notum est ex vita S. Fulgentij: Casulam, inquit auctor, pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec Monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. Quando temperies aëris invitabat, solo pallio intra monasterium coopertus. Erat proin casula, ut penula, contra aëris intemperiem, qua de causa etiam â laicis portabatur. Erat, ait S. Augustinus, quidam senex Florentius, homo Religiosus & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat; & unde sibi emeret non habebat. In hoc tamen â penula differebat casula, quod prolixior erat, tegens totum corpus ab humeris. Vidi unam ante aliquot sæcula factam de serico. Ampla & fluens vestis est ad usque talos demissa, carens manicis, sicut suprà tibi nostras cottas descripsi, nisi quod paulò longior & acu undique picta sit. Credo â *caracalla*, quam Vener. Beda ait esse vestem Clericorum talarem, non aliter differre, quàm quod caracalla caputium habeat, sicut antiquitus tunicæ habebant, teste S. Augustino. Eucherius Lugdunensis sic describit *Ephod* Iudæorum. *In modum*, inquit, *Caracallæ est, sed sine cuculla.* Ephod autem, ait Iosephus, omni schemate tunicæ simile est, nempe simplici, non cucullatæ. Casulis hoc tempore tantum Sacerdotes utuntur, dum celebrant, sed in forma ab antiquitate discesserunt, quod in vestibus facilè contingit, dum magis ac magis commoditatem quærimus.

S. Aug. l. 22. Civit. cap. 8.

In monast. Dielien.

Beda l. 1. hist Angl. cap. 7.

S. Aug. in psal. 132.

Eucher. sup.

Ioseph. lib. 3 antiq. cap. 11.

Nam ut hîc etiam de *Orario* dicam, & hodie inter vestes celebrantis *manipulus* est, quanta huius ab antiquis mutatio & diversitas est? In nostra sacra supellectili & antiquario latum merúmque circulum refert senum digitorum vel etiam octo: inaurata lamina est gemis & margaritis undique distincta: nihilomnino dependet. Nisi me fallit opinio, antiquissimis temporibus *fascia linea* erat: nam orarium, si antiquitatem consulimus, mantile vel sudarium est. S. Ambrosius de defuncto Lazaro: Et facies eius, inquit, *orario* colligata erat: Nostra versio, *Sudario* dicit. Alibi ait. *Quanta oraria jactitantur â populo*, videlicet in sacra corpora SS. Gervasij & Protasij. De fratre quoque Satyro: Venerabile, inquit, Sacramentum in naufragio ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atq;

S. Ambr l. de fide resurrect.

Idem epist. 85

Et orat. funebr. de Satyro.

Digitized by Google

ita se dejecit in mare. Eodem modo loquitur S. Augustinus: Oculum lapsum atque pendentem, loco suo revocatum, ligavit S. August. sup. de Civit. orario. In Actis insuper S. Dorotheæ Virg. habes Theophilo allatos esse flores in orario, pro quo insulsissimi nostri pictores *sportellam* faciunt. In S. Cypriano Pontius ait: Fratres verò flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur â terra. Acta habent, *Linteamina & manualia,* quo confirmor *Oraria* in Clero *fascias fuisse lineas manuales,* hoc est â manibus seu brachijs dependentes, sicut manipuli in sacris. Certè orarium Episcoporum fuisse in vita S. Fulgentij reperies. Orario, inquit auctor, sicut omnes Episcopi nullatenus utebatur. In excerptis Gregorij III. conceditur etiam Presbyteris & Diaconis. Insignia, inquit, Episcopi sunt Orarium & baculus, (sicut hodieque videmus de baculo pastorali Episcoporum dependere fascias) Presbyteri orarium & pla- A. D. 815. c. 28. neta: Diaconi orarium, nempe manuale, & alba. In concilio Moguntiaco mandatur ut Presbyteri sine intermissione utan- S. Hier. ep. 2. tur orarijs propter differentiam Sacerdotij dignitatis. S. Hieronymus nostras lineas vestes seu sarrocia videtur appellare oraria. *Non absq; amictu lineo incedere,* inquit, *sed pretium vestium linearum non habere laudabile est: alioquin ridiculum & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumq; non habeas, gloriari.* Itaque etiam Orarium ad vestiarium Clericorum pertinet. Anastasius Bibliothecarius ad concilium œcumenicum sextum, in quo Græcus ait, Patres Macarium E- In vita Simeon Sal. piscopum Antiochenum privasse *pelle pastorali* (ποιμαντικῆς δορᾶς), vertit *Orarium.* Placet adhuc aliud? Simeon Sales magnæ sapientiæ morio accipiebat seriem farciminum, eâque ferebat tamquam orarium, nempe de brachio, manipulum ex farciminibus. Sed sat diu te detinui in vestiendo Clerico, seu Canonico Regulari. Supersunt & alij religiosi Ordines Clericorum, quibus dimensus est habitus & ferme communis cum alijs Clericis, exceptis quibusdam notis ad cognitionem Ordinis requisitis, de quibus tecum non ago, sicut nec de tonsura, de qua pridem tibi scripsi. Hoc noris, cultum externum, si desit internus, speciem Clerici exhibere, non rem.

ANTI-


Digitized by Google



ANTIQVARII MONASTICI GYNECEIUM.

EPISTOLA CXLIV.

De Virginitate.



TAndem te introduco ad perluſtrandum ſacrarum Virginum Cœnobium. Eccleſiæ ſanctæ hoc Gyneceium eſt: in quo non pauca occurrent, quibus & recreari poſſumus & inſtrui: neque enim Monachorum dumtaxat, verùm etiam *Virginum Chorus flos eſt, & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta.* Ergo, Joſippe, odoremur ſimul hunc florem, conſideremus tam pretioſum lapidem. A S. Virginitate producitur, quam præter Ebionitas, Elxaitas, Helvidium, & Jovinianum & noſtros hæreticos omnis ſuſpexit antiquitas. S. Athanaſius, eam appellat *Angelicam;* alius apud S. Epiphanium ἀγγελόμορφον nec abſimilis eſt S. Auguſtini locutio, dum ait, Virgines in quocumque ſexu ſint, ducere vitam Angelorum in terra: Virginitatem autem eſſe *portionem Angelicam,* & in carne corruptibili incorruptionis perpetuam meditationem, habituram magnum aliquid præter ceteros in illa immortalitate. B. Ambroſius Virginitatem ſacram, (de hac enim, non de naturali loquor) dicit eſſe *virtutem principalem,* vitamque Virginum fluxiſſe de cælo, eſſeque cæleſtem vitam & angelicam ex illo S. Scripturæ, *Qui non nubunt: erunt ſicuti Angeli*

S. Hier. ep. 1.
S. Epiph. hæres. 19. 30. 53. ſpondan. A. D. 382. & 406. S. Auguſt. hæres 82.
S. Hieron. ad verſ. Iovin.
S. Athan. ep. ad Amon.
Apud S. Epiph. hom. de Aſcéſ. Chriſti.
S. Aug. ſerm. 46. V D. c. 7.
S. Ambr. l. 1. Virg.
Matth. 22.

Digitized by Google

Angeli Dei in cælo. Et infrà: Quid est castitas virginalis, inquit, nisi expers contagionis integritas? S. Gregorius Nazianz. Virginitatem ait esse naturæ monasticæ, & angelicæ, immò Christi. Nyssenus dicit esse clavem & januam vitæ spiritalis, & incorporeæ in corpore. Probat quoque, quod per illam possit veniri ad similitudinem incorruptibilis Dei. B. Zeno Veronensis Episcopus ait: Si esset aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat suæ matri præstare, cui præstiterat, ut divinæ Virginitatis honore polleret. Greg: Nazianz: etiam metro eam laudat.

S. Greg. Naz. orat. 20. S. Greg. Nyss. sen. de Virg. c. 5. & 12. S. Zeno. serm. de continentia. S. Greg. Naz carm. 3.

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. (ô res omni mirabilis ævo?)
Virginitas fulvos potuit sopire leones:
Dente nec impuro generosos virginis artus
Ausi sunt premere, & rigido discerpere morsu.

Non immeritò S. Athanasius inter hujus divinæ virtutis encomia sæpe mirabundus exclamat, *ô Virginitas! ô Castitas!* Helena mater Constantini eam in sacris virginibus adeò coluit, ut has ad epulas suas ipsa invitârit: ipsa suis manibus vescentibus ministrarit, cibos apportarit. Filius quoque Deo consecratarum semper Virginum chorum tantum non adoravit, credens earum mentibus inesse eum, cui semetipsas consecrarant: quin & annonam ipsis annuatim regia liberalitate porrexit. Unde & S. Athanasius ad Constantinum Constantini filium inquit: Has præ alijs beatæ memoriæ pater tuus coluit: has & tua pietas non rarò in litteris *Sanctas* appellavit, & honore dignas. Honoris ergò in Ecclesia à reliquis feminis habebant locum tabulis separatum, quibus inscriptum erat, *Divisa est mulier & virgo:* Quæ non est nupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta & corpore & spiritu. Cùm prodibant, etiam nobiles matronæ passim accurrebant petentes ipsarum oscula. Quin & Gentiles non aliter ipsas aspiciebant, ac si viderent templum Dei, ut S. Athanasius tradit: unde & ipsi quoque suas habere voluerunt Virgines, nec alijs sua sacra committebant. Iulianus denique Apostata etiam monasteria Virginum ab Ethnicis ædificari mandavit; quamvis præceptum effectu caruit propter celerem parabatæ interitum.

S. Athan. ad Virg. Socrat. lib. 1. hist. cap. 17. Theodor. hist. l. 1. c. 18. Sozom. l. 2. c. 1. Ruffin. lib. 10 hist. cap. 8. Euseb. in vita Constant. l. 4. cap. 28. S. Athan. apol. ad Constant. 1. Cor. 7. S. Athan. apol. cit. B. Zeno. sup. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Sozom. lib. 5. hist. cap 15. S. Greg. Naz. orat. 9.

Cùm ergo Virginitas res tantæ excellentiæ & pretij sit,

non

Digitized by Google

non potuit carere suis insidiatoribus, & inimicis. Imprimis autem, teste S. Antonio, hostile semper dæmonibus odium fuit contra Monachos & Virgines Christi. Et ab his concitati sunt Ecclesiæ persecutores, & hæretici, qui omne virus effuderunt, ut sacras virgines, saltem possent corrumpere, si non in totum disperdere. Quid sub Decio, Valeriano, Maximino, Galerio, Maximiano, Juliano, non tolerarunt? non te ad historias Ecclesiasticas mitto, inspice solummodò nostrum Breviarium. Barbari quotiescumque Regiones nostras incursarunt, ad raptus & stupra primæ fuêre Christi sponsæ.

Quid hæreticos memorem? S. Athanasium, & eius successorem Petrū vix sine lacrymis legere poteris, ita fœdè crudeliterq; nudatas, compressas & occisas invenies fuisse sacras Virgines ab Arianis. In Africa sub Iuliano à Donatistis similia patrata sunt, ut de nostris hæreticis nihil dicam, quibus in hunc usque diem consecrata caro dulcior profanâ est, ut mirum non sit si puellæ Christi, horrore tantæ libidinis semetipsas vel denasarunt, vel in puteos, aut fluvios vel de tectis præcipites subinde dederunt: aut etiam sub habitu virili delituerunt: vel ea denique sacra strategemata excogitarunt, quibus illibatè aut virginitatem conservare, vel mortem subire valerent. Quale enim est crudorum pullorum carnes inter mammillas sub fascia ponere, ut fætore computrescentis carnis stuprum illaturos abigas? vel lascivienti militi promittere remedium contraferri aut telorum ictus, ut à primo experimento virgo ipsa ferrum recipiens intacta pereat? Hoc S. Euphrasia fecit; illud filiæ Romildæ conjugis Agilulphi Ducis: quamvis hæ Deo consecratæ non fuerint.

Quàm rationabiliter proinde sancivit Jovianus Augustus, ut capitis in eum ferretur sententia, qui Christo consecratam sponsam vel ad nuptias pelliceret, vel obscœno oculo intueretur, aut rapere esset conatus: res quippe sacrosancta est, impurè contingi non debet: aliàs non impunè. Certè S. Ambrosius memorat, subitanea morte percussum à Deo, qui virginem ad nuptias à parentibus impulsam, ab Ecclesia, in quam confugerat, nitebatur abripere. Scilicet virginitatis dignitas etiam ex eo apparere debebat, quò Deus ipse volebat signo demonstrare, quantus eius cultor & ultor esset.

Porrò non arbitreris me usqueadeò virginitatem extol-

S. Athan. in vita S. Anton.
S. Cyprian. epist. 77.
Euseb. l. 8. hist. c. 14. 18.
S. Basil. lib. de Virg.
Theodoret. l. 3. hist. c. 6.
S. Greg. Naz. orat. 7.
Sozom. lib. 5. hist. c. 9.
S. Cyprian. ep. 52.
S. Greg. Thaû. ep. can. 1.
Possid. de S. Aug. c. 28.
S. Aug. de Vrbis excid. c. 11. & l. 1. Civit c. 16 & 19.
S. Athan. apol. ad Constant.
Et de fuga sua.
Et apol. 2.
Et ep. ad Monachos.
Et in protest.
Socrat. l. 4. hist. c. 20. 21.
S. Greg. Naz. orat. 21.
S. Hilar. l. ad Constant.
Optat. Milevit. l. 2. & 6.
Matth. Westmonast. hist. Angl. S. Antonin. 3. p. chron. c. 12. c. 9. § 11. S. Athan. apol.
S. Ambr. l. 3. Virg.
Euseb. l. 8. hist. c. 5. & 6.
Paul. Diac. l. 4. c. 14.
S. Greg. l. 8. epp 36.
Niceph. l. 7. hist. c. 13.
Sozom. l. 6. hist. c. 3.
S. Ambros. l. 1. Virg.

Digitized by Google

Euseb. l. 3. hist. c. 29. & 30. Clem. Alex l. 2. & 3. Strom S. Epiph. hæres. 23. 48 67 63. S. Athan. hom. contr. hæres. S. Hilar. l. 2. Trin S Aug. l. hæres. 40 47. & l. 16. contr. Faust. c. 31. & l. 30. cap. 5. S. Basil. ep. 1. ad Amphil. c. 47. Concil. Gallican. A. D 1176. c. 23. Orig. hom. 7. in Matth. cap. 60. S. Ambr. sup. S. Basil. in præfat. ascet. S. Greg. Nyssen. l. de Virg. cap. 5.

lere, ut ex adverso nuptias damnare velim, sicut fecerunt Nicolaitæ, Saturniliani, Julius Cassianus, Marcion, Cataphrygæ, Hierax, Encratitæ, Saccophori, Origeniani, Apostolici, Manichæorum electi, Albigenses. Quorum aliqui dixerunt uxores ducere & liberos procreare ex dæmone esse: aliqui naturam ipsam ex mala materia malam esse ortam; aliqui nuptias esse opus abominabile: Omnes hi de numero hæreticorum sunt: Qui enim Religionis specie nuptias damnant, hæretici sunt, ait Concilium Lateranense A. D. 1139. & Origenes pridem docuerat, hæreses esse, quæ nubere prohibeant. *Laudibus Virginum,* inquit S. Ambrosius, ***non damno nuptias***: *qui enim damnat copulam, damnat & filios.* Interim non nubere melius est, sicut nec uxorem ducere, ei maximè, qui cupit Deo perfectius servire: Non te stimulet feminæ cupiditas, ait Magnus Basilius; non cura liberorum: hæc enim impossibile est consistere cum nostra hac militia. Eius frater germanus S. Gregorius Nyssenus docet, idcircò excogitatam esse corporis virginitatem, ut per eam in oblivionem veniremus motuum & affectuum corporalium, dum præscindit necessitates, ad quas nos trahit infirmitas carnis. Unde virginitatis officium esse decernit videre, ne mentis nostræ sublimitas deprimatur ad voluptates; & pro eo quòd sursum intuitum animus defigere debeat, respiciat ad carnem & sanguinem. Inferius ait: Conjugium esse radicem & fontem omnis inanis studij, inutile penitus ad vitam nostram philosophicam. S. Ambrosij enim derivatione Conjugium sine jugo non est. Denique Esseni non idcirco à nuptijs abstinebant, quod damnabiles essent, sed quod impedirent hominem à vera mentis libertate, de qua re vide quæ de ipsis olim tibi scripsi.

cap. 7. S. Ambr. l. 3. Virg. Epist. 13.

A. D. 590. S. Greg. Naz. ep. 193. S. Ambr. sup.

Hoc quidem prohibitum esse lego, ne sexus uterque religiosus nuptijs intersit. *Abbas aut Monachus,* inquit Concilium Hispalense, *nuptijs non intersint.* rationem assignat S. Gregorius Nazianzen: *ne misceantur immiscibilia,* unde & non modò nuptias, sed & convivia sacris virginibus vetat, quod & facit S. Ambrosius, dicens in convivijs teri pudorem, audaciam emicare, risum subrepere, modestiam solvi. Saltationes autem virginum penitus detestatur: non enim saltare nisi qui insaniat: Quid enim verecundiæ, ubi saltatur? Et ubi vera virginitas ubi nulla verecundia? Virginitas in tanta altitudine sita

est,

eſt, ut contemnat omne, quod terrenum ſapit: hinc ſola eſt quæ ſuaderi poteſt, imperari nonpôteſt, res magis voti, quàm præcepti, ut ait Doctor Mediolanenſis. Idem exhort. ad Virg.

EPISTOLA CXLV.

De Ortu & Progreſſu ſacrarum Virginum.



Irgines, de quibus tibi loqui cœpi Ioſippe, varijs antiquitas appellat nominibus. Communiter dicuntur *Sacræ*, quod Deo conſecratæ ſint: Item *devotæ:* S. Ambroſius: *Devota Deo diceris; ipſius enim* (Chriſti) *te devoviſti eſſe ſponſam. Quid tibi cum hominibus ſæcularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Quid quæris ſæculum cui renunciaſti? Devoviſti animam tuam ad deſtruenda omnia, quæ ſunt huius ſæculi.* In eumdem ſenſum S. Athanaſius probat Virgines haſce, neque ſacras, neque Dei ſponſas verè eſſe aut dici, ſi non renuncient omnibus curis & poſſeſſionibus terrenis: Quæcumque enim ait, curæ terrenæ dedita eſt, corrumpitur ab ea, unde talis nequit dicere ex Apoſtolo, quod ſoli Deo adhæreat, adeoque quod ſponſa Chriſti ſit: hæc eſt enim voluntas Chriſti, ut qui ipſi adhærere velit, nihil terrenum curet, aut ſecum habeat. Alibi ait: Dei filius Dominus Salvator noſter Iesus Chriſtus, homo factus propter nos, deſtructa morte, eripuit genus noſtrum à ſervitute corruptionis: is præter cetera alia, quæ largitus eſt nobis, & hoc contulit, ut haberemus imaginem ſanctitatis angelicæ ſuper terram, ſcilicet virginitatem, & hanc colentes virtutem ſolet Eccleſia vocare *Sponſas Chriſti.* S. Auguſtinus eas appellat *Dei puellas, ſanctas Virgines,* & ab hac ſanctitate *Sanctimoniales* ſicut â caſtitate Caſtimoniales: nam *Moniales* paſſim ab omnibus nominantur, quod vitam colant monaſterialem, ſeu monachicam, unde & *Monachæ* dictæ ſunt. Si quis, inquit, Concilium Romanum I. ſub Gregorio II. *Monacham*, quam *Dei ancillam* appellamus in conjugium duxerit, anathema ſit. Sic Bonifacius Papa prohibet, ne *Monacha* ulla pallam ſacratã tangat. quo vocabulo etiam utitur ſanctus Greg: Turon: in S. Monegunde & S. Hieronymus loquens de Blæſilla: & alij frequenter, hinc *Monaſteria Monacharum* in Concilio Pariſienſi. A.D. 829.

S. Ambr. l. ad Virg. devot. c. 1.

S. Athan. ad Virg.

Idem apol. ad Conſtant.

S. Aug. l. 4. contr. Iulian. c. 2. & Serm. 22. V.D. & in pſal. 75.

A.D. 721. can. 1. 2. 3.

Anaſtaſ. in eius vita.

A. D. 419. Greg. vitt. PP. c. 11.

S. Hieron. ep. 25.

Conc. Matiſcon. I. Oecũ. VI. can. 46.

Paris. c. 46.

Ancillas Dei non modo eas nuncupavit Concilium Romanum,

Zacch. ep. 7. c. 5. Lib. Gelaſ. cap. 32.

manum, verùm etiam Zaccharias Papa ex decretorio Gelaſij, ubi vetat, ne Monachæ ſeu Ancillæ Dei ad Miſſas cantent *Alleluia,* ſeu Reſponſorium, cùm hoc virorum ſit. De *Ancillis Dei monaſterialibus* legis in Concilio Auguſtano ſub S. Bonifacio.

Raven. III rubr. 11. Tertull. de veland. Virg. c. 7. S. Ephr. ſerm. de Virgin. S. Ambr. ad Virg. devot. cit. 1. & 3. Lib. 1. vitt. pp.

Concilium Ravennate *Ancillas Chriſti,* Tertullianus autem *ſolius Chriſti* appellat. Et ſicut Religioſi dicuntur *Fratres,* ſic illæ *Sorores:* S. Ephraim *Fratrem,* inquit, ſive *Sororem* aggrediens Dæmon &c. & S. Ambroſius: Rogo Soror, & poſt: ut mihi *Soror, & Domina* dicaris, cave de iſtis. En etiam *Domina:* quod in vita S. Euphraſiæ non ſemel invenies.

Euſeb. l. 4. hiſt. cap. 14. Epiſt. 7. A. D. 400. can. 9. S. Bern. epiſt. 114 Can. 5.

Euſebius Cæſareenſis eas compellat *Aſcetrias,* unde & nos quoq; *Aſcetæ,* ut alibi tibi ſignificavi. In concilio Toletano *Profeſſæ* audiunt: Nulla profeſſa, vel vidua, abſente Presbytero in domo ſua Antiphonas faciat. Aliàs etiam *Nonnæ* indigitantur: S. Bernardus: *Ut quid enim Nonna & Sanctimonialis appellata es?* Concilium Auguſtanum jubet Nonnas propter crimen ſacrilegij radi. Hinc *Nonnæ velatæ* ibidem. In Concilio Romano. A.D. 743. *Nonnã & Monachã* habes. Docet autem S. Hieronymus antiquas & ſenes virgines aut ſacras viduas *Nonnas* eſſe dictas Rectè: nam ſicut Nonnus reverentiam paternã, ſic Nonna maternam ſignificat. Concilium Moguntinum I. *Nonnanes* dicit.

Epiſt. 119. S. Aug. epiſt. 109. Can. 13. 14. S. Greg. Turon. l. 9. hiſt. Franc. cap. 39 Optat. Milev. libro. 2. Salvian. ep. 4. S. Hieron. ep. 24. 27. 48. Conc. Paris. ſup. c. 39. S. Ambr. l. 3. Virg. S. Baſil. ſerm. 2. inſtit. mon. Port. 50. c. 13. Ex conc. Ebo. rac. A.D. 1197 cap. 3. S. Greg. Turon. ſup. l. 10. cap. 15.

Earum Præfectæ, nunc *Abbatiſſæ* nunc *Præpoſitæ,* nunc *Prælatæ,* nunc *Principales,* nunc *Matres* & *Antiſtitæ,* nunc *Prioriſſæ* nominantur. De Abbatiſſis iam ſemel tibi dixi; In Regula S. Auguſtini nomen *Præpoſitæ* non ſemel eſt. Concilium Aquiſgran. A. D. 836. mandat qualiter *Prælatæ* eligendæ ſint, & ut provideant, ne in ſuis monaſterijs anguli ſint, aut loca tenebroſa, ubi DEUS offendi poſſit. In Canone 64. Concilij generalis Lateran. ſub Innocentio III. dicitur de Monialibus, ſive ſubdita ſit, ſive *Prælata.* Apud Gregorium Turon. idem *Principalis & Abbatiſſa* eſt, quæ Optato Milevitano & alijs *Mater* ex dignitate dicitur: loquens enim de furore Donatiſtarum: inde, inquit, revertentes invenerunt *Matres* (nempe Antiſtitas ſacrarum virginum) quas de Caſtimonialibus fecerunt mulieres. Eaſdem S. Ambroſius *Magiſtras* vocat, ſicut & S. Baſilius *Sororum Magiſtram.* Denique in appendice Concilij Lateran. Sub Alexãdro III. *Prioriſſam* pro Abbatiſſa habes: quamvis ſubinde hæc Abbatiſſæ ſubſit: ſicut & Præpoſita non ſemper ſupremum locum habet, unde & Præpoſiti iuxta Regulam S. Benedicti Abbatibus ſubiacere tenentur. Omni-

Omnium ſacrarum Virginum anteſignana eſt immaculata Virgo Mater Chriſti: ab hac enim dignitas virginalis in Eccleſia eſt: prima quippe ex omnibus hominibus votum emiſit perpetuæ virginitatis, ut habetur in vita B. Mechtildis Virginis. Unde eam SS. PP. reliquis Chriſti Virginibus ſemper tamquam ſpeculum, & ſpecialem formam & normam vitæ propoſuerunt: De tanta enim excellentia in veteri teſtamento nihil invenitur: Chriſtus eam primus docuit, â cuius Aſcenſione in Cælum tanta fecunditate effloruit, ut inter Orbis miracula numerari poſſet, ſexum infirmiorem rem adeò arduam tam felici ſucceſſu auſum fuiſſe aggredi. Inter primas, ſi non primæ fuerunt, quattuor filiæ Philippi Diaconi, qui Samariæ Evangelium prædicavit, & ſacro fonte primum lavit Æthiopem. S. Martha hanc ipſam ſacram profeſſionem in Galliam intulit, ubi & primum ſacrarum Virginum Collegium inſtituit. Ex S. Jgnatio Antiocheno noſſe poteris, eius tempore iam fuiſſe monaſteria Monialium: hic autem diſcipulus erat Apoſtolorum Chriſti. S. Thecla diſcipula erat S. Pauli, cui mundi contemptum tamquam myrrham inſtillavit, quo illa & vitam & amorem ſæculi contempſit, teſteque B. Ambroſio copulam fugit nuptialem DEO ſemet conſecrans. Philo Iudæus, qui SS. Apoſtolos de facie novit, poſtquam vitam monaſticam Eſſæorum ad vivum deſcripſit, meminit Virginum voluntariarum ætatis jam defectæ, ut vel ex hoc cognoſcas, quàm citò ſemen Virginale â Chriſto in terram jactum fructificarit. Graſſantibus perſecutionibus inter primos ſemper ſævitum in ſacras Virgines eſt. Si unam aut alteram noſſe cupis, habes Fl. Domitillam cum collactaneis ſuis, quæ â Domitiano relegatæ â Traiano vivæ combuſtæ ſunt: His autem ſacris Virginibus Clemens Papa Virginitatis velum impoſuit. S. Eugeniæ Acta teſtimonium perhibent in primitiva Eccleſia Virgines admodum floruiſſe, quod etiã teſtatur Euſebius, & Nicephorus. Tertullianus de velandis virginibus docet ab Apoſtolorum temporibus virgines non ſolum fuiſſe, ſed etiam velatas certo ritu fuiſſe tam apud Græcos quàm apud Barbaros. Origenes eodem tempore vixit. Hic non ſemel ſcribit, quantum ſuis temporibus Eccleſia floruerit virginibus. Erat harum ipſe Magiſter: hinc ſuſpiciones ut caveret, ac tentationibus carnis iter intercluderet, ſemetipſum eviravit. Vivente adhuc Origene S. Cyprianus in Africa ordinatus eſt Epiſcopus;

S. Aug. ſerm. 63 diverſ. c. 26. Et lib. de Virg. cap. 3. Lib. 4. vitt. PP. Occid. S. Ambr. l. 1. Virg Ivo epiſt. 10. Orig. hom 2. in Cant. S. Aug hom. 33. ex Matth. 19. Act. 21. S. Hier. lib. 1. contr. Iovin.

Ex vita eius. S. Ignat. epiſt. 8. 10. 12. 13.

S. Greg Nyſſen. hom. 14. in Cont.

S. Ambr. l. 2. Virg. Baron. A. D. 45. Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 17.

Euſeb. l. 3. c. 19. Baron. A. D. 98.

Lib. 1. vitt. PP.

Euſeb l. 8. c. 24. Niceph. l. 3. cap. 23. Tertull. l. de veland. Virg. cap. 2. Orig. hom. 3. in Genes. & hom. 3. & 11. Num. Euſeb. lib. 8. hiſt. cap. 8.

Digitized by Google

S. Cyprian. ep. 69. Et, Epist. 52. & 77. Et l. de lapsis.

hic Epistola 52. scribit: *Floret Ecclesia tot Virginibus coronata.* Et in alia: Tot, inquit, Virgines integræ, tot laudabiles viduæ in plebe nostra sunt. Multas illarum, ait, â Barbaris in captivitatem raptas, multas â Decio interemptas, multas â Valeriano ad metalla damnatas, & graviter tortas. Ast sicut sanguis martyrum, semen Christianorum est, sic illis temporibus, quantò sacræ virgines opprimebantur, tantò magis multiplicabantur & crescebant, ut dicat Eusebius Pamphili, exprimi facilè non posse, quot illarum myriades per mundum universum suo ævo vixerint. S. Basilius quoque scribit Ecclesiam in maius profecisse, Virginumque Ordinem magnis crevisse auctibus. Gregorius etiam Nazianzenus Sanctimonialium per totum Orbem esse plurimam multitudinem dicit, singillatim verò in Armenia nihil esse clarius, & pretiosius, quàm cœtus sacrarum Virginum. Sed fidem penè excedit, quod ait S. Ambrosius: Discite quantas Alexandria, totiusque Orientis, & Africana Ecclesia quot annis Virgines sacrare consueverint. Pauciores hìc homines prodeunt, quàm illic virgines consecrantur. Timebant aliqui ex hoc mundum defectu posteritatis periturum. Sed sanctus Doctor breviter, *Quis, inquit, quæsivit uxorem & non reperit?* Denique S. Augustinus ait, per totum Orbem fuisse suo tempore innumerabilem multitudinem Monialium per insulas, eremos, urbes, agros, vicos, ut Faustus hæreticus ipsi obiecerit, plures esse sacratas virgines penè quàm cõiugatas.

Euseb. l. 3. demonstr. Evāg. c. 6. fol. 129.

S. Basil. ep. 2. ad Amphil.

S. Greg. Naz. carm. 47.

S. Ambr. l. 3. Virg.

S. Aug. l. de vera relig. c. 3.

Idem l. 30. contr. Faust. cap. 4.

Vide mi Josippe, quantum in Ecclesia olim status virginum floruerit: Non obijcias hìc mihi illas decem solummodo, quas Christus in parabola induxit. Absit, inquit meus Augustinus, ut tanta virginum multitudo ad tam exiguum numerum revocetur. Fortè autem dicat aliquis: Quid si multæ sunt nomine, & tam paucæ sunt in veritate, ut vix decem inveniantur? Non ita est. Certe si ad particularia te loca duxero, facilè computabis quàm ingens turba Sanctimonialium per integrũ Orbem fuisse oporteat. S. Cyrillus Hierosolymitanus scripsit suas Catecheses circa annum Christi 360. in his dicit: Virgines sacras multo numero reperiri non solùm Hierosolymis, verùm etiam in toto Orbe Romano, quin & apud Persas & Indos, Gothos, & Sauromatas, Hispanos & Mauros, Afros & Æthiopas. Quàm multas, tam mediocres, quàm nobiles & illustres sola Constantia Constantini Magni filia ad sacrum velamen Romæ

Matth. 25. S. Aug. serm. 22. V. D.

S. Cyrill. catecheses. 16.

S. Damas. eleg. 3. de S. Agnete. S. Ambr. serm. 90.

attra-

Digitized by Google

attraxit? Alexandriæ quanta illarum copia erat? Cum A. D. 349. S. Athanaſius ab exilio rediret ad ſedem ſuam, audi obſecro, quo ſigno populus aperuerit ſuæ mentis lætitiam. Non arcus triumphales erexerunt, ſed virginales: Quot feminæ, inquit ipſe S. Pater, nuptias iam meditantes, manſerunt Chriſti virgines? Quot feminæ perſuaſerunt viris ſuis, quot à viris perſuaſæ ſunt, ut vacarent orationi abdicatâ copulâ? S. Ambroſius de ſe ait: De Placentino ſacrandæ virgines veniunt, de Bononienſi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur: magnam rem videtis. Ex ultimis infrà ultraque Mauritaniæ partibus deductæ Virpines hic ſacrari geſtiunt, & cum ſint omnes familiæ in vinculis; pudicitia tamen neſcit eſſe captiva. Ad funus S. Chryſoſtomi tanta multitudo Virginum ex Syria, Cilicia, Ponto & Armenia repentè confluxit, ut putarent plurimi, ex condicto eas adveniſſe. Quid ſi ergò ex condicto? Cum autem hic magnus Orator & Pontifex in exilium duceretur, ſcribit ipſe tota agmina Monialiũ in Cappadocia & Taurocilicia ſibi occurriſſe, fleviſſe, ac dixiſſe: *Melius fuiſſe ſi Sol radios ſuos continuiſſet, quàm os Ioannis conticeſcere.* De Roma narrat S. Auguſtinus quantus numerus ibi Sanctimonialium, & ancillarum DEI fuerit, cum eam Rhadagaiſus Rex Gottorum paganus occuparet. Hoc uno Chriſti anno 343. ſub Rege Sapore in Perſide infinita multitudo Presbyterorum, Diaconorum, Monachorum & ſacrarum Virginum Martyrium fecerunt. Adde iam eas, quæ antè & pòſt in hac Provincia fuerunt. Gallia non infecundior alijs regnis Virginibus fuit. Ad ſepulturam S. Martini ingens chorus earũ convenit, & ſola S. Aurea Pariſijs ſub ſe habuit trecentas Chriſti puellas. Ad noſtram Germaniam te non duco, nec ad tempora viciniora. In omnibus penè concilijs de ſacris virginibus agitur. Conſtat ergo eas ſemper & ubique fuiſſe, & ferme non eſt Civitas in qua Collegium virginum Caſtimonialium non ſit.

S. Athan. ep. ad Monach. fol. 639.

S. Ambr. l. 1. Virg.

Baron. A. D. 407.

S. Chryſoſt. epiſt. 125.

S. Aug. er. 11. de urbis excid. cap 2

Sozom. l. 2. hiſt. cap. 12.

Sulpit. ep. 3. ad Baſſul. Lib. 1. vitt. PP. Occid.

Hoc ad finem celare te nequeo: Per ſacram virginem Iberos ad Chriſti fidem eſſe converſos. Capta ab his de vicinia erat. At quid Captivitas nocere poteſt mentis libertati, & pietati? Quod domi didicerat, etiam in captivitate exercebat, βίον σεμνὸν ϗ σώφρονα μετερχομένη, ut ex Græca phraſi intelligas Sanctimonialem fuiſſe; religioſam ergo vitam ducens corpus lectulo cilicino atterebat, ac ſeveriſſimis jeiunijs: ſingularis ei pu-

Socrat. l. 1. c 20. Theodor l. 1. hiſt. c. 24 Sozom. l. 2. c 6. A. D. 327

Digitized by Google

dicitia inerat, vacabatque assiduis precibus, ut etiam Barbaris admirationi esset. Fortè Regina cum filio adversa premebatur valetudine, quæ audita sanctitate Christianæ puellæ eam ad se curavit adduci. Renuit principio ire sacra virgo causata suam humilem conditionem. Tandem ivit & invocato Christi nomine, utrumque sanavit. Cùm Rex ob id muneribus eam vellet afficere, illa repudiatis donis suas opes esse dixit pietatem: sat munerum esse, si Rex in Christum crederet. Varias hoc captivæ verbum ac factum Regi cogitationes injecit. Qui altero ab hoc die cùm inter venandum grave periculum incurrisset, ne quidquam invocatis patrijs dijs, suæ demum captivæ & Christianorum Deum inclamans periculo ereptus est. Ut domum concessit, quid sibi contigisset, omni populo annunciavit. Partita ergo plebe Rex viris, puella Christi feminis fidem prædicavit, docuitque more Christianorum ædificare templa. Habes ergo Iosippe Virginem sacram, immò & Apostolam in Iberia.

EPISTOLA CXLVI.

Varia genera Deo sacratarum Virginum.



OLim in Ecclesia non omnes sacræ Virgines habitabant in cœnobijs, ut hodie. Tanta namque ut audisti, multitudo erat, ut persecutores tot monasteria non admisissent, nec cessantibus persecutionibus tam citò extrui potuerint. S. Gregorius Nazianzenus postquam multitudinem earum adstruxisset, *Pars earum*, inquit, *sub ijsdem tectis*, nempe in Collegijs, *se exercet; pars parentum infirmorum curam gerit; pars cum fratribus habitat testibus castitatis*, significans dupla monasteria: addit enim semetipsum non paucas habere prope suum Ascetерium. S. Augustinus quoque testatur suo tempore Virgines sacras, tam extra, quàm intra Cœnobia vixisse, uniusque expressè meminit, quæ in rure proprio vixerit extra communitatem, & hinc ejusmodi Virgines dictas esse *rusticanas*, quarum unam etiam S. Martinus laudibus extulit, quod secum tamquam cum viro colloqui non voluerit. Utrumque genus etiam in S. Ambrosio reperis: Nam l. 1. de virginitate ait, Bononienses Virgines ad vicenarium numerum sine contubernali sexu relicto parentum hospitio simul habitare, nunc canticis spiritualibus personan-

S. Greg. Naz. carm. 47.

S. Aug. serm. 49. divers. Idem l. 5. Civit. c. 6. & l. 22. c. 8. Sulpit. dial. 2. c. 13.

sonantes, nunc victum operibus exercentes: Exhortatio verò ad Virgines, quam tomo primo eius operum invenies ad domesticam sacram Virginem est, unde ait: *Nullus sit tuus sine matre progressus; quæ sit anxia custos pudoris.* Ad similem Sanctimonialem illa ipsius institutio est, quam habuit ad Ambrosiam Eusebij filiam. Quin sancta Marcellina soror eius in proprijs ædibus semetipsam exercebat cum socia altera Virgine: S. Cyprianus quoque epistolam scripsit ad domesticas virgines, qua graviter perstrinxit ipsarum cohabitationem cum masculis, etiam in eodem lecto, quamvis, ut ipsæ fassæ sunt, illibata virginitate. Ita liber S. Basilij de virginitate nonnisi tangit extraneas virgines, de quibus habetur in jure. Si quæ puellæ religiosum habitum in domibus suis mutantes nubunt, maneant suspensæ à communione: Et in Concilio Aurelianensi: Illæ quæ domibus proprijs tam puellæ, quàm viduæ commutatis vestibus conversantur, cum his, quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur.

S. Cyprian. ep. 62.

17. q. 1. de Viduis.

Aurel. V. A. D. 549.

Utrumque genus, teste Tertulliano, Ecclesia recepit ab initio fundatæ virginitatis, & liberum erat unicuique vel includi, vel non. Et verò etiam domesticæ Virgines magna sæpe specimina sanctitatis edidêre. Talis fuit sanctissima Agatha, quæ non modò carnis illecebras, verùm etiam terrena cuncta contempsit, ut de ea S. Damasus canit: Talis beata Agnes, quam idem templum Domini, ac devotam Christo appellat, cujus virginitatis exemplum plurimæ Romanæ Virgines longo tempore imitatæ sunt, ut scribit B. Ambrosius, qui eius passionem multis graphicè commendat. Sed hæc extranearum sanctitas tam constans non fuit, atque cœnobiticarum sub obedientia & magisterio Præpositæ degentium. Videas hodie viros religiosos deficere, si extra Cœnobia vitam agant, & quanto magis feminæ sexu infirmiores? Unde illas Tertullianus appellat *Virgines hominum & prostitutas*: has autem *Virgines Dei.* Iterum ipsarum petulantiam, & impudentiam castigat, *capita nundinalitia* vocans: Trahebant enim quidam Virgines Dei ad Ecclesiam, ut eas sublato velamine detegerent. *O sacrilegæ*, inquit, *manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid peius aliquis persecutor fecisset? Denudasti puellam à capite & tota iam sibi Virgo non est; alia est facta.*

Tertull. l. de veland. Virg. cap. 3.

S. Damas. t. 4. Bibl. PP.

S Ambr. serm. 90. & l. 1. Virg.

Tertull. sup.

Credo, Josippe, Virgines illas extraneas erubuisse de va-

Digitized by Google

lamine, & inde etiam inclusis suasisse depositionem veli, sicut videmus Monachos aliquos extra monasteria sitos erubescere de suis capucijs, quæ tamen in Cœnobijs portant. Nam vide quid in simili S. Hieronymus de illis dicat: *Pudet dicere,* inquit, *quot quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio mater Ecclesia perdat; super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum; quot petras excavet & habitet coluber in foraminibus earum.* Post quæ meritò vocat eas *adulteras Christi* & *sacrilegas,* quæ eò dementiæ pervenerunt, ut si quas alias ob crebra iejunia viderent pallidas, vocarent *Manichæas & miseras.* Addit easdem Mavortem quidem cum alijs, sed nimis luxuriosam portasse, in argumentum laxatæ pietatis. Eodem spiritu cum sancto Hieronymo deplorat harum Virginum graves ruinas, & plurimarum corruptiones ex illicita cohabitatione cum viris S. Cyprianus Martyr, dicens eas esse *Christi adulteras,* decernit proinde, si de cetero cum maribus vel in domo simul sint, & sub eodem tecto dumtaxat, ut ex Ecclesia eijciantur, nec facilè recipiantur. Ex S. Basilio jam semel ostendi, quàm corruptè hæ Virgines vixerint. S. Augustinus quoque graviter in easdem invehitur, quod hinc inde discurrant loquentes, quæ non oportet; quòd sint superbæ, linguatæ, ebriosæ, & concludit, melius esse humile conjugium, quàm superbam virginitatem: *Quid enim prodest integra caro mente corrupta?* Hinc etiam D. Ambrosius eas dehortatur à loquacitate, à convivijs & levitatibus, & S. Athanasius ab ambitione & vana gloria, arrogantia & avaritia, quod vitium in eis non leviter arguit Salvianus etiam, dicens tantam imperfectionem esse inter monstra reputandam.

S. Hier. ep. 22.
S. Cyprian. ep. 62. & de discipl. & habit. Virg.
S. Basil de Virg.
S. Aug. in psal. 99.
S. Ambr. l. 1. Virg.
S. Athan. ad Virg.
Salvian. l. de avarit.

Atque his de causis hoc genus Virginum ab Ecclesia sublatum est. Primum huius rei decretum in Concilio Carthaginiensi sub Episcopo Grato reperio, quo prohibetur, ne imposterum Virgines sacræ seorsim cum laicis habitent, aut extraneis propter occasiones peccandi, & suspiciones inde sæpenumerò natas. Hoc decreto aliquid effectum esse nullus dubito; mansisse tamen aliquas extra collegia tam ex S. Augustino, quàm ex Salviano post hoc Concilium non ignoro. Atque eadem cura tetigit etiã alias provincias: omnimodis enim coërcenda fuit libertas feminea, quæ tanto insolentior, quanto à freno Magisterij solutior est. Sic ut tandem Ecclesia statuere coacta sit, qualesquales tonsuratos, viros & feminas, si spontè intrare cænobia

Carthag I. A.D. 348.

nobia

Digitized by Google

nobia nollent, eos illuc compellere, ut expresse in Concilio Parisiensi habes A. D. 756. Atque hoc modo Virgines sacræ extra monasteria viventes in Christi Ecclesia paulatim cessarunt: nulla quippe amplius consecrabatur, nisi quæ volebat vivere in Cœnobijs. Vide epist. 7. Can. 11.

Erant tamen adhuc aliæ Virgines in Ecclesia maximè primitiva, quibus non erat votum castitatis perpetuum, sed vel nullum, vel dumtaxat ad tempus. Cùm enim nollent alijs, quàm Christianis nubere, & pauci mariti Christiani pro numero Christianarum Virginum essent, fiebat, ut augeretur etiam harum Virginum in Ecclesia numerus, & his S. Paulus ait, ut nubant, si se continere non possint, ut S. Epiphanius exponit. Hinc observas Eusebium Christo in perpetuum dicatas Virgines non absque causa vocare ἀειπαρθένους, *semper Virgines*: eas namque ab illis *temporarijs Virginibus* distinguere voluit, de quibus etiam S. Cyprianus ait: *Quod si ex fide se Christo dicaverunt* (ad tempus scilicet) *publice perseverent: si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.* Certè sanctus Doctor hæc concedere perpetuis Virginibus non potuit, alioquin non dixisset eas *adulteras Christi*, si Matrimonium earum transgressio voti non esset. 1. Cor. 7. S. Epiph hæres. 59 & 61. Euseb. l. 4. de vita Constantin. c. 28. S. Cyprian. ep. 62. Vide Pamel. in notis ad S. Cyprian.

Atque hæ Virgines temporariæ ab illis perpetuis tam extra, quàm intra Cœnobia versantibus longè distabant: hæ enim veræ Religiosæ, illæ non erant, ut quæ nubere possent, & bona propria possidere, secus quàm illæ: indifferenter enim ab omnibus *semper Virginibus* S. Basilius in constitutionibus monasticis requirit votum paupertatis, id quod etiam ex S. Athanasio suprà audivimus, dum ait Virginem sacram, sacram Dei sponsam non esse, si non renunciet omnibus possessionibus terrenis. *Semel mundo mortua*, ait S. Ambro: ad domesticam Virginem, *ne quæso tetigeris, ne attaminaveris, quæ sunt huius sæculi. Devovisti omnia quæ sunt huius sæculi, reverti vis ad vomitum? Quid desideres nescio. Si aurum, argentum, si vestem splendidam? hoc tibi non placuit cùm Deo te consecrares. Vt mihi soror & Domina voceris, cave de istis.* Poterant tamen de licentia Episcoporum eæ quæ in ædibus proprijs versabantur habere, quæ ad victum quotidianum requirebantur, sicut Eremitæ & Monachi, ac pœnitentes domestici, ex quibus etiam eleemosynas dare poterant, & à SS. Patribus jubebantur. Ita sanctus S. Basil. const. monast. fol. 390. t. 2. S. Athan. ad Virg. S. Ambr. instit. ad Virg. c. 16. Idem ad Virg. devot. c. 1. & 3.

S.Ambr & Salvian. citt. Paulin. in vit. S.Ambr.

ctus Ambrosius quo tempore ordinatus est Episcopus, aurum omne atque argentum, quod habere poterat, Ecclesiæ vel pauperibus contulit; Prædia etiã quæ habebat, reservato usu fructu germanæ suæ (S. Marcellinæ) donavit Ecclesiæ suæ. Sed hæc ipsa licentia transijt in abusum: plurimæ namque contra votum paupertatis sua tamquam propria possederunt, transferentes religiosam tenuitatem in luxuriam. Et hoc est quod queritur S. Augustinus dicens multas fuisse Sanctimoniales quæ non implerint, *Vade, vende omnia &c.* Salvianus autem vir ingentis zeli, ejusmodi Virgines inter stultas dinumerat, aitque ipsas injuriam facere religiosæ Professioni, in quas etiam graviter invehitur, quòd multa famulantium ministeria, & ingentes alant familias sanctæ quieti adversas, & opes. *Possessione,* ait, *& usu opum non suffulcitur Ecclesia, sed evertitur.* Qua de causa rectè statutum est hodie in Ecclesia, ut deinceps non liceret Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructũ, vel usum, quod olim licitum fuisse verbũ *Deinceps* ostendit.

S. Aug. l. de Virg. c. 45. Salvian. cit.

Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regul.

Omnes Sanctimoniales olim singularem obedientiam tenebantur exhibere Episcopis suis.

S. Greg. Naz. carm. 3.

Quo duce (inquit S.Greg.) *certa teris fluxa vestigia vitæ,*
Huic taciturna tuum Virgo submittito collum.
Mortua sis cunctis alijs.

Can. 54.

Regebant autem Episcopi illas vel per se, vel per Presbyteros, qui nunc vel Parochi locorum, vel Confessarii sunt; immediatè autem per Præpositas vel Matres, si inclusæ in Monasterijs erant. Concilium Nicænum ad hoc concedit Episcopis Chorepiscopos. In Concilio Charthaginiensi dicitur: *Qui Religiosis feminis præponendus est, ab Episcopo loci probetur,* atque huic tali Presbytero loco Episcopi magis tenebantur obedire, quàm Matribus. *Præpositæ tamquam Matri obediatur,* inquit S. Augustinus, *multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendumq; curetur ad Præpositam præcipuè pertinet, ita ut ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat, quod modum vel vires eius excedit.* Si quid etiam vires Presbyteri excedebat, ad Episcopum referri debebat, ut idem S. P. ibidem decernit dicens: *Si autem deprehenditur atq; convincitur, secundum arbitrium Præpositæ, vel Presbyteri, vel etiam Episcopi gravius emendetur.* In Concilio Cabilonensi,

Carthag. IV. can 97.

S. Aug. ep. 109.

quo

Digitized by Google

quo Presbyteri, extra casum celebrationis, â monasterijs Monialium reiecti sunt, dicitur: *Quidquid in his capitulis, quibus leges sacris virginibus præscribuntur, minus est, ab Episcopo suo Abbatissa perquirat, & illi in omnibus obediens sit secundum Canonicam institutionem, sicut iustum & rectum est.* Ita S. Gregorius quoque: Episcopus in vitam & actus Abbatissæ, & ancillarum DEI sollicitudinem habeat, ac delinquentes iuxta sacrorum Canonum vigorem modis omnibus vindicet. Unde graviter arguit Vitalianum Episcopum Sipontinum, quod per ipsius negligentiam Monialis quædam apostatarit: *Si custos,* inquit, *religiosi habitus, aut esse nosses Episcopus, te illuc posito non licuisset* &c: Hodie plurimæ Moniales ab jurisdictione Episcoporum exemptæ sunt, ratione Ordinum exemptorum, â quibus reguntur, quorumque Regulas ipsæ observant.

A.D. 813. c. 60. & 65.

S. Greg. l. 6. epp. 12.

Et l. 7. epist. 9.

Præter Sanctimoniales extra & intra monasteria versantes, reperiuntur Moniales *Canonicæ* in jure novo: si enim stylum loquendi antiquum, atque ipsam veritatem respicias, nullomodo *Canonicæ*, sed potius *acanomicæ* dicendæ sunt: nam olim â SS.PP. omnes Sanctimoniales *Canonicæ* idcirco dictæ sunt, quod sub certa Regula vixerint: hæ verò longo tempore nullam habuerunt. *Væ virgini,* inquit, S. Athanasius, *quæ non sub Canone,* seu Regula *est.* Et ab hac voce, inquam, omnes sacræ virgines dictæ sunt Canonicæ. Sic S. Macarius ait, viro â persecutoribus ambusto ministrasse *Canonicam.* Et S. Athanasius quæst. 96. ad Antiochum ait, *horribile judicium manere eos, qui cum Canonica turpiter consueverit.* Sanctus item Basilius de virgin: *Virgo Ecclesiæ Canonica,* & ep. 300. & 302. ad virgines Canonicas, id est sacras. Denique ep. I. Canon. ad Amphil. c. 6. ait, *Canonicarum fornicationes nolumus inter matrimonia reputare.* Et quid te in altum longius duco? Nonne ideo nos â certa Regula quæ præcipuè consistit in observatione Canonum Canonici dicimur? Non sic illæ Moniales Canonicæ, quæ nomen sibi hoc arrogarunt, quòd nollent esse Moniales, seu Monachæ, quæ vivebant sub certis Regulis. Vin' audire concilium Cabilonense? *Libuit huic sacro Conventui,* inquit, *quasdam admonitiunculas breviter eis sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant: quoniam hæ sub monastica Regulæ norma degunt, totius vitæ suæ Ordinem in eadem quam profiten-*

S. Athan. ad Virg.

S. Macar. hom. 27.

Cabil. suprà.

Qqqq 3 *tur,*

Digitized by Google

tur, Regula scriptum habent. Inde per duodecim Canones ipsis Regula præscribitur ex quorum sexto colligo, non omnes has Canonicas in monasterijs vixisse: nam dicitur: *Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo &c.*

Sed hæc ipsa Regula nimis succincta erat, & imperfectior pro reformatione harum Canonicarum, unde paucis post annis Eugenio II. & Patribus in Rhemensi concilio consultius visum est, has Sanctimoniales ad Regulas approbatas & antiquas ducere. Decretum est ergo, ut Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur & irregulariter vivunt, juxta Beatorum Augustini & Benedicti Regulam, vitam suam in melius corrigant: superfluitatem vestium, & inhonestatem deserant. Quod si non impleverint, si qua ipsarum mortua fuerit, Christianorum careat sepultura. Prohibemus etiam ne in earumdem Collegijs aliqua, nisi quæ Regulariter velit vivere, recipiatur. Idem Canon reperitur etiam in concilio Rhemensi sub Eugenio III. utriuslibet tamen Eugenij sit, sufficit ostendisse has Canonicas tandem transijsse, vel ad ordinem S. Benedicti, & ex nigro habitu dictas fuisse *Moniales nigras*, vel ad Ordinem S. Augustini, & esse appellatas cum suis alijs sororibus nunc *Dominas albas* ex habitu candido, sicut loquitur Monachus Erphesfordensis in suo chronico: nunc ex certa Regula *Canonicas Regulares*, sicut loquitur Gobelinus in Actis S. Menulphi: nunc *Canonissas*, juxta auctorem anonymum de Landgraffijs Thuringiæ: nunc denique *clericas Sanctimoniales*, ut habet Sigeberdus in Chronico dicens, Aquisgrani in synodo disponente Ludovico Imperatore Episcopis & Abbatibus aliqua capitula ad usus Regularium Monachorum addita sunt & multa SS. Scripturarum compilatione facta Clericorum, & *Clericalium Sanctimonialium* Regulæ constitutæ sunt. Extant illa Monachorum capitula, sicut & Regula Canonicorum in tomis conciliorum. A. D. 816. & 817: Canonicarum autem non reperio, nisi quòd initio concilij Aquisgranensis. A. D. 816. dicitur, *Eundem sacrum conventum in altero libello eodem Imperatore monente quamdam institutionis formulam ex Sanctorum PP. dictis, studiosè excerpsisse, & in unum breviter, satisq; congruenter congessisse, & sanctimonialibus Canonicè degentibus tenendam censuisse, in qua contineatur, quales eis Abbatissæ præferendæ sint, qualiter eisdem sanctimonialibus infra claustra monasterij vivendum, quid à Prælatis sti-*

A. D. 824. circiter c. 3.

A. D. 1148. can. 4.

In Conc. Senon. cap. 2.

A.D. 1291.

A. D. 1220.

A. D. 820.

tis sti-

Digitized by Google

tis stipendiorum dandum, quibus documentis & virtutum instrumentis exornandæ sint, quatenus hac formula vivendi inspecta, & DEO sibi adiutorium præbente humiliter suscepta & efficaciter impleta, cum bonorum operum lampadibus venienti sponso apparere, atq; eius thalamum ingredi mereantur. Non quòd hæ Canonicæ, seu clericales Sanctimoniales Regulam antè non habuerint. S. Augustini habuerunt: hæc autem Aquisgranensis eisdem tamquam statuta superaddita sunt, sicut anno sequenti Monachis Benedictinis similiter contigit, qui sine dubio suam Regulam habuerunt. Quamvis (fatear) multi fuerint tunc temporis, tam Canonici, quàm Monachi, qui etsi professionem fecerint secundum Regulam S. Augustini & Benedicti, neutrius tamen Regulam umquam aspexerint. De Benedictinis hoc expressim habetur in Concilio Turonensi III. A. D. 813. c. 25. ubi dicitur, *Paucos esse Monachos qui S. Benedicti Regulam suis Abbatibus promissam habeant.* De Canonicis verò Regularibus idipsum traditur in vita Gerhohi Reicherspergẽsis, qui cum adhuc esset Canonicus in cœnobio Raitenbucchensi omni animadversione exquirebat, quomodo sibi vivendum esset secundum Regulam S. Augustini, vel quæ esset illa Regula secundum quam vivere professus fuerat: Quæ Regula tamen tunc in illis locis non inveniebatur, sed nec in alijs locis eiusdem professionis. Pro qua re necessarium duxit Romanum adire Pontificem, cum quibusdam fratribus de claustro, quatenus Regulam, quam unà cum omnibus communiter fuerat professus, claustro illi, cui erat obligatus, stabiliret, quod & factum est. Quapropter iure merito Patres Ecclesiæ tantæ socordiæ censuerunt occurrendum per illas costitutiones Aquisgranensesn, quæ illis irregularibus Regularibus loco Regulæ essent, ut & factum est: Gerhohi namque tempore, qui natus est A. D. 1093. in cœnobijs Canonicorum Bavariæ sola excerpta illa servabantur, quoad ille Regulam Româ adferret.

Ab institutione variorum Ordinum religiosorum, multiplicabantur genera Monialium. Hinc habemus non solùm *Canonicas Regulares & Benedictinas*, verumetiam *Cistercienses*, *Camadulenses, Franciscanas & aliàs*. Olim & *Reclusæ* erant, ut tibi alibi dixi. Immo & *Anachoretissæ*. Id in Ruffino, & Ioanne Subdiacono reperies. Aliæ denique in virili habitu inter viros & eremitas se exercebant. Sic *Euphrosyna* in Smaragdum, Epist. 135. Ruffin. lib. 2. vitt. PP. n. 194. Ioan. Subdiac. l. 3. num. 9.

Eugenia

Metaphrast. vitâ S. Apollin. Et, S. Athan.

Eugenia in Eugenium eunuchum, Marina se transtulit in Marinum, androgyni, ut ita dicam, Monachi. Tempore S. Macarij Anachoreticam vitam duxit inter eremitas S. Apollinaris filia Anthemij V. C. mutato habitu sub nomine Dorothei. Idem fecit Athanasia uxor S. Andronici Monachi. B. Iachelina quoque Anachoresin in virili habitu cum sene exercuit. S. Pappula virgo triginta annis in cœnobio inter Monachos vixit, nec sexum prius aperuit, quàm cum mori vellet, ne vel defunctæ nuditas â viris cerneretur in corporis ablutione.

Lib. 3. vitt. PP. Occid.

Greg. Turon. de glor. Confes. cap. 16.

Bover. in annal A. D. 1564.

Antecedenti sæculo cum in primo flore esset Ordo Capucinorum, monialis Ferrariensis relicto proprio cœnobio ad Capucinos mentiens sexum virili habitu se transtulit, ubi cum semestrem iam novitiatum absolvisset, agnita â Fratribus remissa est ad suum Parthenona. Idem alijs duabus Sanctimonialibus contigit A. D. 1576. Quarta cum idipsum tentaret, & suscepta tandem deprehenderetur, cum videret se eijciendam, mortem â DEO in eodem Ordine Novitia impetravit. Et revera existimo plures olim his similes fuisse, alioquin in Concilio Gangrensi non statuendum fuisset, ut nulla femina virilem habitum sumeret quasi pro continentia. Quanta enim scandala nasci possent, si hoc passim admitteretur? Quod Sanctæ fecerunt, Josippe, ductu Spiritus sancti fecerunt.

A. D. 1567.

cap. 13.

In conc. Dingolfing. A. D. 772.

EPISTOLA CXLVII.

De Consecratione sacrarum Virginum.



EX concilio Aurelianensi V. notum est, ut de historijs taceam, puellas vel sponte concessisse ad monasteria, vel â parentibus fuisse oblatas. Commendat hanc oblationem B. Ambrosius, dum ait, *Meritis Virginum â parentibus oblatarum parentum redimi delicta.* Parentes subinde ipsi vestibus sacris induebant filias, quod ne ante annum ætatis ipsarum decimum amplius fieret, prohibuit concilium Toletanum X. alioquin S. Scholastica Domino ab infantia fuit consecrata. S. Mechtildis autem septennis se monasterio tradidit, votumque emisit Virginitatis. Denique S. Athanasius quoque meminit sacrarum Virginum in ætate tenera. Tertullianus docet eas non esse velandas, nisi ex quo transitum ætatis fecerint, ut nempe norint quid & quantum Deo promiserint;

A. D. 549. can. 19.

S. Ambr. l. 1. de Virg.

A. D. 656. can. 6.

S. Greg. l. 2. dial.

Lib. 4. vitt. PP. Occid.

S. Athan. de incarnat. verbi

Tertull. de vel. Virg. c. 1.

Digitized by Google

ſerint; Tunc autem (ait S. Baſilius) Profeſſionem ratam habemus, cùm facta eſt ætate illa, quâ ratio in ipſa completa eſt: non enim hac in re ad puellaria nudè attendendum eſt, ſed ea rata arbitramur, quæ ab ijs ætatis anno 16. aut 17. cum judicio & examine conſtanti, & multis precibus impetrata, & prolata ſunt. Tunc primum enim eæ ſunt inter Virgines cenſendæ; & ad profeſſionem admittendæ, quam ſi poſtmodum violaverint, ſine remiſſione caſtigendæ erunt. Multæ namque Virgines à parentibus & conſanguineis offeruntur ante ætatem, quæ ad Profeſſionem haud facilè admittendæ ſunt, niſi clarè ſuam voluntatem ſpontè aperuerint. S.Baſil. ep. 2. ad Amphil. c. 18.

Hunc Canonem examinarunt Patres Concilij Oecumenici ſexti, & ita rem totam concluſerunt. Quoniam Deo adhære per ſeceſſum è vitæ ſtrepitu bonum eſt, oportet nos non improvidè circa tempus Profeſſionis agere, ſed ſervare à Patribus ad hoc datum terminum, nempe ut eam legitimam eſſe judicemus, quæ ſit facta ſcienter, ac cum judicio poſt rationis complementum. Igitur jugum ſubiturus monaſticum minor decenni non eſto; ita tamen ut & ſic in arbitrio Superioris ſit, an non ſit conducibilius, terminum hunc prorogare. Nam etſi Magnus Baſilius in ſuis ſacris Canonibus eam, quæ ſe ſponte DEO offert, & virginitatem complectitur, ſi ſeptimum decimum annum compleverit, in Virginum ordinem referendam eſſe ſtatuit: Verumtamen nos ſecuti exẽplum de Viduis & Diaconiſſis in prædictum tempus præter propter Profeſſionis terminum concluſimus. Can. 40.

Eadem penè diſcretione agit S. Ambroſius. Aiunt pleriquc, inquit, maturioris ætatis Virgines eſſe velandas. Neq; ego abnuo ſacerdotalis eſſe cautionis debere, ut non temerè puella veletur. Spectet planè, ſpectet ætatem Sacerdos, ſed fidei vel pudoris; ſpectet & maturitatem verecundiæ: examinet gravitatis canitiem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. Tamen deinde ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas, ſi hæc præſtò ſunt, non deeſt Virgini longæva canities. Si hæc deſunt, differatur puella moribus quàm annis. Non ergo ætas reijcitur florentior, ſed animus examinatur. At certè Theclam non ſenectus, ſed virtus probavit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta ſit Chriſto? Denique non virtutem ætatis appendicem S.Ambr. l.3. Virg.

 dici-

dicimus, sed virtutis ætatem. Nec mirêre in adolescentulis Professionem, cùm legeris in parvulis passionem. Nolite à Christi charitate parvulos separare.

In append. conc. Later. p. 26. c. 23. Trid. sess. 25 c. 15. de regnl. In Decretalibus Alexandri Papæ conceditur Episcopis, ut possint sacras Virgines consecrare diebus singulis Dominicis, sicut & Tridentinum annum Professionis tam virorum, quàm mulierum decernit decimum sextum ætatis absolutum, post expletum annum Probationis. Qui annus olim vel nullus erat, Epist. 28. vel in arbitrio Superioris, ut tibi in alia epistola de Monachis scripsi. Sic & habitus religiosus non semper Virginibus conferebatur antequam Professionem facerent: & habitu sacro indui ipsissimum erat Profiteri.

Tolet. X. can. 5. Omnibus feminis (ait Toletanum Concilium) quæ iam in præteritum Religionis veste probantur indutæ fuisse, nihil excusationis valeat in oppositionem quælibet objectio, quamvis diversis ac callidis adumbrare se velint fallaciæ argumentis, sed ad sacratissimam Sanctionem disciplina sanctior eas teneat religatas atque subnexas. Commoneantur sanè Sacerdotis auctoritate, ut redeant sponte. Quæ si redire noluerint, impulsu Sacerdotis ad Religionis cultum reducantur, & in Monasterijs reductæ excommunicentur. Quin etsi sanctimoniæ vestem non à Sacerdote vel Ministro, sed vel à seipsis, vel alijs accepissent, & rursus abjecissent, decernit Concilium eodem rigore eas esse castigandas, & ad habitum ac Professionem publicam in scriptis compellendas. In eumdem modum S. Leo Pa-
Ad quæst. 15. pa respondet Rustico Narbonensi Episcopo: Puellæ, inquit, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio Virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi consecratio non accessit: nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid eos ma-
A. D. 549. can. 19. nebit, qui corruperint fœdera Sacramenti? Denique in Concilio Aurelianensi jubentur similiter puellæ non prius indui habitu sacro, quàm Professionem faciant. Debebant autem Novitiatus sui tempus in suo proprio habitu peragere. Certè, Iosippe, etiam apud nos tribus primis sæculis Novitij non portabant lineam, seu parvum Sarrocium, ut nunc appellamus. Si scire desideras, unde ritus hodiernus inceperit, in manu scripto quodam reperi eum initium habuisse A. D. 1455. sub Simone Præposito. Hic mandante Episcopo Udalrico Passaviensi &

consen-

consensum præbente Capitulo primus dedit Novitijs aperta Sarrocia secundum consuetudinem ac morem aliorum monasteriorum, quæ ante secundum nostra Statuta ab eisdem non portabantur.

Quidquid tamen sit de hac varia locorum & temporum consuetudine, hoc solemne est, ut Professionis actum emissurus, eum faciat in habitu suæ Religionis. Sanctimonialis Virgo, quum ad consecrationem suo Episcopo offertur (verba sunt Concilij Carthag. IV.) in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, Professioni & sanctimoniæ aptis. Itaque Professionem recipere Monialium Episcoporum est, qui & soli eas consecrant, maximè si consecratio fiat cum solemnitate & datione anuli. Sic enim legis in Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis: *Nullus Sacerdos consecrare Virgines præsumpserit: solius Episcopi est Virgines consecrare.* Sic in Concilio Carthag. II. statutum est, ut Chrisma & consecratio puellarum à Presbyteris non fiant (nam olim ex Romana Synodo sub S. Silvestro Virgines in consecratione ungebantur in vertice) & pro hac solemni consecratione in jure constituti, sunt certi dies, ut Epiphaniæ, Paschæ cum Octava, & natalitijs Apostolorum. Minus solemnis consecratio sicut alijs diebus, sic & à non Episcopo peragi potest. Concilium Carthag: III. ait: ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret: Chrisma verò numquam conficiat. Potest ergo Presbyter Virgines consecrare, sed de licentia Episcopi vel Papæ, ad quos hoc ex officio spectat. Unde in Concilio Parisiensi graviter increpitos esse Presbyteros novimus, quòd Virgines sacras consecraverint, cùm id solorum Episcoporum sit. Gravius autē culpatæ sunt Abbatissæ, qui hoc ipsum præsumpserunt, quo factū est, ut Presbyteri & Episcopi passim contemnerentur: ausæ sunt insuper Corpus & Sanguinem Christi populo distribuere. Nihilominus in vita S. Euphrasiæ dicitur Abbatissam vestes monachales benedixisse.

Can. 11.
Roderic. in qq regg. resolut. 22.
Can. 10.
c. devotis. c. virgines. 20. q. 1.
Can. 36.
cap. 41.
In Conc. Parisi. A. D. 829. c. 43 45.
Roderic. sup.

Idem actus Professionis, & consecrationis includebat & velationem Virginis, si velum intelligis ordinarium: nam quædam alia vela sunt, quæ non nisi certis temporibus conferuntur: sic velū consecrationis solemnis ante 25. ætatis annum Virgini non confertur; sicut nec Prælationis & Ordinationis ante annum quadragesimum. Velabantur autem in Ecclesia Virgines sacræ temporibus iam Apostolorum, ut probat Tertullianus.

Conc. Dingolfing A.D. 772. Tibur. A. D. 895. c. 24. Milevit. A. D. 416. c. 26. Conc Cæsaraug. A. D. 381 can. 8 Agath. A. D. 506. c. 19.

Tertull. sup. ex 1. Cor. 11. Tom. 1. concil. fol. 171. S. Ambr. exhort. ad Virg.

Sanè S. Eutychianus Papa, & sub Numeriano Martyr, suis jam temporibus velandas esse jubet Virgines sacras, quamvis non ab Abbatissis, aut Sanctimonialibus. Causa cur sacræ Virgines velandæ sint, ex S. Ambrosio cognosci potest, dum ait, Virgines profanas non prius velatas incessisse, quàm desponsæ & maritatæ esse cœperunt: cùm verò Virgo sacra in Professione desponsetur Christo, non amplius libera censetur, cùm Christo nupserit. Clemens Alexandrinus ait: Femina veletur tota, nisi domi sit: honestus enim est habitus hic, & explorationem excludit: sic enim neque ipsa labetur, si ante oculos habuerit verecundiam & velamen; neque alios inducet ad lapsum, quod fieret ostensione vultus. Denique idipsum ratio exigit: decet enim nec inter preces retectam esse. Æneæ conjugem ajunt, fuisse tantæ modestiæ, ut nec Vrbe capta, & incensa, nec fugiens velum de facie amoverit. Porrò eas, quæ Christo dedicatæ sunt, sic oportet esse per totam vitam, qualiter se in Ecclesijs ostentant. Vnde Clementi non placuisset ambitio Virginum Africanarum, quæ deponebant in Ecclesijs velum, ut secernerentur à nuptis huius sæculi, & appareret ipsarum multitudo: quasi verò non nuptæ & ipsæ sint, & sponsæ Christi tam in Ecclesia, quàm extra: permaneant ergo ubique facie velatâ, ut etiam S. Chrysostomus ratiocinatur.

Clem. l. 3. Pædag. c. 11.

Tertull. de vel. Virg. c. 13. 14.

S. Chrysost. hom. quod religiosi.

S. Ambr. l. 1. Pœnit. c. 13.

Quemadmodum autem S. Clemens velum sacrarum Virginum dicit esse præsidium verecundiæ, & argumentum sacri conjugij, ita B. Ambrosius nuptiale velamen tradi scribit, ut caput veletur, vultus abscondatur, & sic tuta sit verecundia, & vultus eius nec videri possit, nec videre. Vnde sicut nulla gravior injuria sponsæ, vel nuptæ potest accidere, quàm si eius pudor violetur, sic sacræ Virgines semper inter maxima tormenta numerarunt, quando ab eis velamen per vim ablatum fortè fuit. *Quid peius,* inquit Tertullianus, *aliquis persecutor fecisset, si eas sublato velamine detexisset? Denudasti puellam à capite, & tota jam Virgo sibi non est, alia est facta.* Et quàm amarè deplorat S. Athanasius, quòd Ariani sanctarum Virginum corpora plagis conciderint, velamina abstraxerint, & capita earum denudaverint, dura sunt hæc, inquit, & gravia valde quis neget? Et pòst: scelerati autem illi homines athei duce Sebastiano Manichæo multas sacras Virgines in domibus repertas, & damnantes ipsorum impietatem, veritatemque confitentes transtulerunt partim ex suis ædibus, partim pedibus eas conculcaverunt, permittentes juvenibus, ut secundum capita nudarentur.

Tertull c. 3. cit.

S. Athan. ep. ad Monachos.

Volue-

Voluerunt autem SS. Patres, ut Sanctimoniales ſacro velamine non modò caput & crines, verùm etiam maxillas & collum obtegerent. Cum S. Gregorio Nazianzeno in ſomno apparerent duæ ſorores Virgines, quarum una ſe Caſtitatem altera religioſam Temperantiam dicebat, ait eas fuiſſe amictas peplo, hoc eſt pallio ex tela pertenui, aduſque pedes: renes cingebat zona, capitis autem verticem, cum maxillis tegebat velum. Sic Clemens Alexandrinus ait, pudicis feminis impoſitum eſſe, ut & caput & faciem tegerent, atque obnuberent. Pulchrum eſt quod Tertullianus de Sanctimoniali narrat, quæ ſtudiosè brevius velum geſtabat, ut candor cutis in collo appareret. Nam Angelus in ſomno ei adſtans nudiorem cervicem, quaſi applauderet, verberavit. *Elegantes* inquiens, *cervices, & meritò nudæ.* S. Greg. Naz. carm. 4. Clem. l. 2. c. 10. ſup. Tertull. ſup. c. 17.

Optatus Milevitanus Velum ait eſſe Profeſſionis indicium, & ſignum Devotæ Virginis, non Sacramentum. Addit, pannum eſſe, nec referre, de qua lana fiat, aut de qua purpura tingatur. S. Athanaſius *Maphorium* id appellat, vultque ut fimbrijs careat, eiuſdemque coloris ſit cum tunica, quam nigram præſcribit. S. Ambroſius & Hieronymus *flammeum* appellant. Utinam, inquit ille, poſſem flammeum nuptiale pio integritatis velamine mutare: Et hic: Neptis eius Chriſti flammeo reſervatur. In quem locum Victorius ait, erat autem flammei coloris indumentum, quo mulieres maximè virgines caput tegebant. Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcopus velum ait eſſe candidum. Optat. lib. 6. S. Athan. ad Virg. S. Ambr. l. 1. & 3. Virg. S. Hieron. ep. 27. De laude Caſtit. ad Fuſcinam.

Sed tibi cum geminum tetigerunt tempora luſtrum
Mox ſtola ſincero velat te candida cultu,
Virginis os habitumque decens, quem mater amictum
Relligioſa ſuis manibus confecerat.

S. Clemens ad veli qualitatem cum Optato indifferens eſt, modò non ſit purpureum, ne ab aſpectu veli tam pulchri ſenſim ad aſpectum feminarum deveniatur. Oxonienſe Concilium ſtatuit, ut Moniales & cæteræ mulieres divino cultui dedicatæ velum vel peplum ſericum non habeant, nec in velo acus argenteas vel aureas audeant deportare. Diſplicet DEO ſtulta hæc ſuperbia: quàm autem eidem placeat veli humilitas Angelus apud Palladium oſtendit dum velum Virginis, quæ ſe fatuam ſimulabat, appellat *Diadema:* erat autem ſordidus & abiectus pannus, quo caput ſolebat obvelare. Roſvveidus *Redimiculum* vertit, S. Clem. ſup. A. D. 1222. Pallad. c. 41.

Digitized by Google

In notis. ſed quid ni maneat verbũ Angeli? Nonnè & Optatus ſæpè vocat velũ *mitra* & *mitrellam*, & S. Gregorius Nazian: χ... id eſt *vittam, infulam,* & *coronam?* Intuere diademata veterũ Regum atque Imperatorum Ioſippe, & videbis nihil aliud eſſe, quàm *faſciam ex purpura, auro, margaritis, atq; gemmis ornatam caput cingentem*, unde Rex ille: *O nobilem potius, quàm felicem pannum* de ſuo diademate dixit. Et Plutarchus de Monima Mitridatis coniuge, detractum, inquit, capiti diadema collo aptavit, atque ex eo ſemetipſa ſuſpendit. Quo citò abrupto: Execrabilis faſcia, ait, ne hîc quidem eris mihi uſui. Ioſephus item de Moyſe. Impoſuit, inquit, ei Pharao diadema: Moyſes autem convolvens illud proiecit in terram, conculcavitque ſuis pedibus. adhuc triennis erat. Itaque faſciam illam ſanctiſſimæ Virginis vocavit Angelus diadema: erat enim humilitate magis ornata, quàm omnium Regum diademata ſuis lapidibus pretioſis. Ad extremum hoc noſſe te volo, eum qui Caſtimoniali velum impoſuit, dictum olim fuiſſe *Patrem puellæ*, non minus quàm is qui eam baptizavit, aut Sacramentum Confirmationis adminiſtravit: neque enim aliter conſecrabantur ac velabantur, quàm per Chriſma & manuum impoſitionem. De tonſura Monialium ſcripſi tibi in Epiſt. 62.

Optat. l. 2. & 6. S. Greg. ſup. Cœl. Rhodig. l. 2. lect. cap. ult. Plutarch. in Lucullo. Ioſeph. lib. 2. antiq. cap. 6. Optat. lib. 2.

EPISTOLA CXLVIII.

De Habitu & alijs rebus ad ſacras Virgines ſpectantibus.



Icut vita Monialium, Ioſippe, ſic & habitus ipſarum à ſæcularibus diſtinctus erat. S. Ambroſius ad virginem lapſam, *Habitu,* inquit, *virgo facto non eras, bis adultera, & in actu & in aſpectu.* Et: *Quomodo non venit in mentem habitus Virginitatis?* S. Auguſtinus etiam, *Tenent* inquit, *ſacræ Virgines ſanctam Profeſſionem non ſolo Habitu veſtis, ſed & mentis & corporis.* Generatim debebat hic Habitus ſpirare humilitatem, ut vanitas mundi calcaretur: in nulla quippe re magis apparet ſæculariũ feminarum inſolentia, quàm in corporis cultu. Hinc B. Mechtildis viliſſimis panniculis, & tunica undique conſciſſa & reparata veſtiebatur. Chriſtina mirabilis non erubeſcebat, ſi ad unicam tunicam diſpares, vel diverſi coloris manicas haberet. Veſtes eius erant tunica alba, & pallium album, tegens totum

Cap. 6. S. Aug. lib. 4. contr. Iulian. cap. 6. Lib. 4. vit PP. Occid. Thom. Cantiprat. in vita.

totum corpus uſque ad talos, non alijs conſutum filis niſi arboris tiliæ cortice, aut ſalicis viminibus, aut ligneis, ipſiſque parvis haſtulis. Calceis non utebatur, ſicut nec S. Coleta etſi bruma ſæviret. Steph. Iuliac. de S. Coleta.

Ioſippe Eccleſia uſque adeò deteſtata ſemper eſt in Sanctimonialibus ſplendorem veſtium, ut eum nec admittere voluerit in acceſſu ad Religionem. Extat de hac re Canon in ſynodo œcumenica ſexta, qua Patres aiunt: Quoniam intelleximus in nonnullis mulierum monaſterijs feminas, quæ ſacro illo amictu ſunt induendæ, prius ſericis, & omnis generis veſtibus auro gemmiſque diſtinctis ornari, & ſic ante altare produci, ac tanto opum apparatu exui, ſtatimque in illis fieri habitus benedictionem, illaſque nigro amictu indui, ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſſe concilium arbitratur, illam quæ propoſito mundum iam reliquit, in tanta pompa incedere, perturbarique maximè illo temporis articulo, quo collectiſſima eſſe deberet. Can. 45.

Antequam diverſitas Ordinum in Eccleſiam intraret, Moniales ut plurimum Habitu nigro utebantur maximè in Oriente. Sic, ait, S. Hieronymus, Salvinam candidas veſtes, quas ſolebat vivente Marito portare eo defuncto mutaſſe in *tunicam pullam*, & *auratos ſaccos in nigros calceolos*. Et alibi: Solent, inquit, quædam cum futuram Virginem ſpoponderunt, *pulla tunica* eam induere & *furvo* operire *pallio*, auferre linteamina, nihil in collo auri ſinere. Laudat etiam Aſellam Sanctimonialem domeſticam, quod venditis murenulis comparaverit *fuſciorem tunicam*, quam â matre impetrare non poterat. Blæſillæ quoque virginis ſacræ deſcribens Habitum, ait fuiſſe, *Pullam tunicam, ſoccum viliorem, cingulum non aureum, gemmiſq; diſtinctum, ſed laneum, & tota ſimplicitate puriſſimum, & quod poſſit magis adſtringere veſtimenta, quàm ſcindere.* Adde iam velamen caput & faciem operiens, & habes totam Virginem Veſtalem Chriſtianam. Aliquæ addebant cilicia & cucullas fabrefactas, ut ad infantiam viderentur redijſſe, quarum ſingularitatem arguit idem S. Hieronymus, noctuas & bubones eas appellans. Sed quidquid ſit de affectatione harum virginum, certè Moniales S. Pachomij omnes cucullatæ erant, ſicut & Monachi Tabenneſiotæ, â quorum habitù non diſcrepabant, exceptis melotis, quibus ſoli viri utebantur, ut tradit Palladius.

S. Hier. ep. 9. Epiſt. 12. Epiſt. 15. Epiſt. 17. Epiſt. 17. Pallad. c. 39.

S. Atha-

Digitized by Google

S. Athan. ad Virg. S. Athanasius quoque cucullis Sanctimoniales per Ægyptum induit. Sicut & in Græcia lego Monachas fuisse cucullatas recẽtioribus temporibus, quod de Cralæna filia Imper. Andronici scribit Niceph. Gregoras. (Greg. l. 8. hist.) Cilicium denique si non ad ostentationem gestetur, non dedecet Christi sponsas. Sanctimoniales monasterij B. Euphrasiæ nec aliam tunicam neque lectum habebant quàm cilicinum. (In vita S. Euphras. cap. 6.) S. Ambrosius, Corpus, inquit, ad lapsam, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorescat. (S. Ambr. ad lapsam cap. 8.) S. Photina reiectis vestibus fæmineis viriles induit, nempe pileum & tunicam contextam ex pilis. (Metaphr. in vita S. Martiniani.)

Quamvis autem habitus Sanctimonialium ex maxima parte fuerit ater; non defuêre tamen antiquitùs Virgines sacræ, quæ candorem in vestibus præferebant. Quæ vivebant sub Regula S. Augustini, omnes erant candidæ, quarum tunicas proinde perfullones S. P. admittit lavari. (S. Aug. epist. 109. Propriũ cann. regg. 1. Febr.) Machæas Episcopus Hiberniæ B. Brigidàm Virg: veste candida, alboq́ue pallio induit. In vita quoque B. Modestæ Virg: legitur, apparuisse ipsi, S. Gertrudẽ in habitu albo, quem deferre consueverat. (Surius Nov. 6.) Hinc nuper tibi dixi, Clericas Regulares, seu Canonicas Sanctimoniales appellatas esse *Dominas albas*. Habes ergo Iosippe omnis generis Virgines sacras; *Albas, Nigras, Cilicinas, Pachomianas*, Ægyptias; adiunge nunc *Franciscanas, Cistercienses*, & quas ex alijs sacris Ordinibus me melius nosti. Denique sicut quidam Monachi investes, sic & feminæ erant in sua anachoresi. S. Maria Ægyptiaca quomodo incesserit, cum eam S. Zosimas inveniret, nosti. (Metaphr. in vita.) B. Theoctistes in eremo conscissis vetustate vestibus erat nuda. *Induor autem*, inquit, *& tegor manu, quæ continet omnia*. Dei manus eius erat vestimentum. In Anglia nulla Abbatissa, nulla soror carioribus olim indumentis uti poterat, quàm agninis vel caninis; (Conc. Londin. II A. D. 1127.) Mirabilis Habitus *in pellibus caninis*, nisi legendum censeas *Caprinis*, ut *rhenones* intelligantur.

De laboribus, victu, orationibus, Regulis & alijs Monialium exercitijs sparsim hinc inde pleraque tibi scripsi, solùm restat, ut dicam utrùm *Diaconissæ*, quæ olim in Ecclesia fuerunt, rectè dicantur à Pennoto fuisse *Sanctimoniales Regulares*, quas *Canonicas* seu *Canonissas* appellamus. Noveris autem ipsum non loqui, de Diaconissis, quæ ex eo sic dicebantur, quod ipsarum conjuges â matrimonio promoti in Clerum Diaconatus gradum acceperint: (Pennot. in notis ad 1. Febr.) ex eo enim tempore uxores suis maritis iam

Diaco-

Digitized by Google

Diaconis cohabitare non amplius poterant, ſed cœlibem vitam agentes honoris gratia vocabantur *Diaconiſſæ*, ſicut ſi quis in Subdiaconum, Presbyterum, Epiſcopum ordinabatur, conjuges exinde *Subdiaconiſſæ, Presbyteræ, Epiſcopæ* nominantur. Ita Concilium Turon: Epiſcopum, inquit, Epiſcopam non habentem, non ſequatur turba mulierum. Et infrà: Ad ſuſpiciones venereas evitandas Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, Vicani ſegregatim in cella jaceant, orent, & dormiant: aliàs Presbyter inventus cum ſua Presbytera, Diaconus cum Diaconiſſa, Subdiaconus cum Subdiaconiſſa, integrum annum excommunicatus habeatur. Dicebantur etiam *Diaconæ*. Hinc Concilium Roman: I. ſub Greg. II. Si quis Presbyteram, Diaconam, ſeu Monacham in conjugium duxerit, Anathema ſit. Et in alio Concilio Roman: Ne quis Presbyteram, Diaconam, Nonnam aut Monacham ſibi copulet.

Spondan. A. D. 34. n. 81.

Turon. II. A. D. 567. can. 14. & 20.

A. D. 721.

A. D. 743.

De his Diaconiſsis Pennotus non loquitur: nam aliæ quondam in Eccleſia feminæ erant, quibus ratione Miniſterij Eccleſiaſtici nomen *Diaconiſſarum* conferebatur, atque hæ longè altioris reſpectus erant, ſicut Epiſcopa, vix tandem ejuſmodi Diaconiſſam daret. Vxor Epiſcopi, inquit Concilium Oecumenicum VI. quæ conſenſu prius viri ſeparata eſt ab eodem, illo facto Epiſcopo in Monaſterium remotum ab Epiſcopo ingrediatur Epiſcopi fruens providentia: Sin digna viſa fuerit, ad Diaconæ dignitatem evehatur. Officium Diaconiſſarum harum erat, ut feminas baptizandas compoſitè & honeſtè nudarent, & ad fontem Baptiſmi perducerent, item ut apto & ſano ſermone docere poſſent imperitas, & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ eſſent; qualiter baptizatori interrogatæ reſponderent; & qualiter accepto baptiſmate viverent. Qua de cauſa Nicænum Conciliū requirit ab eis, ut legere poſſent, pſalmosq; memoriter callerent. Debebant præterea præeſſe portis patentibus, quibus feminæ olim ſeparatim à viris intrabant Eccleſiam, tamquam Oſtiariæ, unde S. Ignatius eas appellat *Cuſtodes ſacrorum veſtibulorum*. Adhibebantur etiam juxta S. Epiphanium ad viſitationes, & alia ſacra miniſteria, quæ viris poſſent cauſare ſuſpiciones improborum. S. Clemens ait Apoſtolos eas circumduxiſſe ſecum, ut feminas in fide inſtruerent. Talis fuit Phœbe apud S. Paulum, quam Origenes *Religioſam* appellat: Tales apud ſanctum Baſilium Comitis Ferentij filiæ in fide ſolidæ.

Can. 48.

S. Epiphan. expoſit. fid. & hæres. 79. Cō. Carthag. IV. A. D. 389. can. 12.

Conc. Nicæn. can. 74.

Spondan. ſup. n. 82.

S. Ignat. ep. ad Antiochen.

S. Epiph. ſup.

Clem. Alex. l. 3. Strom. fol. 448.

Orig. l. 10. ad Roman. c. 16.

Requirebatur autem ad hanc dignitatem bonæ vitæ ante-

S. Basil. ep. 301. Sup. actæ testimonium, certaque ætas. Synodus Nicæna; Diaconissæ ex ijs eligantur, quæ non malè audiant ex eo usq; tempore, quo fuerunt adolescentulæ: sintq; annos natæ sexaginta, sicut B. Paulus ordinavit. Et hujusmodi Diaconissæ ad hoc solum paratæ sint, ut feminas in Baptismo suscipiant. In Concilio Chalced: decretum est, ut Diaconissa ante quadragesimum annū ac sufficientē probationem non ordinaretur: sic enim (ajunt Patres) Ecclesijs consultum est, quas peccantes in carne iuniores Diaconissæ sæpe infamarunt. Concilium Constantinopol. generale cavet Diaconissam ordinari ante annum quadragesimum, quamlibet digna sit. Cur autē Ecclesia tunc temporis à decreto S. Pauli requirentis 60. annos recesserit, Synodus causā conijcit in incrementūEcclesiæ.

Can. 15.

Can. 14. & 40.

Ab omnibus Diaconissis requirebatur continentia, vel perpetua, vel conjugalis, vel vidualis: Sanctus enim Epiphanius ait: *Diaconissæ sint vel Virgines perpetuæ, vel in Monogamia continentes; vel à Monogamia viduæ.* Liquet ergo non omnes *sacras Virgines*; immò nec omnes Virgines, nec sacras fuisse, cùm etiam maritatæ, cōtinentes tamen esse potuerint. Si se semel Deo consecrassent vel in virginitate, vel viduitate, ad nuptias regredi non amplius poterant. Vnde S. Basilius decernit viduas Diaconissas, si nupserint, instar digamorum puniendas. Et Concilium Aurel: *Feminæ*, inquit, *quæ acceperunt benedictionem Diaconatus, & ad conjugium devolvuntur, excommunicentur.* Vtrum verò Diaconissæ viduæ omnes Religiosæ fuerint, sicut Sanctimonales, incertum est: neque enim arbitror sine causa distinctionem positam inter viduas & Sanctimoniales Diaconissas in Concillio Carthag: *Viduæ*, inquit, *vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur &c.* nam Viduæ religiosæ, quales sunt quæ in Monasterijs inter sacras Virgines se exercebant, quarum meminit Nicænum Concilium, utique Sanctimoniales erant. Satis ergo liquet, non omnes Diaconissas numerari posse inter Canonicas Regulares, vel inter Clericas Sanctimoniales. Ex eo tamen Clericæ omnes dici possunt, quod singulari officio Ecclesiastico Clericis inserviant, sicut Diaconissæ à Diaconis, unde si accedat vita regularis & religiosa, sicut in Sanctimonialibus Diaconissis, quid impedit, quo minus dici queant Clericæ vel Canonicæ Regulares? quarum vita cum non purè sit contemplativa, sicut Monacharum, sed mixta cum actione ministerij Ecclesiastici, fit ut cum viris Canonicis Regularibus maiorem habeant concordiam, quàm quæ hodie subsunt Regulæ

S. Epiph. exposit. fid.

S. Basil. ad Amphil. c. 24.

A. D. 533. can. 17.

Carthag. sup.

Suprà.

Sancti

Digitized by Google

S. Augustini, & nobiscum unum habitum portant, qua de causa etiam à longis temporibus dictæ sunt Canonicæ Regulares. Atq; ex his Iosippe dijudica, an hæ nostræ Canonicæ, cum antiquis illis Diaconissis conveniant, in quibus Regulam S. Augustini, nostrumq; habitum non invenio, maximè in Oriente in Occidente ubi habitus & Regula est, ministerium Clericale desidero. Affectus erga suum Ordinem in plerisque mentem sæpe disturbat.

EPISTOLA CXLIX.

De Clausura Monialium.



FRequentes Sanctimonialiū lapsus, & prona in casus earum natura Clausurā introduxit Iosippe. Audivimus his nostris perturbatis temporibus Moniales passim sua claustra reliquisse, ut lasciviam militū declinarent, & incidisse in locis pacatis in crimen, quod se effugisse rebantur, usque adeò sexui fragili claustra & clausura necessaria sunt. Tota antiquitas usque ad nostra tempora in hoc invigilavit. S. Augustinus dum Monialiū Cœnobia describit, ait ea remota fuisse à viris sub arctissima clausura usque ad vestibulum. Eugenius Papa in Concilio Rhemensi vult, ut Sanctimoniales in claustro sint assiduè permanentes, contentæ comuni Choro, Refectorio, & Dormitorio. Eboracensis Synodus concedit eis & ambitū, sed non ultra, nisi adsit Abbatissa vel Priorissa. Conciliū Mediolan: decernit, ne sacra Monialis quovis prætextu septa Monasterij sui egrediatur. Quo modo etiam loquitur
Tridentinum, addens nec ad breve tempus id concedi posse, nisi
ab Episcopo ex causa legitima. Ad cratem tamen cum hospitibus seu fenestram loqui possunt, ut usus admittit, & Concilium
Ravenate, sic tamē ut crates sit ferrea, & adsint duæ aliæ ab Abbatissa adjunctæ, prout Synodus ait. Sed hæ ipsæ sociæ debent
commendari ab ætate & vita, ut S. Basilius ait, qui & Magistram
interesse colloquio præscribit, quod etiam exigitur à PP. in
Concilio Oecumenico VII. qui præterea volunt, ut id colloquiū
sit breve. In Concilio Cabilon: tempus constituitur, quo Moniales in auditorio loqui possint cum viris, nempe à prima usque ad vespertinā, præter quod nec Abbatissa potest. Deniq; & Abbatissa testes de suis plures intercolloquendū habeat. A cunctis abscede viris, canit S. Gregorius. In monasterio B. Euphrasiæ nulla vel januam egrediebatur. Sancti Patres quantum laborarunt, ut discursus compescerent Sanctimonialium extra Cœnobia

S. Aug. l. de morib. Eccl. c. 31

A. D. 1148. can. 4.

A. D. 1157.

A.D. 1288. cap. 3.

Trid. sess. 25. c. 5. de regul.

A. D. 1317. rubr. 23.

S. Basil. serm.

Digitized by Google

S. Basil. serm. de instit. monast. Can. 20. Cap. 55. 56. 57

nobia in proprijs ædibus viventium! Sine gravi necessitate, ait S. Athanasius, foras non prodeas, sed quietem ama quantũ potes. S. Basilius & Ambrosius iuvenculas eiusmodi Virgines omnino nolunt prodire, nisi ad Ecclesiam, idq; rarò nec sine matre. Etiã prospectum ad plateas hic prohibet. E Monasterijs egressus difficilius admittebatur. Ad hoc enim, ait S. Ivo, vobis Monasteria facta sunt, ne mũdi amatores intra castra mundũ fugientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis &c. Non enim B. V. Maria cuius vita Christi Virginibus specialis est forma proposita, residebat in publico, nec procorũ delectabatur colloquio, quando est ab Angelo salutata. Sic reliquæ sanctæ mulieres, quæ in proposito sanctitatis DEO placere voluerunt, virorum colloquia respuerunt, præter eos, quorum necessitatibus aliquando de sua substantia, charitate monente, ministraverunt, vel à quibus sanctæ exhortationis gratiam percipere meruerunt.

S. Greg. Naz. carm. 3. In vita S. Euphras. S. Athan. ad Virg. S. Basil. de Virg. in fol. 718. S. Ambr. l. 3. Virg. & exhort. ad Virg. S. Ivo. ep. 10.

Concilium Oecumenicum VI. de hoc sic decernit. *Monachæ, ne omnino progrediantur*: Si autem inevitabilis cogat necessitas, ne id faciant sine benedictione Prælatæ: neque tunc solæ, sed cum vetulis, & primis in Monasterio eant servantes præceptum Magistræ. Penitus autem extra Monasterium pernoctare non liceat. Concilium Cabilonense nec Abbatissæ concedit exitum, nisi jussu Imperatoris, aut longi itineris causa. Quæ necessitas, inquit, si ingruat, habeat secum socias, quarum curam habeat, ne in via delinquant, & domi interim constituat vicariam. Parisiense Concilium, Regis jussu & hostilitate cogente concedit Abbatissæ exitum; sic tamen ut Episcopus consentiat, & illa in via cellerrimè progrediatur, & revertatur. qui Canon cum Tridentino conformis est.

Can. 46.

Temporibus Gelasij I. in Piceno emersit quidam hæreticus Senecca nomine. Hic inter ceteros errores docuit malè separari servos Dei à puellis sacris: Monachos & Ministros Ecclesiæ cum feminis licitè vagari posse. Et quoniam inter SS. PP. sciebat contra hanc sacrilegam doctrinam præ alijs detonuisse sanctum Hieronymum atque Augustinum, eos ore maledico lacerare non desinebat. Verùm, Iosippe, tota semper Ecclesia huic lascivo seni restitit; totisque viribus *subintroductos*, & *subintroductas* studuit eijcere, & ejusmodi cohabitationes eliminare. In Concilio Turon II. Sanctimoniales à domibus Clericorum proscribuntur, nisi vel mater, vel soror, vel filia sit. Atque hæ tales Virgines sacræ dicebantur olim *Subintroductæ*, quæ negotia

Cap. 57.

A. D. 756. c. 6. Gelas. epist. 5. ad Episcopos Piceni. Can. 11.

Digitized by Google

gotia domestica gerebant in ædibus Clericorum, quæ à S. Hieronymo & Chrysostomo gravissimè idcirco exagitabantur. Antiocheni omnes feminas Clericis cohabitantes *Subintroductas* appellabant. Ex adverso si Monialis in suis ædibus Clericum secum habebat, is dicebatur *Subintroductus*, de quibus sanctus Gregor: dehortatur Virginem sacram,

A cunctis abscede viris, sed maximè ab illis
Virgo, συνεισάκτους quos nos de more vocamus. S. Greg. Naz. cit.

In concilio Foroiuliensi sancitur, ne monasteria puellarum pateant ulli Presbytero, aut Clerico, etiam Archimandritæ, quasi visitationis, aut prædicationis causa sine permissu Ordinarij, nisi compellente necessitate; nec tamen hoc sine idoneis testibus, ne Angelicus Ordo sanctæ Ecclesiæ infametur. Similis Canon habetur in concilio Parisiensi, ubi adijcitur, ut confessiones Monialium audiantur in Ecclesia coram altari: sin aliquæ ægrotæ sint, confiteantur quidem in monasterio, sed non procul adstantibus testibus. S. Basilius requirit ad hoc Presbyteræ, hoc est, Senioris seu Magistræ ipsius præsentiam. Concilium Lateranense statuit ut Clerici contumaciter & absq; causa claustra Monialium ingredientes priventur suo beneficio. adeò Ecclesia semper vigilem curam gessit, ne simul inveniantur masculi cum sponsis Christi, aut sponsæ Christi cum sexu masculino etiam sanctificationem professo.

A. D. 791. can. 12.

A.D. 829. c. 46.

S. Basil. reg. brev. 110.

A. D. 1179. cap. 11.

Sanctimonialium Confessarij & Capellani plerumque tales constituuntur, ut ipsorum vita suspiciones excludat. Nihilominus Toletanum Concilium I. non vult, ut puella Dei familiaritatem habeat, aut Antiphonas faciat cum suo confessore. Et in Epaunensi decernitur, ut Sacerdotes peracto sacrificio missæ statim festinent de monasterio Sanctimonialium egredi, quod etiam in concilio Arelat: statutum est, & in Turon. III. Quid? Oxoniense decretum est, ut Moniales intra septa domorum suarum præter necessarios servientes, ad cohabitandum nec mulieres sæculares recipiant. Quod confirmat Tridentinum dicens: ingredi autem intrà septa monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Quid ad hæc hæreticus diceret, cui displicebat servos Dei à Christi puellis separari? Idem sexus disiungitur: nam esse potest ut sub Habitu fæminæ lascivus tentator ingrediatur. Omnis

Can. 6. & 9. A. D. 519. can. 38. A.D. 813. c. 7. Turon. c. 29. Oxon. 1222. Trid. suprà

Digitized by Google

igitur occasio resecanda fuit, ne sponsæ Christi virginitas corrumperetur: nam ut rectè canit S. Gregorius.

S. Greg. sup. Non illi hoc facinus tantum jactura futurum est;
Sed casus gravis & morti vicina ruina,
Et probrum, ac labes omni durabilis ævo.

EPISTOLA CL.

De sacris Viduis.

S. Ambr. l. de Viduis.



B. Ambrosius docet sacræ viduitatis institutionem præfiguratam olim fuisse in ANNA Phanuelis, Iudith, & Debbora, feminis toto viduitatis tempore diu noctuque servientibus Omnipotenti DEO. Nulla ergo hic mihi cura viduarum huius mundi est: de viduis sacris & DEO consecratis tecum dissero, quas S. Paulus ad Corinthios instituit dicens, *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu.* Huius status excellentiam sanctus Doctor Mediolanensis ostendit, dum ait, Propemodum non inferioris virtutis esse abstinere coniugio, quod aliquãdo delectaverit, quàm coniugij oblectamẽta nescire.

1. Cor. 7. S. Ambr. cit.

S. Athan. ad Virg. Et licet S. Athanasius sacræ Virgini dicat, si sanctus quispiã in domum tuam venerit, recipe eum ut DEI filium: Viro iusto ingressuro ad te cum timore occurre, & ad pedes te eius prosterne, DEUM in persona eius adorans, qui ipsum ad te destinavit; acceptaq; aqua lavabis pedes ipsius & cum timore audies ex ipso verbum salutis: Cave autem nimium fidas continentiæ tuæ, ne labaris: S. Paulus tamen ad Timotheum viros DEI suscipere, ijsque lavare pedes, & ministrare, nonnisi decrepitis viduis committit: adolescentia enim vicina est lapsibus, ait S. Ambrosius quia variarum æstus cupiditatum fervorem calentis inflammat ætatis. Denique sacras virgines etiam in gravi ætate positas, si non principiò libido, saltem inflammat curiositas, nondum carnalium voluptatum gnaras. Certè non unam legimus in ministerio ægrotantium DEI servorum corruisse in flagitium.

1. Timoth. 5. Suprà.

S. Cyprian. ep. 69. Can. 9. Et 27. q. 1. c. si quæ.

Magnum eiusmodi viduarum numerum fuisse in Ecclesia primitiva S. Cyprianus asserit. Tot, inquit, virgines sacræ, tot laudabiles viduæ in plebe nostra sunt. Adhibebantur autem maximè ad ministerium feminarum adultarum fungẽtes officio Diaconarum: quarum aliquæ, sicut de sacris virginibus ostendi, se exercebant in proprijs domibus, ut traditur in concilio

cilio Toletano I. & Aurelianenſi V. multæ in cœnobijs, ut ſynodus Nicæna demonſtrat. Omnes tamen ſub poteſtate erant Epiſcopi ex decreto Concilij Rhemenſis. Quando ſe DEO offerebant per Profeſſionem, non conſecrabantur ut ſacræ Virgines: Sic enim ſtatuit Concilium Epaunenſe: Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſolam eis pœnitentiæ benedictionem, ſi converti ambiunt imponendo. Quem Canonem ſuſceptum eſſe legimus etiam â concilio Turon. II. in quo dicitur: Omnes ſcire, quod nũquam in Canonicis libris legatur *Benedictio Vidualis*, quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet. Sed hæc res tam ab ipſis viduis, quàm ab alijs improbis hominibus ſiniſtram paſſa eſt interpretationem; Prætendebant enim, non ſe Patrum plena Religionis alligatas inſtitutione teneri, inde facile â propoſito ad carnalia vel reſiliebant ſpontè, vel ab alijs trahebantur. Qua de cauſa Toletanum concilium X. hoc decretum ſtatuit. Vidua impoſterum, quæ ſanctæ Religionis obtinere propoſitum voluerit, Sacerdoti vel miniſtro, ad quem aut ipſa venerit, aut quem ad ſe venire contigerit ſcriptis Profeſſionem faciat, â ſe aut ſigno, aut ſubſcriptione notatam, Continentem ſe, & Religionis propoſitũ velle & hoc perẽniter inviolatè ſervare. Tunc accepta â Sacerdote vel miniſtro apta Religionis huius veſte, ſeu lectulo quieſcens, ſive quocumque in loco conſiſtens, incunctanter utatur. Nec diverſi coloris, aut diverſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, ſed religioſa, & non ſuſpecta, quæ careat & varietatibus colorum, & diverſitatibus ſpecierum: adeò ut abſque ulla ſuſpicione transgreſſionis, maneat uſui tantum apta ſanctæ Religionis, & ſuo ſexui competens ad teſtimoniũ probitatis. Ut autem deinceps nil revocetur in dubium, Pallio purpureo vel nigri coloris caput contegat ab initio ſuſceptæ Religionis, ut dũ illic tulerit ſignũ probabilis ſanctitatis, ubi nullius falli poterit viſio intuentis, nũquã auſus attentet deteſtandæ præſumptionis.

Aurel. can. 19. Nicæn. c. 74. Rhem. A. D. 813. cap. 34. — Can. 21. — Can. 21. — Can. 4.

Tempore S. Hieronymi per Ægyptum & Syriam tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo vovebant, & ſæculo renunciantes omnes ſæculi delicias conculcabant, crinem monaſteriorum matribus offerebant deſecandum, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato. Blæſilla S. Paulæ filia marito defuncto etiam Romæ velata eſt. Deniq; & Wormatienſis ſynodus viduas velatas eſſe dicit. Sed intereſt noſſe, aliter virgines, aliter viduas velari. Illæ *velum conſecrationis*,


S. Hier. epiſt. 48. — Idem ep. 23. A. D. 868. c. 21.

Epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ. nis, & consecratum; hæ *velum* solius *Professionis*, non consecratum accipiunt. Quippe Gelasius I. iam olim decrevit, viduas
Epist. 7 cap. 6. sub nulla benedictione velandas esse, etsi propositum, seu votum
A. D. 829. c. 40. Castitatis habeant. Idē scripsit Papa Zacharias ad Pipinum. In
A. D. 895. c. 25. concilio Parisiensi legitur: Episcopi velum viduarum non consecrent ullo modo. In Triburiensi: Viduam nullus Pontificum velare præsumat. Si seipsam velaverit, quamvis velo non consecrato, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, Sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit, licet nonnisi ea voluntate velamen acceperit, ut id, si velit, deponere
Sup. cap. 43. & 44. possit. Concilium Parisiense decrevit, ut viduæ in domibus proprijs velatæ ad monasterium ablegarentur: Item ne Abbatissæ viduas velarent.


A. D. 888. c. 26. De iunioribus viduis passim sancivit Ecclesia ne nimis properè velamen acciperent. Concilium Moguntinum: Viduæ non citò velentur. Si propositum Castitatis assumpserint, aut monasterij claustris Regulariter constringantur, aut domi ma-
A. D. 813. c. 27. nentes, Castitatem suæ professionis integerrimè custodiant; si deviaverint, Canonicæ institutionis censura corrigantur. Concilium Turon. jubet eas prius bene probari, antequam velentur.
In conventu Ticin. cap. 1. Longobardi decreverunt in Italia, ne vidua velamen peteret, antequam annus absolveretur â morte mariti. Sed hæc lex Ecclesiæ non potuit præiudicare, dummodo vidua maturæ sit æta-
1. Tim. 5. tis: nam juniores solùm viduæ Apostolo suspectæ sunt. Hodie sacræ viduitatis status in Ecclesia penè expiravit: Ita nempe difficile est carnem â degustata semel voluptate retrahere.

Sed mi Josippe contrahamus aliquando vela post tam longam collocutionis navigationem: oppidò enim lassus sum. Vereor autem ut in hoc nostro multiloquio non desit peccatum. Quod si; petimus veniam ab omnium Domino, qui novit etiam eos, qui se à nobis læsos existimant, quantâ benevolentiâ diligamus. Interim me subijcio Censuræ SS. Ecclesiæ.

VIENNÆ AVSTRIÆ.
In Officina Typographica Matthæi Cosmerovij Sac: Cæsar: Majestatis Typographi, in Aula Coloniensi, 1650.



Digitized by Google



INDEX
RERVM HVIVS LIBRI.

Digitized by Google

Index Rerum.

B.

Digitized by Google

C.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F.

Fru-

Digitized by Google

Et

Digitized by Google

M.

Mensa

Digitized by Google

Crebra

Q.

R.


Rafio,

Digitized by Google

Digitized by Google

T.

Titulī.



VIENNÆ AVSTRIÆ
In Officina Typographica Matthæi Cosmerovij, Sacræ Cæsareæ Majestatis Typographi, in Aula Coloniensi,
ANNO DOMINI, M. DC. L.



Digitized by Google

Errata Typothetæ.

PAg. 48. v. 29. l. vallantes. Pag. 70. v. 5. l. secuti. Pag. 75. v. 1. l. conjunctione. Pag. 76. v. 1. & pag. 145. v. 33. & pag. 166. v. 17. sibi. l. tibi. Pag. 78. v. 19. l. liquefaciebat. Pag. 80. v. penult. lege exemptionem & exemptos. Pag. 85. v. 22. l. Marinianum. Pag. 107. v. 4. l. probabatur. Pag. 110. v. 24. monachis l. machinis. Pag. 111. v. 13. l. stadium. Pag. 118. v. 30. l. Atque hæc. Pag. 140. v. 15. motus, lege monitus. Pag. 142. v. 23. l. fores. Pag. 155. v. 4. l. Christina. Pag. 172. v. 9. ut. l. ne. Pag. 188. v. 9 l. quot. Pag. 199. v. 27. l. erronibus. Pag. 202. v. 3. ut. l. &. Pag. 209. v. 28. l. soccos. Pag. 226. v. 29. l. curui. Pag. 227. v. 2. post comedit, adde &. Et v. 12. l. didicimus. Pag. 228.. v. 37. redeuntem leg. remandantem. Pag. 229. v. 8. vijs. l. invijs. Pag. 230. v. 37. l. cæterenique. Pag. 233. v. penult. l. ἄκαλα. Pag. 234. v. 1. l. amphimallum. Pag. 258. v. 14. in his. l. intus. Pag. 261. v. 8. l. disposi-tione. Pag. 269. v. 25. l. modestiæ. & v. 3. l. detestandam. Pag. 273. v. 26. l. forfices. Pag. 274. v. 23. l. forfex. Pag. 297. v. 4. l. quis. Pag. 298. v. 31. l. Subsequestrati. Pag. 301. v. 36. l. veniat. Pag. 307. v. 30. l. Tarraconensi. Pag. 309. v. 19. dele *ait* post *pertinet*. Pag. 313. v. 9. l. antiquius. Pag. 315. v. 2. l. ac 1 Pag. 322. v. 9. l. carpsisset. Pag. 324. v. 23. l. Braccarensi. Pag. 325. v. 11. l. Alexandrinis. Pag. 328. v. 7. dele, quamdiu. Pag. 331. v. 22. l. rectores. Pag. 333. v. 22. dele *cum* post *quippe*. Pag. 334. v. 2. l. nec. & v. 31. l. Ilerdensi. Pag. 337. v. 3. l. sollicito. Pag. 344. v. 5. l. Georgius. Pag. 347. v. 23. l. Ioannicij. Pag. 36. v. 4. l. quidam. Pag. 394. l. φαγεῖν γέγονε. Pag. 395. v. 28. l. sic excanduit. Pag. 398. v. 3. l. si ricæ. Pag. 40. v. 26. Civem l. Quem. Pag. 412. v. 37. l. Pior. Pag. 434. v. 8. l. exulantes. Pag. 435. v. 1 l. vino. Et v. 7. quærant. Et v. 29. l. sumpti. Pag. 438. v. 30. l. eram. Et v. 28. l. propinquo. Pag. 451. v. 1. l. ova. Pag. 457. V. 5. l. lætæ. Pag. 515. v. 23. cos l. os. Pag. 521. v. 21. l. exuri. Pag. 528. v. 1. l. afferri. Pag. 540, v. 9. l. Sabinianus. Pag. 549. v. 33. l. Sueviæ. Pag. 552. v. 9. l. Abbatiam. Pag. 557. v. 29. l. Agonisticos. Pag. 575. v. 4. cos l. cos. Pag. 593. v. 12. l. fundarent. v. 14. l. occupant. v. 27. Volscorum. v. penult. l. tunc, pro hinc. Pag. 594. v. 14. l. vitium. v. 27. l. Hic Pag. 601. v. 1. l. immisit. Pag. 605. v. 37. l. necessariarum. Pag. 616. v. 11. l. discipulæ. Pag. 637. v. 22. l. Ticinensis. Pag. 640. v. 13. l. S. Georgij. Pag. 353. v. 28. elationis.

De ceteris erroribus facilè judicabit discretus Lector.

Digitized by Google

5-40

Digitized by Google

Digitized by Google